6
21-e
2 M
BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
11 F
37
...otheca
...l. Rom.
Societ. Jesu
6-21-e-2
71-6-2
21
6
5

I. BAPTISTÆ
MANTVANI
CARMELITÆ, THEO-LOGI, PHILOSOPHI,
Poëtæ & Oratoris clariſ-ſimi Operum

TOMVS SECVNDVS.

Cum Indice librorum, qui hoc Tomo comprehenduntur.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

SOC. IESV BIBL. SEC. COL. ROM.

ANTVERPIÆ
Apud Ioannem Bellerum, ſub inſigni
Aquilæ aureæ.
1 5 7 6.

CONTENTA

Parthenices prima quæ Mariana inſcribitur Lib. III.	Fol. I.
Ad B. Virginem Mariam Votum poſt febrim accerrimam	54
Ad eandem Virginem pro extinguenda peſtilentia.	57
Parthenices ſecunda quæ Catharinaria dicitur Lib. III.	62
Parthenices Tertiæ B. Margaretæ Agon	102
Parthenices Quartæ B. Agathæ Agon	115
Parthenices Quintæ B. Luciæ Agon.	121
Parthenices Sextæ B. Apolloniæ Agon	128
Parthenices Septimæ B. Cæciliæ Agon	142
De vita B. Dionyſii Areopagitæ [illegible]	159
De vita B. Georgii Martyris Lib. I.	201
De vita B. Ludovici Morbioli Bononienſis Carmen.	220
In laudem B. [illegible] Baptiſtæ Carmen.	229
In [illegible]ertum Carmelitam Siculum Carmen.	231
Faſtorum Lib. XII. ſecundum duodecim anni menſes digeſti.	234
Vitæ ſuæ epitome ad Poſteritatem.	387

Virtutibus atque ſcientia præſtanti viro, ſacræ Theologiæ profeſſori, M. Ioanni Maierio, per inferiorem Germaniam Carmelitarum Prouinciali, F. Laurentius Cupærus Carmelitanus Montis Gerardi. S. P. D.

Natura comparatum eſt, cui hac in re magno poſtmodum ars etiam adiumento fuit, vt oratio quæcunque, quaque de re inſtituitur, omniſque adeò ſermo quo animi mentiſque conceptum exponimus, aut numeris fiat, qui Græcè ῥυθμοὶ dicuntur, ita vt certa ſyllabarum conſtitutione μέτρα ſint, quæ & Στοιχία. Græci, Latini verſus, carmina & modos appellant, aut ſoluta hac lege libera feratur, quam proſam vocamus, quaſi promiſſam, quòd procedentem nulla compoſitionis neceſſitas ad eandem legem vocet, aſtringat, aut implicet. Sed quanquam liberior hæc interim oratio ſit, & planè, vt dicitur, ſic & verè ſoluta ſit, & ſine vinculis aut retinaculis ipſa ſibi moderetur, clauſulæ tamen eius, vt in calce tertij de Oratore apud Ciceronem grauiter Craſſus præcipit, diligentius ſeruandæ ſunt, vt in certos aliquos pedes decurrant, quos aut choricos, aut heroos, aut alternos eſſe oportebit, aut in pæane illo poſteriore quem Ariſtoteles probat, aut ei pari cretico, quorum viciſſitudines efficient, vt neque ij ſatientur, qui au-

dient, faſtidio ſimilitudinis, nec nos id quod facimus opera dedita facere videamur.

Ac fuêre quàmplurimi illuſtriſſimæ eruditionis viri qui in vno huiuſcemodi ſermonis genere claruerunt. Marcus enim Tullius Cicero imprimis extra omnem controuerſiam linguæ Latinæ parens, in oratione ſoluta omnes omnium ſæculorum ſcriptores tantum excelluit, vt ſi Eraſmi Ciceroniano credimus, ad hunc nihil ſacrũ ſatis, nihil ſatis elimatum eſſe poſſit, cui Cæſarem quoque Salluſtium et Liuium ſubiungi debere equidem exiſtimo, reliquos verò innumerabiles oratoriæ eloquentiæ viros curioſulis dijudicandos relinquo. Hoc duntaxat obiter interim addo, Chriſtianæ profeſſionis noſtræ etiam magno & excellenti ingenio permultos eſſe viros puros, terſos, quorum dictio facillima quia perſpicua, quibus nihil eſt aſperum vel hiulcum, nihil durum, nihil anfractibus fragoſum, nihil hyperbatis impeditum, æquabilia vniuerſa ac plana, ſed interim acuta, quorum compoſitio iure reprehendi nequeat, in his B. Hieronymus, Lactantius, Cyprianus, & cõſimiles permulti: adeò vt Tulliani manes in horũ ſententiã porrecta victoriæ herba iãdiu cõceſſuri fuerint, & miſſo gentiliſmo verum Deũ vero cultu ſine errore veneraturi fuerint, ſi in ea incidiſſet tempora, quibus non multo pòſt hi floruerunt.

Alterum porrò nempe pedeſtris orationis genus exhibuêre nobis opidò quàm exactè Virgilius Maro atq; Ouidius Naſo, quibus P. Terentium Comicum propter Romanæ linguæ caſtimoniam, quem Cicero in ſinu & manibus ſemper propemodum geſtaſſe dicitur, coniungendum

gendum non abſre dixerim. Atqui ne Chriſtianis ſuos Poëtas deeſſe quis credat, iuxta hos ethnicos vaniloquos, maximo iure Iuuencum, Prudentium, Sedulium Chriſti myſtas colloco, quòd hi quoque dum heroo cothurno Chriſtum celebrant, ſuâm laudẽ & gloriam ſunt conſequuti nunquam intermorituram, vt interim prætersam Ambroſium, Gregorium, Fortunatum, Paulum Diaconum, alioſque non paucos.

Verum enimuero qui vtrumque genus orationis, liberæ inquam, & legibus metricis ſubiectæ apud ethnicos feliciter attigerit non temere, ni fallor inuenias: quinimo quanquam non omnia poſſumus omnes, & nulla eſt bona quæ ferat omnia tellus: Chriſtiani tamen hac in parte præſtamus ethnicis, qui & oratoriæ & verſificatoriæ dictionis iuxta doctos feliceſq; ſcriptores habemus Lactantium, qui proſa VII. *diuinarũ Inſtitutionum libros, librumq; de Ira vnũ, & de Opificio Dei vnũ conſcripſit, verſibus verò Phœnicem, Paßionem Domini, & carmen de eiuſdem Reſurrectione conſcripſit. Præter hunc etiam L. Annæum Senecam tam familiaribus epiſtolis proſaicis, quàm tragœdijs clarum habemus, niſi duos fuiſſe Senecas, quod quidã credere malũt, aſſeueremus. Cæterùm extra omnẽ dubitationẽ Seuerinũ Boetium oratorem & poëtam nacti ſumus clarißimum, qui ſub annum domini DXXIII. à Theodorico Arriano Italiæ rege apud Ticinum cum ſocero ſuo Symmacho in carcerem coniectus, eoq; Chriſti martyre facto, illic de conſolatione Philoſophiæ, partim proſa, partim verſibus ſcripſit, quo libro ſoceri ſui viri ſanctißimi laudes com-*

memorat, quamobrem conſulatu Probi iunioris etiam Boëtium Rex interfecit.

Cæterùm & hunc et illos deſumpto iã proſæ iã carminis graphio Baptiſta Mãtuanus, qui ſæculo poſt Chriſtũ decimoquarto exeũte floruit, nõ modò eſt aſſequutus, ſed etiã poſt ſe reliquit, qui quidquid mẽte cõcepiſſet, vtroq; hoc orationis genere expreßit optimè, vt quoties ſeſe animo et volũtate cõieciſſet in verſum verba ſequerẽtur.

Sponte ſua numeros carmenque veniret ad aptos:
Et quod tentaßet dicere, verſus erat.

Sane non aliter quàm Antipater ille Sidonius Ciceroni tantopere laudatus, qui ſolitus eſt verſus hexametros, aliosque, varijs modis atque numeris fundere ex tempore ſemper, ita quoties Baptiſta noſter ſoluta oratione voiuiſſet vti, opidò quàm diſertè mentis cogitata eloqueretur, neque id tenui duntaxat & ſine neruis orationis habitu, ſed ſubmißiore interim alibi, alibi ſublimiore & pleno, nõnunquam etiam illo qui particeps vtriuſque generis quadam mediocritate laudatur. Tenuit etenim omnem antiquitatem exemplorum vim, neque legũ interim aut Iuris ciuilis nec Medicinæ ignarus fuit: ſed Theologiam ex profeſſo triuit, ita vt ex illa primum philoſophiæ parte quæ Logice appellatur, quæq; eſt verborum, orationisq; atque argumentationis plena cognitio (fuit enim Latinè, Græcè, & Hebraicè iuxta doctus) ad eam quæ de rerum natura differit, hinc verò ad eam quæ de moribus, ex qua ad primam illam philoſophiam, quam Metaphyſicen Græci, nos ſupernaturalem & tranſmundanã, in qua de Deo & rebus incorporeis

reis diſſerit Ariſtoteles, atq; ex hac demũ ad Chriſtianã Theologiam, quam & numeris omnibus abſoluit, gradum ſibi parauerit, quod libri quos tibi offero P.R. perſpicuum facient. Nam in Parthenicis, Faſtis, & alijs huic ſecũdo Tomo inſertis, quàm varium & elegans videre eſt artificiũ Rhetoricum, quàm accuratè ſuis verſibus homœoſes, hypotypoſes, proſopopœias, metaphoras, comparationes, amplificationes, aliasq; id genus figuras quaſi emblemata et lumina quædam inſpergit: quàm verè iuxta atque piè incorruptos illos primitiuæ naſcentis Eccleſiæ Chriſtianæ mores ob oculos nobis ponit, grauiterq; noſtrorum temporum corruptelã caſtigat, & quis purus ſit cultus Numinis commonſtrat.

Porrò ſtudium hoc atq; officiũ offerendi Præſtantiæ tuæ hunc Tomum ſecundum, pro plurimis tuis erga me beneficijs, vt gratũ ſit, etiam atq; etiam oro & obſecro. Theodorus quidem Pulmannus vir tam in præcaſtigandis exẽplaribus, quàm in formis corrigẽdis lõgè ſolertiſſimus, magno fuit huic operi adiumento, ſed ego quia in ordinem meliorem digeſsi Mãtuani Patris noſtri libros, pluribusq; locis partim ex vetuſtis codicibus, partim ex ingenio diligenter reſtitui, & quia apud oẽs omniũ ordinum ac gentiũ mortales cõmuni lege ſenſuq; receptũ eſt, vt filij, qui patrũ ſuorũ legittimi hæredes ſcribuntur, debitã ſibi hæreditatem adeant, quin hoſce Patris noſtri labores iã denuo euulgandos alicui Patrono dedicẽ, præſertim tibi, nullo equidẽ iure, vt autumo, prohibebor. Vale ſoſpes: Antuuerpiæ ad Scaldim anno. CIↃ. IↃ. LXXVI. Kalẽdis Februarijs, Calculo Rom.

† 4 BAP-

BAPTISTÆ MANTVANI CARMELITÆ, THEOLOGI, PHILOSOPHI, Oratoris & Poëtæ clariſsimi, Epiſtola Dedicatoria

AD LODOVICVM FVSCARIVM, ET Ioannem Baptiſtam Refrigerium, viros integerrimos, quibus Parthenicen Marianam dicat, dedicatque.

LIbellum meum, cui quòd Mariæ Virginis hiſtoriam cõtinet, Parthenice titulus eſt, duorum annorum lucubrationem tibi Lodouico & Ioanni Baptiſtę Refrigerio dicare, & ſub veſtrorũ nominũ inſcriptionibus edere conſtitui. Et ne quis hoc ab re & temerè factũ exiſtimet, cauſam breuiter explicabo. Nuper in Cœnobium noſtrum diræ peſtilentiæ immiſſo veneno, toti vrbi cœperamus eſſe timori, pellebamur non à colloquio tantùm, verùm & à conſpectu hominum, & ab omni humano commercio, tanquam Baſiliſci, qui ſolo viſu noxij dicuntur, longè prohibebamur. Attoniti eramus, lababant genua, nutabant animi, domi mors imperabat, foris brumale frigus, quotidiè pluuiæ, annonæ caritas, &

publica

publica fames, bellorum ſtrepitus, hominum ſaluti ſuę conſulentium ſeuera cuſtodia, aqua & igni interdicti videbamur, vndique timor, vndique calamitatum confertiſsima acies aduentare nunciabatur, intercluſi eramus, nec vlla videbatur euadendi via, omnia mortem intentabant, & erat vna ſalus miſeris nullam ſperare ſalutem. Tu cum Refrigerio noſtro (credo à Deo miſſus) in atra denſiſsimæ noctis caligine cæcutienti mihi tanquam cum aurora matutinus lucifer diem aperuiſti, ſpem vitæ confirmaſti, xenia miſiſti, in amplas ac magnificas ædes tuas hoſpitio me ſuſcepiſti, lautiſsimè & elegantiſsimè pauiſti. Nec (qūod magis miror) videbaris hæc tanta peregrino & hoſpiti præſtare, ſed parenti, ſed Deo ipſi, nullum clementiæ, nullum miſericordiæ, nullum liberalitatis officium prætermiſiſti, omnia omnium virtutum munera mihi ritè perſoluiſti. Erat mecum Frater Petrus Neuolarius calamitatum mearum ſemper fidiſsimus comes, & Bernardinus Tridinus, qui beneficiorum veſtrorum magnitudinem admirantes, ſæpius aiebant, ſe (niſi oculis vidiſſent) nunquam crediturōs, in hoc corrupto ſeculo tantum in quoquam ſupereſſe virtutis. Vos calamitatem meam in fœlicitatem conuertiſtis. Vos mihi quod Diomedi Daunus, quod Vlyſsi Alcinous, quod Euander Aeneæ, quod progenitori noſtro Heliæ fuit Sareptana mulier, quod Chriſto Zachæus & Lazarus. Et proculdu-

bio Lodouice, mihi hæc omnia conſideranti verum videri poſſet, quod vulgò fertur, tuam ſcilicet gẽtem ex antiqua illa ſtirpe Romanæ virtutis propagatam, & à Fuſco quodam, qui tum ærario præerat, cùm Romanorum colonia Bononiam miſſa eſt, nomen & genus accepiſſe. Huic tam claræ origini cognomen adſtipulatur, atteſtatur antiquitas tua, & tuorum maiorum dignitas reſpondet, tuorũ & morum integritas, & publica fauet opinio. Quis enim non credat tam claræ præſtantiq́ue familiæ egregium aliquod fuiſſe principium? Facilè igitur & ego in hanc ſententiam venirem, niſi altera verior tuæ gentis conſtaret origo. Nam populi Bononienſis annales & diaria perſcrutantibus, euidens eſt tuam fuiſſe vnam ex ijs nobilibus potentibusq́ue familijs (ſic enim illas appellant) quas poſt miſerabilem patriæ tuæ ſtragem & deplorandam euerſionem, ad inſtaurandũ vrbis decus Lotarius Imperator Bononiam miſit, ſed hanc originem omnium victrix obſcurauit antiquitas. Digniſsima & proculdubio venerandæ maieſtatis fuit hæc origo gentis tuæ, ſed longè maioris gloriæ ſplendorisq́; eſt tot præſtantium ciuium (vt ſtemmata docent) feraciſsimam fuiſſe, tot præclara virorum ingenia tuliſſe, tot virtutibus quaſi ſtellis quibuſdam claruiſſe, tot laude dignos nepotes progenuiſſe, quorum quidam non ad minutarum ſordidarumúe, ſed maximarum & Reipublicæ valdè vtilium re-

rum

rum negociationem ſe contulere, & ſumma fide, diligentia, ſolertia, patrimonium amplificantes, nouas ædes extruxerunt, extructas expoliuerunt auxeruntque, fundos comparauerunt, diuitijs opibusque longè lateque reſplenduerunt, quarum partem inopi, partem templo, partem ſuis opportunè ponentes, optimorum ciuium, pijſsimorum Chriſtianorum ſibi meritò nomen acquiſiuerunt. Quidam ſumma cum gloria legum ſtudia ſequuti non ſuo tantum, verùm & futuro ſeculo mirum in modum profuerunt, qualis Egidius fuit, cuius adhuc in Diui Dominici Cœmiterio marmoreum ſepulchrum magnis extructum impenſis oſtenditur. Fuerunt complures alij, quorum quum oportuit opera & conſilio Reſpublica vſa eſt, & qui ſumma pietate patriam complexi, res præclaras prudenter fortiterque geſſere, qualem Pomeum perhibent equitem auratum, & Iure conſultiſsimum, rerum humanarum diuinarumque peritiſsimum. De cuius acri ingenio, ſtrenuitate, facundia, & in omni priuato publicoque munere præſtantia, quotidie apud maiores natu cum admiratione ſermo eſt, & omnium qui eum nouerunt iudicio, ſummum patriæ decus fuit, & ornamentum. Extant apud te, Lodouice, commentarij complures orationum, diuerſis in legationibus ab eo ſcitè, doctè, ſapienterque habitarum, in quibus diſciplinarum omnium ſacrarum præcipuè ſcripturarum cognitio, ingens dicendi

dum vehementia, & immenſa patriæ charitas eluceſcit. Ex tam claris igitur fontibus non potuerunt niſi optima flumina deriuari: Nec mirum eſt te virtutum amatorem, & cultorem eſſe probitatis, quæ tui generis radicibus incocta eſt: propterea nec per longi temporum ſpacia, nec per mala huiuſce vitę noſtrę cōtagia potuit eneruari. Eſt profectò (vt videre videor) magnum virtutis adiumentum claris ortum eſſe parentibus. Solent enim iuuenes, qui aliquid indolis habent, ne degenerare videantur, maiorum ſuorum dignitatem æmulari, & ad paternarum laudum aſpirare fœlicitatem: ſic Philippi nomen Alexandrum, ſic maioris Aphricani gloria minorem Scipionem, ſic Cæſaris Iulij fama Octauianum excitauit, ſic denique Pyrrhus Achilleides animoſus imagine patris. Te quoque Lodouice, quanquam Deo & natura ducente, tuisque annitentibus ſtudijs virtutem amas, non parum anteceſſorum tuorum te iuuare poſſunt imagines, quorum mores æquare vt arduum & difficile: ſic certè & pulchrum eſt, & laudabile. Te verò Refrigeri ſilentio præterire non poſſum, ne tuorum in me meritorum, quæ propè infinita ſunt, oblitus videar. Scribam igitur quæ & neceſsitudinis noſtræ fuerint exordia, & eiuſdem perpetuò conſeruandæ ſint munimenta. Ex eo tempore quo primùm Bononiam veni, ſemper animaduerti te grauitatem, vitæque honeſtatem, cum optimis litterarum ſtudijs, ſic coniunxiſſe

iunxiſſe, vt facilè conijcere poſſem, te in optimum & præclarum virum breui euaſurum, quod rei comprobauit euentus. Nam ad præſens nec meliorem, nec eloquentiorem ciuem te habet feraciſsima præſtantium ingeniorum Bononia. Tu Pompeianæ magnanimitatis, Catonianæ integritatis æmulátor, tanto patriæ tuæ factus es ornamento, vt de te dici poſsit illud Maronis noſtri.

Vitis vt arboribus decori eſt, ita vitibus vuæ.
Vt gregibus tauri, ſegetes vt pinguibus aruis,
Tu decus omne tuis.

Extant enim plures abs te editæ orationes & epiſtolæ Ciceronianam maieſtatem redolentes, ex quibus quantum ingenio & doctrina polleas, facilè dignoſci poteſt: vnde nec ſine magna animi voluptate eas legere ac perlegere poſſum. Extant & Poëmata tua, quæ Tuſca lingua plurima compoſuiſti, tanto ornatu, tanta venuſtate, tanta fœlicitate condita, vt & mihi & omnibus quibus vſui ſunt, in miraculo habeantur. Taceo tuam in patriam pietatem, & in amicos fidem & conſtantiam. Placuit mihi ſemper in primis tua in Deum Optimum ſancta religio. Sæpius quidem ſacra loca & Cœnobia adis, Dei bonos ſeruos colis & veneraris. Placuit item quòd parentem tuum peritiſsimum olim Phyſicum, qui Auicennam & Hippocratem dum viueret publicè interpretans, Medicinam florentiſsimè docuit, incredibili quodam ſtudio & pietate ſemper obſeruaueris. Prętereo

reo

reo ſplendidas affinitates, partos in patria & extra honores: hæc enim quoniam fortunæ bona ſunt, nec quenquam meliorem faciunt (licet ſecundum Peripateticos ad humanæ fœlicitatis cõſummationem faciant) nunquam ad amandum quempiam me allicere potuerunt. Sed vt ſermonis noſtri principio finis conſentire videatur: vnde digreſsi ſumus reuertamur. Beneficia nuper à vobis in me collata recenſebam, vt non leuem fuiſſe cauſam oſtenderem quæ ad præfati libelli mei donationẽ, & ad hoc tenue gratitudinis munus me adhortata eſt, illorſũ noſtra tendebat oratio. Solebant Romani veteres eum qui ciuem ſeruaſſet in bello, corona quæ Ciuica dicebatur inſignire, quòd ſi apud eos tantus honor erat, qui alium ſeruaſſet, quãti ego, ne ingratus ſim, te Refrigeriũq; facere debeo, qui nõ conciues meos & fratres tantum, ſed meipſum, Deo monẽte viamq; monſtrãte, ſeruaſtis? Decorari vos oportet hac noſtra, etſi paupere corona, tamen quod à generoſa mente proueniat, digna quam læta fronte & tranquillo vultu accipiatis, quæ cœleſtis & veræ beatitudinis vobis ſit præſagium, virtutum veſtrarum monumentũ, & amicitiæ noſtræ pignus immortale. Ab ineunte ætate cùm ſub paternæ diſciplinę cura educarer, & poſtquam ad ſancti montis Carmeli ſeueritatẽ me contuli, vbi inter viros qui Heliã Heliſeumq; Prophetarum ſanctiſsimos exprimere conantur, iam diu vixi, ſemperque ac-

cepi

cepi, beneficiorum acceptorum nullo pacto decere memoriam amittere, ſed oportere de reſeruanda gratia ſemper cogitare, & nunquam obligationem diſsimulare. Quantas igitur potero gratias referam, quas ſi referre negabit inopia, verbis agam, ſin agere nequiuero, ſaltem habebo. Ad præſens ergò munuſculo iſto contenti eritis, quod vobis tota mentis intentione dico, facturus multò ampliora ſi poſſem. Valete.

D. ERASMVS ROTERODAMUS, Iacobo Vuimphelingio ſuo Salutem dicit.

VIVIMVS, valemus, tui meminimus, te amamus omnes, & ſi tuo fiat commodo, aduentum quoque tuum expectamus, Nouum teſtamentum iam ad metam properat. Hieronymus bellè procedit. Demiror iudicium Sapidi. Iuro quiſquis is fuit, qui hoc illi perſuaſit, nihil illo ineptius. Malim hemiſtichium Mantuani, quàm treis Marullicas myriadas. Cura vt reualeſcas, & podagram vnà cum ſcabie profliges. Scripſeram Abbati Volſio, verùm Epiſtola periÿt, neſcio cuius culpa: Scripſi ne querereris me non ſcripſiſſe. Benè vale, ſalutat te cœtus omnis doctiſsimus, me excepto, tuique amantiſsimus, me non excepto. Baſileæ poſtridie Purificationis. Anno XVII.

Ioannis Gallinarij ad Lectores carmen, vt miſsis Gentilium poëtis, Baptiſtæ Mantuani lectionibus Chriſtianis fructuoſioribus intendant.

DIuerſum eſt hominis ſtudium, diuerſa voluptas,
Qui Phœbi Muſas, Mnemoſinenq́; colit.
Hic Colophoniaci numeroſa volumina vatis,
Hic legit Aſcræi carmina terſa ſenis.
Vultq́ue Sophocleo poſt intumuiſſe cothurno,
Et leuibus ſoccis ſcommata multa ciet.
Hic voluit docti præfulgida ſcripta Catulli,
Battiadæ hic molli carmina facta lyra.
Alter amat miſerum, quem Cynthia cepit ocellis
Hic legit, aſsiduo quem tenet igne focus.
Hic Mitylenæo chordas intendere plectro
Concupit, & cithara concinuiſſe leui.
Hunc Peligneo iuuat indulgere Naſoni,
Et curis Coi Callimachique viri.
Horrida grandiloqui ſtudet hic poſt bella Maronis
Papinij ſiluis, Thebaidemq́ue capit.
Prælia Theſſalicis hinc alter luſtrat in aruis,
Et Libycum in Latios Annibalem iſſe viros.
Hic demum placida Iuuenalis dogmata mente
Rimatur, numeros & Venuſine tuos.
Tu mage Chriſtiſonis animum oblectare poëtis,
Diſcas & caſtos perſtrepitare modos.
En Baptiſta pio trahit aurea penſa ſuſurro:
Et telam Attalicis texuit ipſe notis.
Quæ ſacra Parthenices Mariæ, quæ geſta recenſet
Coſtidis, & noſtro monſtra fuganda ſolo.
Inſeruit magnæ præfulgida regna Cybelles,
Cuncta per ætherias pinxit & aſtra vias.
Et, veterum monumenta virum memoranda canendo,
Perdidicit radijs inſinuare ſuis.
Nullius eſt expers moris, non vllius artis:
Diuina credes hunc cecinisse tuba.

FINIS.

BAPTISTAE MANTVANI CAR- melitę Theologi

PARTHENICES PRIMAE LI- ber primus.

*AD LVDOVICVM FVSCARIVM ET IO-
annem Baptiſtam Refrigerium Ciues Bo-
nonienſes.*

SAncta Paleſtinæ repetens exordia Nymphæ,
Difficiles ortus, & formidata profundo
Incrementa Ioui, mores, hymenæaq; feſta
Virginis, & ſacri referam miracula partus,
Actaq;, & acceptos mundi melioris honores.
Sed neq; pierij fontis: neq; phocidis vndæ
Nunc vada ſunt tentanda mihi, maiore camœna
Et maioris opus nunc eſt ope numinis: ergo
Tu mihi diua faue cœlum cui militat omne,
Quam trepidant erebi ſedes, cui terra fretumq;
Vota precesq; ferunt, noſtro tu ſola labori

Sis præſens,operiq́; tuo largita futuro
Præſidium,noſtræ veniens illabere menti.
Tu licet à noſtro ſpacijs ingentibus orbe
Diſiungare,ſuos quantum polus eleuat ignes:
Non tamen humanos caſus oblita,tuumq́;
Nil per te ſa genus,vigili mortalia cura
Suſcipis,& lachrymæ tangunt tua pectora noſtræ.
Tu placidum terris ſydus,quod liberat omnes
A pelagi feruore rates,quod luce benigna,
Saturni Martisq́; graues eliminat iras.
Tu nobis Elice,nobis Cynoſura per altum
Te duce vela damus portus habitura ſecundos,
Tu mare,tu ventos,tu ſydera cuncta,Deumq́;
Concilias,tu tuta ſalus,tu pacis origo,
Tu commune bonum,generis tu gloria noſtri,
Huc ades,& cœptos præſenti numine curſus
Dirige,& infirmam rege per vada cærula puppim.
ANna diu vanos ſecum plorauerat vſus
Connubij ſterilemq́; thorũ,triſtemq́; hymenæum
Propterea duplicesq́; manus,frontemq́; ſupinam
Attollens,humili ſuperos ita voce precata eſt.
Numina,quæ regitis cœlos,quæ voluitis aſtra
Vos penes eſt genus omne boni,vos omnia rerum
Semina ſeruatis,gremium telluris inane eſt,
Et ſine fruge ſolum niſi ſumat ab æthere vires.
Siue per aſtrorum curſus,radiosq́; calentes,
Siue Dei ſolo(qui temperat omnia)nutu,
Venimus ad canos frigeſcentemq́; ſenectam,

Et

Et noſtræ ſine prole dies abiere iuuentæ,
Longa infœlicis thalami conſortia ſine
Claudimus infauſto, vir pluribus exulat annis.
Conſpectus hominum fugiens, domus orba magiſtro
Fluctuat amiſſo ceu nauis in æquore clauo.
Currimus in fatum, tacitisq́; recedimus annis,
Mortuaq́; ætatis pars eſt iam maxima noſtræ:
Pallida præteriti ſpacium mors occupat æui,
Quod ſupereſt expectat hians, iam plena meorum eſt
Terra cadaueribus, conſanguineosq́; ſepulchra
Vix capiunt, ſoli ſteriles ſeruamur in omne
Dedecus, & certe breuis eſt felicior æui
Conditio. primo Deus indulſiſſe parenti
Creditur, & fragili bene conſuluiſſe ſenectæ,
Quum vetuit primos iterum decerpere fructus,
Et fruges guſtare quibus produceret annos.
Nam quid longa dies homini niſi longa dolorum
Colluuies? longi patientia carceris ætas
Longior, eſt curſus vitæ labyrinthus, in ipſum
Ex vtero ingredimur, per limina mortis abimus,
Iam capulo inſtamus, nec adeſt, qui lumina claudat
Oſſaué componat tumulo, tepidisq́; ſepulchrum
Fletibus irroret, nobiſcum it tota ſub vmbras
Progenies, nec erit noſtris qui marmora ſignet
Nominibus deſerta domus tabeſcet, & iſtas
Longæui ſudoris opes, quas legimus ambo
Pluribus obſequijs, hæres ignotus habebit,
Nobiſcumq́; cadent noſtri monumenta laboris.

Cernite communes amborum numina curas,
Et ſeruate genus, cernant ſe in ſtirpe parentes,
Et ſua natorum videant in vultibus ora:
Sint qui nos facie referant, geſtuq́; nepotes,
Progeniemq́; ſuam noſtro de nomine dicant.
Sint qui nos proauos numerent, & ſtemmata longo
Limite deducant, iterataq́; nomina ponant.
Pignora longæua concedite numina matri,
Quæ celebres ad veſtra ferant altaria cultus,
Pinguibus & priſcum donis imitentur Abelem.
Sæpius à vobis hoc exoraſſe precando
Antiquas eſt fama nurus: & ſupplice voto
Collapſum genus, atq; domos ſeruaſſe cadentes:
Sic alacer Samſon, ſic & formoſus Ioſeph,
Sic puer Iſaacus ſatus eſt, & filius Annæ,
Qui primum liquido Regem perfudit oliuo.
Talibus orabat ſterilis, gemituq́; ſonoro
Crebra dabat longos inter ſuſpiria planctus.
Audijt omnipotens, animumq́; in vota preceſq;
Flexit, & infuſo caluerunt viſcera fœtu.
Cœpit & humanos paulatim ſumere vultus
Semen, & in noſtram ſenſim tranſire figuram.
Vt quum vere nouo tepefacta roſaria multæ
Veſtit frondis honor, primum dureſcit in orbem
Folliculus, barbaq́; comam producit acutæ.
Mox inflare ſinus, tunicasq; implere virentes
Incipit, & concreta diu ſub corticeproles
Turget, agens rimas tenues & vertice ſummo

Purpureas

Purpureas oſtendit opes, rubicundaq; labra.
Poſtremò quùm pulchra ſuos aurora colores
Explicat, & vitreum glomerant noua gramina rorem,
Panditur omne decus, valuiſq; emiſſus apertis
Flos hiat, & læto arridet venientibus ore.
Sic noua progenies vtero congeſta parentis
Emerſit non tota ſimul, ſed ſingula certo
Diſcreuit formans opifex Deus ordine membra.
Cor primum, ex illo quoniam deſcendit in artus
Vitalis calor à pleno ceu flumina fonte.
Illic prima domus vitæ, poſtrema per illud
Diſcedens terris animus veſtigia ponit.
Tum ſuperum pater illius procul ire caducas
Iuſsit ab hoſpitio curas, habitacula dixit
Spiritibus, dulcemq; mihi ſeruate receſſum.
Mox cerebri concreta domus, quæ plena pudicis
Creuit imaginibus, caſtoq; imbuta pudore.
Os roſeum ſine labe dedit, frontiq; decorem
Sydereum, & lætos formæ cæleſtis honores,
Ambroſiaq; comas tinxit, mox vbera pectus
Protulit, in teretes humeri fluxere lacertos,
Ramoſaſq; manus, quas hac pater imbuit arte,
Vt ſolos fierent habiles pietatis ad vſus.
Hæc ſunt membra quibus diuinæ mentis imago
Cernitur humanis animis impreſſa, quibusq;
Omne opus æthereo dignum tentamus olympo.
Inferiora magis pecudum ſeruare videntur
Naturam, moresq; feros, tamen omnia ſemper

Officijs habuit ſanctis accommoda virgo.
Non tam multiplici diuorum munere, non tot
Delicijs, non tam grato Pandora decore
Claruit, aſcrei cantu celebrata poëtæ.
Sic ope cœleſti quamuis humana negabat
Materni ſoboles inijt tentoria ventris.
Omne quod excellens opus, & ſublime futurum eſt
Difficiles ortus habet, incrementaq; tarda.
Sic iunco nemus alcidæ, ſic tardior exit
Populeis abies ramis, ſic abiete pinus
Segnior, & pino longè viuacior ilex
Et robuſta larix igni impenetrabile lignum:
Nam magis opprimitur partu natura potenti,
Plusq; operæ impendit, grandi ſeu pondere preſſa
Plauſtra gemunt magis, & magno ſub vomere taurus
Sudat, & obluctans vires labor haurit onuſtas,
Sic opus in longum differt, finiq; reſiſtit.
Aſt vbi naturæ diuum ſuperaddita virtus
Adiuuat, vt remis lembus fugit actus & aura,
Sic leuis ad metam prono patet orbita curſu.
SEd quia longæuam fecit diſcordia litem
Aſſimilemq; iugi loris, quæ Gordius olim
Nexuit atq; Iouis phrygij ſuſpendit ad aram
Dedaleæq; domus errori Paſiphaæo,
Conceptus ne ſacer fuerit, vel ſorde paterna
Illitus, antiqui referam certaminis orſum,
Et ſobolis noſtræ infelix repetetur origo.
Quom pater humentes redigens in corpora glebas

Vitalem humanos auram ſpiraret in artus,
Vt noua progenies pugnam tuta iret in omnem
Vltra animi claras dotes & corporis arma
Iuſtitiam cœleſte decus ſuperaddidit, vnde
Et fati rigidas leges, & funera poſſet
Vincere, & ambroſia veſci, ſummoq; potiri
Aetheris hoſpitio, ſuperumq; aſſueſcere menſis,
Sed poſtquam vetitas fruges, & noxia mala
Vipereis decepta dolis admouit adora,
Mox aſtræa domos hominum perteſa, rediuit
In regnum ſublime patris, miratus Olympi
Tam celerem reditum dominus, quare (inquit) ad arces
Sidereas mi gnata volas, terramq; relinquis?
Illa, pater fallax hominem deluſit imago
Dixit, & à tectis egreſſa rebellibus adſum,
Tum genitor meditans reſecare piacula tanta
Fraudis, ait, careant poſthac cuſtodibus iſtis.
Blanda patrum ſegnes facit indulgentia natos.
Iuſtitia nudi diſcant ſudare, famemq;,
Et diuturna pati ieiunia, frigus & imbres
Seruitium, & fati ſortem experiantur amaram:
Vexati ſapient, iocunda & amabilis æſtas
Poſt brumam, & ianos ſteriles, gelidosq; decembres
Dulcior eſt, quid ſint tranquillæ commoda pacis
Ferrea bella docent, homini labor vtile ſemper
Calcar erit ſegni, pigros rubigine ſenſus
Ocia corrodunt, ſopitaq; pectora torpor
Noxius obliquat, ferrum ſi tranſit in vſus

 Aßiduos

Aſſiduos ſplendore micat, vultuq; nitenti
Audet ad argenti decus aſpirare ſuperbum.
At ſi longa quies ierit fuſcatur, & atram
Vertitur in ſcabiem, celeriq; abſumitur æuo.
Inter multa hominum fata infœlicia, damno
Non erit hoc minimo, triſtem ſperata, ſuperbum
Iam præſens, amiſſa facit fortuna dolentem.
Hæc pater, & mortem, mox implacabile monſtrum
Hactenus obuinctam textis adamante cathenis
Carcere diſſoluit cæcoq; emiſit ab antro.
Cui terris regna ampla dedit, pelagiq; per vndas
Atq; per aërios tractus, raroſq; per ignes
Quos phœbi germana ſinu complectitur amplo,
Et quædam ſcythicis chalybum durata caminis
Tela dedit, quædam lernæo infecta veneno.
Nec ſatis hæc, aliud telum letalius addit,
Nam gladij roſtrum, caudamq; trigonis aquoſi
Qua quondam magno fatum intentauit Vlyſſi
Thelegonus Circes vſus fatalibus armis,
Præfixit iaculis, ſtygiaq; extinxit in vnda.
Mox iecur exemit monſtro, præcordia bile
Cærulea infecit, celereſq; innexuit alas.
Hæc fuga iuſtitiæ noſtris mala cuncta diebus
Intulit, hæc abiens nobis monimenta reliquit,
Quæ patres ab auis, & nati à patribus omnes
In ſeriem mittunt per ſæcula longa nepotum.
Hoc vitium prima veniens ab origine ſumpſit
Pomitis & duri nomen crudele tyranni.

Nam ſcelerum accendit flammas, & colla ſuperbis
Imperijs humana premit, cocytidas vndas
Letheoſq; amnes ſpargit, ſtygiumq; venenum.
Hos ſuperum facit immemores, curaſq; nocentes
Ingerit, his animos audacibus incitat auſis,
His phlegethontæas iras inſpirat, olentem
Cyprigenam, fraudum matrem, cui cuncta veneni
Nota miniſteria & phœbeæ carmina Circes
Semper habet comitem, primæ hæc diſcrimina culpæ.
Propterea magnum dixêre Promethea vates
Dum ſtudet æthereis furari è nubibus ignem
In noſtras traxiſſe domos morbumq́; necemq́;.
His igitur ne membra malis obnoxia ſanctæ
Parthenices eſſent iſta pater obſtitit arte.
Ante tener ſacra fœtus quam viueret aluo,
Conceptus ne prima nouos exordia pullis
Induerent maculis, mens ne ſyncera, nitenſq́;
Communem imbiberet labem, ne pigra liquore
Pectora lethæo fierent, quæ lactea magno
Pabula & amplexus fuerant latura Tonanti,
Semine confuſas ſordes, & virus inuſtum
Diſſecuit, fœlici anima mox imbuit artus.
Sunt tamen audentes contra ſentire, nec illos
Incuſamus. habent quo ſe tueantur, & olim
Iſta hominum communis erat ſententia, verum
Iam ſenio exangui frigens ſua robora ſenſim
Perdit, & amiſſa iam maieſtate recedit
Sponte ſua, cedit q; nouo Latonia Phœbo.

At quoniam ſacra legis de fontibus hauſta
Creditur, ex omni nondum eſt exploſa theatro.
Iudicio necdum ſancti damnata ſenatus
Qui vaticani Romana palatia ſaxi
Et piſcoſa regunt ſulcantem cærula puppim,
Sed prior (vt nobis æquum ſentire videtur)
Dignior eſt, & grata magis nato atq; parenti.
Nam legi aſſurgens Mariæ decus addit, opuſq;
Materna dignum attribuit pietate tonanti.
Adde q̄ & multis fert adiumenta fidemq;
Roborat infirmam, nam nec veniſſe ſub aluum
Sorde laborantem tali ſublimia cœli
Numina nonnulli ingenio præſtante putarunt.
Religio maior, pietas animoſior, iſtam
Conſummata fides legumq; peritia fecit.
Altera verborum textum & faſtigia tantum
Summa videns, abſtruſa Dei myſteria neſcit.
Quodſi ſiderei tanto ſplendoris honore
Fulget, vt æterno qui temperat ordine mundum
Geſtarit gremio, lactauerit vbere dulci,
Strinxerit amplexu, ſummoq; vocarit Olympo,
Quare illam in noſtras opus eſt detrudere ſordes,
Et turpi infeſtare luto? mortalibus æquas
Cui pater æthereas mentes ſubiecit & aſtra?
Scrutandum potius ſi quæ præconia iungas
Eius ad inuentas per plurima ſæcula laudes,
Nulli adeò viuax animi ſolertia, nulli
Tam fœlix aderit florentis gloria linguæ.

Vt Mariæ poſſit laudes æquare loquendo.
Quæ data ſunt illi nunquam mortalibus vllis
Antea conceſſit nec poſt concedet Olympus,
Quoduis creta ioui Chorybantia cymbala pulſet,
Feſtaq́ thyrſifero celebrarit græcia patri.
Quod miſeros pelagi nautas ſubtraxit ab vndis?
Cum iam præcipites fluctus aquilonis & auſtri
Viribus aduerſis cœlo æquarentur, & ipſa
Tranſtra per effuſi certiſsima fata tuliſſent?
Quot traiecta graui ſeruauit pectora telo,
Pectora, pæonias quæ non valuere per artes
Reſtitui, nec opis noſtræ poſcentia quicquam?
Quotq́ etiam tetro ſqualentes carcere fractis
Ocyus obijcibus maniciſq́ reſoluit ahenis?
Quot famis exhauſtos macie vix ægra trahentes
Membra, datis cœlo dapibus miſerata reduxit
Robur in antiquum, vireſq́ refudit in artus?
Nec minus ingenti vitiorum mole ſepultos
Infixoſq́ luto & toto tellure iacentes
Corpore, diuini luſtrauit numinis aura?
Propterea totum ſurgentia templa per orbem
Illius immenſam laudem regniq́ perennis
Perpetuos faſces & fine carentia iura
In noſtrumq́ genus ſummum teſtantur amorem,
Ipſa eſt aduerſis commune in rebus aſylum.
Ante preces etiam necdum obſecrata, fauorem
Donat & ad miſeros maternas explicat vlnas.
Quid niuis æſtiuæ pluuias, quid mœnia dicam

Littere

Littore piceno impenſis communibus orbis
Condita, & adriaco conuecta cubicula ponto?
Quid hec fluentinas ædes, delubraq; donis
Aucta peregrinis referam, ſiculiq; ſedentem
Littoribus Drepani molem, qua maximus olim
Cælicolum & legis custos Albertus auitos
Aequauit patres, patriamq; accepit olympo
Et cuſtodit æternum pietatis honorem.
Perpetuos igitur merito ſoluemus honores,
Conceptuſq; die venient ad templa quotannis
Orgia, & æterno Mariæ primordia ritu
Annuus ardentes cultus reuocabit ad aras.
Tum pius hibernum Chiron Titana premebat,
Cui comes in lucem nitidis argenteus alis
Ibat olor, phœboq; ſuos cedebat honores,
Quom fæcunda ſibi concepto ſemine mater
Diuinum illabi cœpit ſentire fauorem.
ET iam ſigniferum nouies luſtrauerat orbem
Lucida maturos ſoluens Latonia partus.
Conuenere nurus, circumfuſaq; iacenti
Mite puerperium matri, dextroq; rogabant
Sydere vitales fœtum prodire ſub auras.
Lætior Eoos proles Hiperionis ardens
Alipedes iungebat equos, poſtremaq; ſancta
Erigones iam regna legens vicina coronæ
Sydera & Alciden geminos qui interiacet angues
Ad ſuperos nigro ſecum reuocabat ab orco.
Portitor hellæus nitido cum Gorgonis ore

Stellata

Stellatæ dux noctis erat, cum piſtrice longo
Eridanus tractu claris lucebat in aſtris,
Quum noua progenies fœlicibus edita fatis
Phœbæam primum lucem, mortaliaq; ora
Vidit & humanæ tranſmiſſo limine vitæ
Decidit in patriam luctus, regnumq; laborum.
Candida, naſcentem mox vt videre puellam
Omnia iocundo fulſerunt ſydera cælo.
Arriſere poli ſummoq; auditus ab axe
Concentus, proliq; nouæ pæana canorum
Argutumq; melos diui cecinere, paternas
Velarunt aulæa domos, pendebat in illis
Longa patrum ſeries, primiq; parentis origo
Et colubri deluſa dolis ſtringebat eburna
Poma manu virgo, gladio paranymphus, & igni
Exilio damnabat auos, adolebat ad aras
Pinguia ſacra puer flamma ſtridente, ſupinos
Tollebat vultus & numina ſancta colebat,
Annoſiq; ſenes ſtabant cum prole, columnas
Vnam perpetui de marmore roboris, vnam
Fictilibus muris plaſtes formabat, aquarum
Flammarumq; minas contra, quia nouerat olim
Ventura excidio terræ neptunia regna
Vulcaniq; graues æſtus, puerile ſecutus
Obſequium ſenior quernæ ſub tegmine frondis
Deplorabat auum, cæco quem fixerat arcu.
Et faber incudem feriens & follibus actis
Aera coquens, ferrum varios conflabat in vſus.

Sola

Sola mari in toto ſuper alta cacumina puppis
Nabat, & imbriferæ paſcebant æquora nubes:
Vitiſatorq; pater miti deluſus Iaccho
Monſtrabat nudum pueris ridentibus inguen:
Primus hic vndoſum ſulcauit nauibus æquor:
Quoduis prima ratis credatur Iaſonis Argo,
Primus hic effoſſa vitem ſupponere terra
Cæpit, & apricis mites de collibus vuas
Tollere, dircæo licet hæc ſit gloria Baccho.
Ardua terrigenæ voluebant ſaxa gigantes
Conati molem ſuperis æquare ſuperbam.
Lanigeras Habraamus oues per littora paſcens
Sacra dabat ſaxoq́; gemens pudibunda ſecabat.
Lætior adducta medi remeabat ab orbe
Cum conſorte puer, cæliq́; ex arce pluebat
Sulphur, & æthereis ardebant ignibus vrbes.
Biſſeni patres longa cum ſtirpe nepotum
Pabulaq; Aegypto ſeruans præſagus Ioſeph
Frigida defuncti referebant oſſa parentis.
Regna nouis fugiens longè perterrita monſtris
Trans mare purpureum nili ducebat ab oris
Dux animo vultuq; pius magno agmine longum
Vulgus, & erecti dirimebant æquora fluctus.
Ipſe dabat ſacros ritus, arcamq; locabat
Legiferam, lateq; arabum deſerta peragrans,
Iuſſq; ferens populo, ſterili de marmore dulces
Eliciebat aquas, optatos arida fontes
Abſorbebat humus, fugienſq; in gramina flumen

Ibat,

Ibat, & obliquo lambebat ſaxa recurſu.
Culmina Panchæos tollebant ardua montes
Turiferiſq; iugis hærentia nubila ſupra
Igne Deus fumoq; latens in vertice ſummo
Scribebat legis duplici noua fœdera ſaxo.
Inuiſam ſuperis gentem ſemenq; ſuperbum
Concaua terribili tellus ſorbebat hiatu,
Clamabatq; ruens iam ſemiſepultus Abiron.
Impia ſublimes vitulos ſtatuamq; bicornem
Turba Deum mentita, manus tollebat & ora.
Strenuus indigenas populos abigebat Ieſus
Parta ſuis æquo permenſus limite regna.
Inde ſenatorum turbam regeſq; togatos,
Atq; ſacerdotum ſeriem, patroſq; triumphos,
Bellaq; & æthereo ſurgentia templa tonanti,
Et docti Salomonis opes, roboamq; ſuperbum
Palladia textor filis intexerat arte.
Ezechiæ illuſtres morbos, ſolemq; reuerſum
Et Phaethontæos verſis temonibus axes,
Ferre ſuos retro curſus, iterumq; relabi
Oſtentabat opus longæua in ſæcula ductum.
Hinc Eleazarus diuina volumina regi
Tradebat Phario, ſenibus diſtincta magiſtris.
Tecta voluptates varias, diuerſaq; tempe
Multipliceſq; auium plumas & carmen habebant
Captiuam totiens gentem nunc ire tyrannis
Seruitum Aſſyrijs, iuga nunc Aegyptia ferre,
Clauſaq; trans altos hominum tot milia montes

Et

Et templi euerſas Solymæq; reſurgere mole,
Pendula monſtrabant picto velamina textu.
Quinq; triumphales currus, & prælia fratrum
Diuiſum populi, regnum poſtrema tenebat
Pars operis tanti, circum viuentia ſemper
Brachia tortilibus ramis fundebat Achantus.
Prima coronarunt redolentibus atria ſertis,
Graminibuſq; fores & limina ſumma virebant,
Perq; vias famulæ ramos ſparſere comantes.
Læta dies egit feſtos vicinia paßim,
Tota puellari reſonarunt compita cantu.
Ornabat roſeo ridens cunabula vultu,
Dulciaq; attollens in matrem lumina virgo.
Quom traheret dulces lactantia pectore ſuccos
Stringere complexu natam, ferre oſcula fronti
Non erat auſa parens; nec enim mortalis in illa
Humanuſue decor, ſed erat cæleſtis imago,
Aethereaſq; vigor flammas & ſydera vincens,
Mira ſupercilij grauitas, ponduſue venuſtæ
Frontis, eximia fulgentes indole vultus,
Suſpenſas hominum mentes, atq; ora videntum
Per longas immota moras retinere ſolebant.
Non infeſta fuit luctu, non ebria ſomno:
Sed vigilans riſuq; genas ornata modeſto,
Nunc matri arridebat ouans, nunc paruula tendens
Brachia, vicino miſcebat dulcia patri
Murmura, dixiſſes ſtudio geſtire loquendi.
Temporis innocui nondum diſceſſerat ætas,

Plenaq́; iam docili formabat verba palato.

Mos erat antiquis longum ſeruatus in æuum
Aede puellares annos includere ſacra,
Aetatemq́; Deo teneram, primumq́; dicare
Virgineæ florem vitæ, & generare pudoris
Ingenui curam, ſanctosq́; inducere mores.
Mox vbi veſtitum prima lanugine tempus
Venerat, in thalamos ibant hymenæaq́; tecta,
Coniunctæq́; viris proli indulgere ſolebant.
Propterea legum memores, & moris auiti
Venturi Solymam trima cum prole parentes
Deſeruere ſolum, Galilæaq́; Nazareth arua.
Floribus intextis & odoro gramine cinxit
Virginis ora parens, ſtellatæ lumina frontis
Hærebant cælo, teneróq́; in pectore clauſum
Numen erat, niueo tunicæ talaris amictu
Albebant humeri, quam circumtextus oliuæ
Laureus ambibat torques ad colla, per imas
In ſtrophium flexis palma ibat frondibus oras,
Matris opus, molliq́; ſinus variauerat auro.
Ventum erat ad magni templum ſublime Tonantis,
Quò ducunt ter quinq; gradus de marmore viuo.
Et iam porrectis curuabat prona lacertis
Serua manus ſummum ad limen latura puellam
Quom mox virgineo conceptum pectore numen
Affuit, & retrahens promptæ ſinuata miniſtræ
Brachia, debilibus plantis animoq́; vigorem
Addidit, & ſupra ætatem fiducia creuit.

B Protulit

Protulit audaces ſublata cyclade paſſus
In ſublime volans virgo, turbamq́ relinquens.
Sicut vbi multæ volitant ad littora puppes,
Ocius illa ſubit portum, quæ mole minori
Labitur, & melius velis & remige fertur.
Vertice iam ſummo magni penes atria templi
Stabat, vbi aſcenſu feſſos ſolata parentes
Riſit, & æternum curuato poplite numen
Cum nuribus venerata pijs in clauſtra receßit
Virgineæ ſecreta domus. fleuere parentes
Cognatæq́; nurus, gemitumq́; dedere miniſtræ
Quando conſpectu vultus abitura nitentes
Vertit, & induxit ſublatam in tecta ſacerdos.
TRes vnà comites habitant Eros, Elpora, Piſtis,
Sydereus fronti quibus eſt nitor: aurea primæ
Veſtis & ardenti pictum face pectus & igne.
Aſt aliam cœli vultus imitata ſerenos
Lena tegit, quam corda, manus intexta ſupinæ
Tollentes ſparſim variant: Toga Piſtios artus
Candida & argenti niueo ſplendore coruſcans
Nocturnasq́; fugans vmbras caliginis ambit.
Multa ſinus & colla virens ornabat iaſpis,
Quæ nigros abigit lemures, vanumq́; timorem.
Prima patris ſummi ſtirps immortalis, & æuum
Non metuens, annis aliæ, longaq́; ſenecta
Interitum paſſuræ, olim quoq; cardine fixo
Per ſua ceſſabit veſtigia currere mundus.
Parthenices iſtæ venturæ ad limina nymphæ

Quatuor

Quatuor egregias ſecum duxere ſorores,
Pulchram Metrioten, Phrenandreamq́ potentem
Viribus, atq́ graui lites componere doctam
Voce Dicaſpolian, memoriq́ futura videntem
Mente Prometheam, ſummo genus æthere miſſum.
Alta Panomphæi ſubeuntes tecta Tonantis
Ad Mariæ thalamos famulam miſere Siopen,
Quæ prægreſſa citos vt mouit ad oſtia paſſus
Clauſaq́ per tenues vigilare cubicula rimas
Vidit, heras nutu vocat, ingreſſumq́ miniſtrat.
Iam nocturna quies operas, manuumq́ labores
Clauſerat, & mollis per opaca cubilia ſomnus
Miſerat extinctis pallentes ignibus vmbras.
Ipſa diem tepidæ reparabat lumine teſtæ,
Primæuamq́ patrum geneſim, mundiq́ recentis
Et noua monſtriferæ repetens miracula virgæ,
Noctis in occiduam prono iam vertice Calpen
Inſomnis taciti ducebat temporis horas.
Oſcula poſt, & prima datæ iam verba ſalutis
Amplexusq́ pios, genus, antiquamq́ ſuorum
Progeniem, & ſtudijs quibus oblectentur, & arte
Et varios mores, diuerſaq́ nomina gentis
Vt docuere ſuæ, noſtri vigilantius oris
Effigiem, dixere, alto ſub pectore ſerua.
Nam quædam hoſtiles noſtris ſub vultibus vmbræ
Humanas ambire ſolent, & fallere mentes.
Dumq́ ita multiplices dant accipiuntq́ loquelas
Clara per Eoos fluctus aurora rubebat:

Flammaq́ ſurgebat niueis argentea bigis
Luciferi, gelidos ſpargens in gramina rores.
Et cupiens prolem, dulcesq́ reuiſere nidos
Garrula ſub lucem modulos iterabat hirundo.
TVm pater omnipotens ita compellare coæuos
Aggreſſus comites, regni quibus vna poteſtas,
Quos rerum par cura tenet (nam nomina rebus
Plura tribus, tamen vna ſubeſt eſſentia ſimplex)
Numina quæ æterno mecum regnatis Olympo:
Et quibus vnus honos, eademq́ potentia mecum,
Principio informem grandi cum corpore maſſam
Fecimus, & cœlum in latos ſinuauimus orbes,
Scitis vt à nobis animos & lumina vertens
Inque ſuum conuerſa decus, propriumq́ nitorem
Contemplata graui ſub pallida tartara caſu
Spirituum pars magna ruit, quam ſulfuris ardor
Sub nigris ſpecubus tenet æternumq́ tenebit,
Necdum Phœbus erat, nec claro lucifer ore
Ante diem ſurgens primo rutilabat ab ortu,
Nondum manè rubens pulchros aurora colores
Induerat, nec luna ſuos accenderat ignes:
Cùm modo facta cohors turpem meditata rapinam
Imperium noſtri ſperare audebat Olympi.
Propterea immenſum ſcelus, indelebilis error
Aeternum durat, nec enim mutabilis illa eſt
Naturæ ſortita genus, quo lapſa receſſit
Fixa manet, quod mente ſemel complexa recepit
Inconcuſſa tenet ſemper nec amata relinquit.

At neq; nos illi vota ad meliora ſauemus,
Tunc hominem (meminiſtis enim) qui flectere ſeſe
Poſſet & à nobis animo verti, atq; reuerti
Condidimus, magni quo damna rependere caſus
Fas foret, & vacui complere ſedilia cœli.
Et iam magna cohors hominum quibus ætheris arcem
Annuimus mœret longas perteſa latebras:
Exilijq; rogat finem, ſed debita primo
Pœna vetat ſceleri, vocat hinc amor, inde reclamant
Iuſtitiæ leges, negat hæc, petit ille fauorem.
Iudicium veros decet & clementia reges.
Sed neq; mortali poterit ſata ſanguine proles
Iuſtitiæ placare minas, & ſoluere nodos.
Adde, quòd à vanis terra eſt reuocanda Deorum
Cultibus, atq; Deo iam ſeruitura triformi.
Non opus humanis tractandum viribus iſtud,
Hoc opis eſt tantum noſtræ, qui condidit orbem
Liberet, artificem qui fundamenta locauit
Inſtaurare domum decet, & ſarcire ruinam.
Nate mei ſpeculum vultus, & mentis imago
Ars mea nate precor terras inuiſe iacentes,
Atq; tuis onus hoc humeris, hanc ſuſcipe curam.
Illa puellares inter pulcherrima turbas:
Quæ nobis totiesq; manus, totiesq; ſupinam
Attollit frontem, & tota ſuſpiria nocte
Ingeminat vigilans, terrenis libera curis
Orta tibi eſt, illam non aſpernabere matrem.
Poſt vbi tempus erit lateri contermina noſtro

Fiet,& ingentes mundi tractabit habenas.
Cernis vbi modico ſurgunt capitolia ſaxo
Templa Iouis falſi,mediam qua diuidit vrbem
Tybris,& Etruſcos conuoluit in æquora fontes?
Illa tui ſedes regni,cùm pulſa Deorum
Turba, tibi veteres aras & templa relinquet.
Te Libyes,Aſiaq́; colent latiſsima regna,
Europæ magis arua tamen,tibi Roma latinæ
Gentis apex,Phœbumq́; videns Hiſpana cadentem
Doris,& algentem regio quæ ſuſtinet arcton
Seruiet,atq; nouo tellus luſtrabitur imbre
Tunc tua cum proprijs iungent inſignia reges,
Et crucis aërias ſignabit purpura turres.
Me magis Aſſyriæ gentes,Indiq́;,Arabesq́;
Atq; Paleſtinæ populi nouere, ſed olim
Forſitan & noſtro lætabitur Aphrica nexu:
Templaq́; ſpirituì ponet celeberrima ſancto.
Talibus Omnipotens nato mandata ferebat,
Nota ſalutiferæ placuit ſententia proli.
Nam quia mens eadem tribus eſt,eademq́; voluntas
Semper idem ſentire omnes & amare neceſſe eſt.
EST locus Aemoniæ,Macedumq́; propinquior aruis
Orchomenum dixere,tenet modo Vandala pubes,
Illic perſpicuo vitrei ſub gurgite fontis
(Vt perhibent)olim dum Dorica regna manebant,
Tres Charites habuere domos,dulcemq́; receſſum.
Hæ ſimul aſſumptis,iuga quæ Pimplæa colebant,
Mnemoſyne natis,primos liquere penates,
Ornataq́;

Ornatæq́ comas hederis, & virgine lauro
Aſſyrios petiere lares, Iordanis ad amnem,
Qui miſſus Libano Cyprium feſtinat in æquor.
Vt venere, vadis lauere nitentibus omnes
Quicquid labis erat, venerandaq́ limina ſancta
Parthenices ingreſſa cohors, ad mutua primùm
Oſcula, & ad dulces mox ſe vertere loquelas.
Et tandem dextriſq́ datis & fœdere facto
Perpetuas illi ſe iurauere ſodales,
Et quocunq́ iret comites dixere futuras.
Iamq́ vigil primam virgo perceperat artem
Atq; coloratas voces, linguæq́ nitorem,
Menſuræ, numeriq́ modos, cœliq́ meatus,
Et quas luna vias, & quas obſeruet Apollo,
Et quos Mercurius trahat, & Venus aurea gyros,
Et varias cœli vires, & nomina norat.
Nam dum plebs Iudæa Deo parebat Olympi
Sciuit iter, pueris etiam fuit agnitus æther.
Aßiduis veterum ſtudijs, oracula diuum
Peruigiliq́ legens cura, Moſemq́, piumq́
Eſaiam, mœſtiſq́ virum qui verſibus vrbem
Plorat, ab ingenio curas, à lumine ſomnos
Sedula pellebat, paruo ſua vota ſacello
Supplicibus palmis narrabat, & ore ſupino,
Ocia nulla die carpens, nulla ocia nocte,
Cura cibi, ſomniq́ breuis quæ paſceret artus.
Pauperibus menſis genium fraudabat & ora,
Et caſtigato tolerans ieiunia ventre,

Carmina diſcebat, ſanctiq; poëmata regis.
Qui tetricis olim fidibus cantabat ad aras
Sacraq; fatidico pſallebat ad orgia cantu.
Quicquid habent ſacræ diuina volumina legis:
Quicquid ineſt Arabum libris luſtrarat, & omnis
Graiorum annales, Romanorumq; triumphos,
Et quantum latij fudiſſent arma cruoris
Punica, quot bellis rubuit naualibus æquor:
Qui Troiam petiere duces, quo milite Perſas
Rex Macedum, Parthosq; truces ſuperarit, & Indos.
Monſtra quot Alcides domuit, quo remige Cretam
Dædalus ad gelidas fugiens annauerit Arctos:
Et quibus adiutus pennis equus aliger auras
Preſſerit, & dulcem plantis excuſſerit vndam.
Hippolyti caſtos, & Bellerophontis amores,
Illuſtres Helenæ raptus, & Phyllidis ignes:
Biblidaq; inceſtam, curas & vulnera Thysbes.
Tarpeiæq; dolos, & gratam Phorcida Glauco,
Pomaq; Cydippes, Orithyiamq; furenti
Sublatam borea, Clymenen, & Belides auſas
Cæde maritales thalamos implere, piumq;
Pectus Hypermeſtræ, verſasq; in ſæua virorum
Funera Lemniades, Hellen, Cinyræq; puellam,
Tres quoq; Syrenes, & Amazonas, Oedipodæq;
Fata domus norat, nymphasq; heroidas omnes.
Quicquid in his tumidum, quicquid crudele, procaxq;
Et quæcunq; pius non atteſtantia mores
Offendit damnabat, apes imitata legendo.

Nunc

Nunc lenam pingebat acu, nunc penſa trahebat
Serica & immiſsis per licia pendula filis
Vela ſacerdotum ſacros texebat in vſus
Terrenum nihil ore ſonans, incluſa, latenſq;
Plena Deo pectus, toti gratiſsima cælo,
Non robuſta nimis, teneros neq; debilis artus,
Incolumis, morboq; carens, non mole ſepulti
Corporea ſenſus, crines, caput, ora ſinuſq;
Brachia, colla, manus, poſtremaq; membra ligarat
Solerti compage Deus, promptiſsima menti,
Ingenioq; acies, atq; inſuperabile robur,
Neruoſaq; animo vires, ſemperq; voluntas
Iuſtitiæ, rectiq; memor, moderamine certo
Diſcordes animæ motus, luxumq; domabat.
Qualis purpureo radians carbunculus ore
Obſcuros inter lapides gemmaſq; minores
Splendet arenoſo qua tingitur India Gange,
Qualia ſylueſtres inter pineta miricas
Quæ tollunt ſublime caput, ramoſq; comantes,
Frondifer Aemonias vbi Pelion aſpicit vrbes,
Vel qua Parrhaſij ſurgunt iuga ſumma Lycæi,
Parthenice mea talis erat, iam grandior æuo
Iam ſocianda viro, Lucinæq; apta labori
Virgineos inter cœtus, comiteſq; puellas.
FEſta dies aderat, Solymi qua diuite menſa
Pinguia ſub viridi celebrant conuiuia fronde,
Antiquæ memores vitæ, quum immite ſuperbi
Imperium regis patres fugere per altos

[library stamp]

Incolumes fluctus, Arabum deſerta peragrans
Sub dio populus menſam ponebat, & vmbras
Frondibus obductis texebat, & arbore caſa.
Poſteritas igitur caſus imitata parentum
Sub ramis cœnare ſolet, cùm ſeptima luna
Imperat, & lampas claudit phœbæa coronam.
Tunc igitur Solymas arces, charamq; reuiſens
Progeniem, mater ſic eſt affata puellam.
Nata meo quondam ſuauiſſima pondera ventri,
Dulce patris ſummi donum, mea ſumma voluptas,
Poſtquam parua lares noſtros &, limina nota
Liquiſti, nunquàm ne tuæ te cura parentis,
Vlla ne te patriæ mouit pietatis imago?
Optaſti ne ſinus noſtros intrare? ſenemq;
Cernere, quem longæua grauant iam membra parentē?
Debilitat vires, ſenſus obtundit, amorem
Diluit, & nobis affert obliuia tempus.
Ipſe pater, ſacra poſtquam te clauſimus æde,
Quottidie menſes digitis percurrit, & annos,
Hæc duo luſtra, putat duo ſæcula, ſuſtinet ægrè
Tam longæ tormenta moræ, iam vidimus, inquit,
Aequæuas Mariæ thalamos intraſſe puellas.
Aſpice quàm firmo ſurgat iam ſtipite laurus
Natali defixa die, iam brachia baccis
Veſtit, & ingentem ramis iam porrigit vmbram.
Sic ait, & caderet paucis in fata diebus
Ni te forte ſuos paruum poſt tempus ituram
Credat in amplexus, dudum tibi multa parauit

Xenia,

Xenia, tu noſtræ requies, tu ſola ſenectæ
Gloria, tu feſſæ producere tempora vitæ,
Tu truncare potes, nec opum nos amplius ardor
Solicitat, nec ſpes tangit reſolubilis æui,
Sola places, curaſq; leuas tu ſola ſeniles.
Sicut enim occidui magnes ad ſyderis aſtrum
Vergit, & arctoo nunquam diſcedit ab axe,
Sic ſolet in natos amor inclinare parentes
Hoc natura iugum peperit, placidaq; ligauit
Compede, non fertur ſuperos Vulcanus in orbes
Mole pari, non ſaxa ruunt ex aëre tantis
Viribus: ipſe ſuos ſol deſeret ante meatus,
Et fluere alterno ceſſabunt æquora curſu,
Quàm te nata patris, quàm te mea cura relinquat.
Vt Pario ſculpti durant in marmore vultus,
Nec metuunt pluuias, hyemes, Boreamq; niuoſum,
Sic penetrans arcana animis præcordia noſtris
Hæret, & in nobis ſemper tua viuit imago.
Sermonem tu luce paris, tu ſomnia nocte.
Ah quoties dum cura mihi eſt clamare miniſtram
In mea dulce tuum nomen ſeſe ingerit ora?
Ah quoties feſta redeunt vbi gaudia luce,
Lætaq; per pingues reſonant conuiuia menſas
Te memoro? votis omnes te ardentibus optant.
Et quia ſolus abeſt tuus hic, mea viſcera vultus,
Vileſcit mihi quicquid adeſt, non excitat aures
Tibia, non triſtem mulcent obſonia linguam.
Vlla nec infirmos capiunt ſolatia ſenſus.

Iocundum

Iocundum ſine te nihil eſt, & viuimus in te,
Noſtra nec in nobis vita eſt, quæ ſuſtinet artus
Aura tuos, nobis animam ſenſumq́ miniſtrat.
Et vitæ ſumus vmbra tuæ. Pia cura parentum
Incipiat (quando amborum ſic poſtulat ætas
Iam ſenio curuata graui) te nata mouere.
Hæc tua dilectæ tam longa abſentia frontis
In quot me gemitus, in quot ſuſpiria mittit?
Vnica tu ſoboles, generis ſpes vnica noſtri,
Debetur tibi tota domus, tibi ſeruiet vni
Et pecus, & cultæ fœlicia iugera villæ,
Sic noſtras partimur opes, pars optima templo
Altera ſors inopi, ſeruit pars tertia nobis.
Tu quoſcunq́ voles illas mutabis in vſus,
Sit tamen & vita tecum quæ militet omni
Cura Dei, qui nec falli nec fallere nouit.
Magna Deo cura eſt hominum qui numina curant.
Ipſe maritales, poſt primi exordia mundi,
Inſtituit tædas, æternaq́ fœdera ſancti
Connubij, quò poſt veterum defuncta parentum
Corpora ſint qui corda ferant, qui numina norint,
Quiq́ ad diuinos gignant noua pignora cultus.
Sic pietas æterna manet, renouataq́ proles
Accipit à patribus doceat quod & ipſa nepotes.
Duratura, Deus, quædam ſemperq́ futura
Condidit, hæc ex ſe gigni prolemq́ creare
Nil opus eſt, nec ſol ſolem, nec ſydera ſydus
Seminat, aſt quædam fato ſubiecta, neciq́

Protulit,

Protulit, hæc ſeſe generant, eademq́ manere
Cùm nequeant, in prole manent, ſimulachra parentum
Sunt nati, penes hos opus eſt ſit cura nepotum.
Sic proles ex prole fluit, ceu lubricus annum
Annus agit, menſis de menſe renaſcitur, horam
Hora refert abiens, & ab arbore pullulat arbor.
Sic Dauida pater tulit, Ezechiaſq́ Manaſſem,
Sic Eſromus Aram genuit, Salomona Naaſon.
Et quia maiores ætas tua venit ad annos
(Nam tibi ni fallor bis ſeptima voluitur ætas)
Propterea natoſq́ viro, nobiſq́ nepotes,
Cultoreſq́ Deo debes, ſatis æde morata es,
Nata redi, noſtræq́ libens ſuccurre ſenectæ.
Vocibus his virgo in fletus prorupit, & ibant
Per roſeos vultus lachrymæ, quas chara legebat
Admoto ſiccans oculos velamine mater.
Dedidicit fletum, & preßis ſingultibus orſa eſt:
Chara parens tantùm materni flumen amoris
Quod lachrymis, gemituq́ tumet, quod plenus acerbis
Significat curis & ſolicitudine ſermo,
Quæ non corda domet vel ferrea? lumina quæ non
Miſerit in fletus, tepidoq́ impleuerit imbre?
Hæc tua tanta parens pietas mea viſcera dudum
Stringit & accenſam mouet ad ſuſpiria mentem
Siſineret, quo inclinat amor veſtigia ferre.
Nec tot opus lachrymis nec tot ſingultibus eſſet,
Namq; animus totis vota in tua viribus iret,
Nec fuit à teneris quicquam mihi dulcius annis

Quàm

*Quàm morem gerere, & votis parere parentum:
Sed cœleſte meum tulit in contraria pectus
Numen, & impatiens ſtudijs ingentibus ardor
Sollcitat, cogorq́; nouo parere furori.
In noua cœpta meos ſenſus, imaſq́; medullas
Impulit æthereus genitor, magis ardua nobis,
Et melior tentanda via eſt, Deus ire per altum
Suadet iter, q́ſi eſt vobis aliena voluntas
Curaq́; non eadem, veniam, diuina ſequenti
Iuſſa date, & quò fert cœlum conuertite mentem.
Me mea virginitas, impollutiq́; pudoris
Immortalis amor, gratam fecêre Tonanti,
Ille meo amplexu fruitur, ſemperq́; virentis
Flore pudicitiæ, thalamum fortaſſe ſubire,
Atq́; maritales potero coniungere tædas.
Non poterit maculare meum Venus illa cubile,
Virgineumq́; decus, cuſtodiet ipſe pudorem
Qui dedit hæc mihi vota pater, caſtiq́; nitorem
Corporis, & mentem nullum mihi polluet æuum.
Hæc eadem ſanctos mouit ſententia Vates,
Et magnos habet auctores, temeraria forſan
Dicerer, & propriæ malè conſuluiſſe ſaluti,
Auſa per ignotos calles ſi prima fuiſſem
Vadere, & ambiguis ſolam me credere ventis,
Rumpereq́; audaci nondum vada cognita greſſu.
Clara per hos magnus liquit veſtigia calles
Elias, Eliadeſq́; viri gratiſſima cœlo
Progenies, viſura ſuo de ſemine diuos,*

Sic ſtat, & immotum tenet hac ſententia pectus.
Tu genitrix patiare oro, & ſolare parentem
Longæuum, curæ ſeſe ſciat eſſe Tonanti,
Ipſe aderit, ſenioq; graues ſolabitur annos.
Sic virgo, & mater lachrymantem amplexa receſſit.
Hic Mariæ natale ſolum, ſedemq; paternam
Et genus antiquum paucis memorate puellæ
Caſtalides, etenim memori vos omnia mente
Tempora, vos terræ tractus, pelagiq; tenetis,
Et vos Parthenicæ comites, famulæq; fuiſtis.
Eſt Arabes inter Cadmæaq; Sidonis arua
Palmiferamq; Pharon, Libycis quæ iungitur oris,
Et mare quod lato fœcundam gurgite Cyprum
Alluit, Aſſyrij pars non ignobilis agri,
Terra ferax, belloq; potens, atq; inclyta cultu
Vnius Iudæa Dei, clara oppida, claras
Suſcipit apricis poſitas in collibus vrbes,
Aſcalon hic, & Gaza potens æraria quondam
Perſidis antiquæ, magna ſedet edita mole.
Fulta ſupercilio præruptiq; aggere montis.
Hic vetus Andromedæ vinclis inſignis Ioppe
Antiqua prior illuuie, ſummo ardua colle
Regia tecta Sion, & pulchram ſuſtinet arcem
Imperij caput, & Solymi moderamina regni.
Illic ſolennes aras Dauidica proles,
Altaq; candenti poſuit de marmore templa.
Illuc ex omni turbæ regione ſolebant
Dona Deo & primæ frugis portare maniplos.

Illic

Illic triticeæ Cereris domus inclyta, Chriſto
Conſcia naſcenti montanaq; Nazareth, ambæ
Illuſtrem tenuêre locum, genus iſta paternum,
Altera maternum Mariæ dedit, iſta Tonantis
Conceptu fœlix, ortu fœlicior illa.
De patria ſatis hæc, poſthac de ſanguine dicam.
Iſmeriæ ſoror Anna fuit, regalis origo
Et ſoboles magni veniens Dauidis ab alto
Sanguine, Zachariæ coniunx ſata ſemine primę.
Tres triplici partu Marias, tribus Anna maritis
Progenuit, ſanctum, & ſummo genus æthere dignum,
Prima Deo ſacros partus dedit, altera natos
Quatuor Alpheo: Iudam, Simona, Iacobum,
Et qui iuſtitiæ clarum cognomen habebat.
Tertia de natis tibi quos Zebedęe duobus
Edidit, ad Calpen vnum tranſmiſit, & vnus
(Si populi præſtanda fides rumoribus vlla eſt)
Viuus Amazoniis Epheſi ſepelitur in agris.
Sicq; duos interſtuduit concludere natos
Regnantem Latio Chriſtum, Romæq; tenentem
Imperium, læuam tellus Aſiatica, dextram
Gens Hiſpana tenet, regnum inter vtramq; latinum.

Baptiſtæ

BAPTISTAE MANTVANI CARMELITAE THEOLOGI PARTHENICES Marianæ, Liber Secundus.

ANXIA reſponſo genetrix in tecta redibat
Multa mouens animo, nec enim ſententia natæ
Viſa ſatis legi, priſciſq; accõmoda patrum
Ritibus, in vacuos etenim, partuq; carentes
Experteſq; thoros ſobolis, ſuperoſq; Deumq;
Iraſci tunc fama fuit, dirumq; minari
Supplicium inſteriles vteros, multo ante maritum
Non aliam ob cauſam paſſum conuitia norat,
Summotumq; procul templo ſpectantibus ipſis
Ciuibus, & triſtem caſum miſerantibus vltro.
Namq; vir ardentes votum poſiturus ad aras
Ante habitam prolem, dum ſe in ſecreta tuliſſet
Templa, ſacerdotum ſtrepitu diſcedere ſacro
Ex adyto iuſſus fuerat, turpemq; repulſam
Paſſus, & hoc patriam fugiens ob dedecus vrbem
Rus coluit, pluresq; latens inglorius annos
Duxerat in luctu triſtem ſine coniuge vitam.

Sicut vbi amiſſo thalami conſorte, per agros
Sola volat turtur, nitidis nec potat in vndis,
Ne comitis priſci triſtetur imagine viſa.
Nec viridi poſt hac fertur conſidere trunco.
Sed miſeram diuina ſenis clementia ſortem
Proſpiciens, Annæq; preces, & dona gementis
Miſit Olympiaca celerem de ſede miniſtrum,
Qui dedit hęc mandata viro, tua tecta reuiſe,
Conſortem ſolare ægram, mœſtoſq; penates.
Anna tibi lætos partus, prolemq; datura eſt
Fœmineam, magno ſanctæ dabis omine natæ
Fatidicum ductumq; maris de ſydere nomen
Et Mariam dices: Annæ mandata miniſter
Attulit hæc eadem mirantiq; inſuper addit
Hos monitus, Limen notæ pete concita portę.
Qua tibi rus itur, ſacris hic mane peractis
Obuius occurret coniunx, greſſu illa citato
Venit ad vrbanæ (quæ dicitur aurea) portæ
Limen, & offendit redeuntem rure maritum.
Illic ſuſcepti hoſpitio communis amici
Amplexu, longiſq; vna ſermonibus illam
Conſumpſere diem, & certi de prole futura
Mane ſuos petiere lares, gauiſa reuerſum
Tota domus largo dominum ſuſcepit honore.
Hæc igitur mœſto voluens ſub pectore mater
Aegra fatigabat tacitis præcordia curis,
Et gradiens tali ſecum ſermone locuta eſt.
O Curæ, ô vani propoſteritate labores.

O dolor ô pietas infortunata parentum
O ſtudium infœlix, vbi res, & tempus & ipſa
Viſcera, & exhauſtas in ſolicitudine mentes
Triuimus, vt canis caput aſperſere dolores,
Linquimur, immemores demens incuria natos
Separat à nobis, meritorum oblita propago
Non æquat curas, & non reſpondet amori.
Sed quid te fruſtra miſeram coquis Anna? quod ipſi
Fecimus, hoc patimur, patres vt amauimus ipſi
Sic noſtrum nos ſemen amat, taxamur eodem
Iudicio, ſic fata ferunt, ſuſpiria perdis.
Iſte modus rerum mundi productus ab ortu
Tranſmeat ad gentem per ſæcula noſtra futuram.
Singultire potes, turgentia lumina fletu
Exhaurire licet, ſed ferrea fata mouere
Non potes, aëre i pellant ſine carbaſa venti,
Quod dederit fortuna libens amplectere littus,
Forſitan vtilius, quàm tu tibi conſulet aura.
Conqueſtum Dauida diu, pueroꝙ iacenti
Produci petiiſſe dies, auertere mortem
Non valuiſſe ferunt, audit Deus omnia, præſtat
Optima, mortales audent orare quod optant.
Opprime ſuccenſum ſtudijs melioribus ignem,
Nec ſine ſupremas animi dolor occupet arces.
Talibus (vt fama eſt) curis dementia quoſdam
Cepit & in ſaltus atꝙ in deſerta ferarum
Luſtra tulit, pater Aiacem narrare ſolebat
Inſanum mactaſſe pecus dum quæreret hoſtem

Et furias idem memini recitabat Oreſtis
Quem comes ad ſcythicæ vexit delubra Dianæ.
Magna quidem credo quoties pugnatur in agris
Aduerſaq́; volant acies in prælia ſurgit
Tempeſtas, ſed mens etiam cum nocte dieq́;
Extollit ſtrepitus, & grandi corda pauore
Concutit, & recte tetrici dixêre parentes
Quatuor aduerſis miſcentur vt æquora ventis,
Eoo, Zephyro, Lybyco, gelidoq́; Aquilone,
Sic totidem noſtras ingenti turbine mentes
Subuerti furijs, pectuſq́; in prælia mitti.
Spes leuat arrectos, metus alto à vertice fluctus
Deijcit, hinc animum pulſat furibunda voluptas,
Inde dolor, fluctus ſeu fracti fluctibus altum
Clamorem ingeminant, piceis abſcondita nymbis
Nec radios fundit ratio, nec vela gubernat.
Felices quicunq́; iſtis à ſyrtibus altam
Viſuri pacem loca ſunt in tuta recepti.
Nam neq́; mens vllam ſecus eſt habitura quietem,
Nec lætos ſenſura dies, nec dulcia ſæcla.
Propterea quid te miſeram coquis Anna, dolores
Et triſtem dediſce metum, natura repugnat
Moribus his, monſtrare viæ compendia poſſunt
Languentes, gelidiq́; ſenes, at ſcandere montem
Sole ſub ardenti viridis male ſuſtinet ætas.
De virtute loqui minimum, virtutibus vti
Hoc Samſonis opus, tamen aſſuetudine longa,
Aſſiduiq́; operis tractu formatur, & in ſe

Virtutem

Virtutem natura trahit, præludia multa
Egregias artes pariunt, in pace, togaq́;
Bella diu miles diſcit, mox obuiat hoſti
Impiger, & firmum parat ad certamina pectus.
Sæpius à placitis mens eſt arcenda, diuq́;
Seruitio duranda graui, nam prona, ſequaxq́;
In peiora ruit niſi lora retraxerit vſus,
Aſt vbi iam legis patiens, aſſuetaq́; vinclis
Seſſori parere poteſt, quo iuſſerit ibit,
Tunc vbi tempus erit caſu cum triſtis acerbo
Sors aderit, fert æquales rationis habenas.
Ante negat, velut indomita ceruice iuuencus
Aut velocis equi ſoboles animoſa, priuſquàm
Impoſito ſcierit greſſum glomerare magiſtro.
Ars vbi poſſeſſam mentem complexa ſubegit,
Quò virtus, quò ſancta vocant oracula vertet,
Nam neq; tunc labor eſt duros tolerare labores.
Quid ſi nata virum refugit? ſi nulla nepotum
Poſteritas, quid noſtra iuuant poſt fata nepotes?
Iuſtitiam coluiſſe ſat eſt, nullius egebis
Subſidio defuncta, pios ſi vixeris annos.
Sæpius in natis ſæuum pater educat hoſtem
Cumq́; ſuo ignorans interfectore iocatur.
Sæpe ſibi lachrymas, ſperant dum gaudia, matres
Atq́; ſuæ paſcunt ventura opprobria genti.
Propterea vanos hominum noua fabula mores
Exprimit, hoc pelagus Galilea quod alluit arua
Extimuiſſe ferunt, olim cùm vidit in orbes

Nubila conuolui, volitare per aëra montes
Credidit, at poſtquam largus de nubibus imber
Depluit, vnde prius damnum interitumq́; timebat
Incrementa tulit, fuſa procul æquoris vnda.
Fallitur in dubijs hominum ſolertia rebus,
Corda nec euentus capiunt humana futuros.
Id quoq́; nonnunquam mentes ſolatur amaras,
Quod durare nihil patitur fortuna, viceſq́;
Mobilis alternat, ventoq́; ſimillima proram
Nunc premit, à puppi placida modò murmurat aura.
Forſan & hos luctus minus importuna ſequentur
Tempora, fœlices iterum Deus afferet annos.
Talia voluenti paruæ iam Nazareth arces
Apparent, nigro rutilans ſurgebat ab ortu
Veſper & ingenti phœbum demiſerat vmbra
Carmeli ſublimis apex, in mœnia mater
Nazareth, & feſſis intrat ſua limina plantis.
Vt pater accepit charæ noua nuncia natæ
In mœrore diu iacuit, curiſq́; ſepultus
Impexi capitis canos ſqualere, ſitumq́;
Ducere, & à mento triſtem concreſcere barbam
Suſtinuit, nec enim potuit cohibere querelas,
Parcere nec lachrymis, nec diſſimulare dolorem.
Crebra diu mœſtum traxit ſuſpiria pectus.
Et iacuit ceu truncus iners, & inutilis arbor
Frondibus amiſſis ſine terra fertilis imbre.
RES tandem prolata palam peruenit ad ipſas
Sacrorum & templi doctas antiſtitis aures,

Quem penes arbitrium nodos aperire latentes
Iuris & obſcuros legum diſſoluere caſus,
Ipſius imperÿs altam conſcendit in arcem
Concilium, venêre ſenes ænigmata legum
Rimari ſoliti, & dubijs reſponſa parati
Reddere. Iamq́ vltro multum, citroq́ locuti
Cum certi nihil afferrent, iamq́ humida noctis
Tempora ſuaderent ſacros demittere patres,
Quærendum quæ ſit cœli ſententia tandem
Communi ſanxêre prece, & ſolennia templo
Sacra dari, & dubijs orari numina rebus.
Atq; ita ſedato res eſt certamine viſa
Iudice digna Deo, quando eſt non reddere magnum
Vota nephas, violare piam res impia legem.
Interea ſumptis diuorum nuntius alis
Parthenicen adiens placidis ita vocibus inſit.
Nympha puellarum cœlo gratiſſima ſalue.
Cuius apud ſuperos iampridem cognita virtus
Floret, & in noſtros creſcit ventura penates,
Ne trepida, tua vota pater firmauit & auxit,
Nulla tuum Venus eſt vnquam viſura cubile,
Virginitas æterna tibi conceſſa volente
Conſeſſu toto ſuperum, tibi gloria Veſtæ
Et triuiæ debetur honos, inuicta ſequentur
Virginei tua ſigna chori, quos more dianæ
Nunc pede, nunc iaculo, nunc exercebis & arcu,
Vrſula virgineæ dux & regina cohortis
Hoc explebit opus, tandemq́ in ſydera magnum

Agmen aget celebrem referens ex orbe triumphum,
Tethyos occiduæ populi, littuſq; Britannum,
Et gelidi faciles pugnas gens accola Rheni
Dulciaq; arrecto cernent ſpectacula vultu,
Laus igitur te magna manet, rude vulgus, & impos
Iura ſacerdotes non intellecta fatigant,
Et Deus ingratas atra caligine mentes
Tardat, & inpœnam ſcelerum deludit inani
Corda metu, rident ſuperi ſeu grandior æuo,
Securuſq; animi iuuenis, ſi pectora quando
Infantum obſcuræ trepidant formidine noctis,
Ipſe adero, nam veni huius certaminis ergò.
Lex ea quæ fieri matres, & nubere cogit
Lata eſt, cum pauper veniens ad templa ſenatus
Paruaq; plebs humiles ſacrum ponebat ad aras.
Poſtquam magna virûm creuit fortuna, tribuſq;
Vix duodena ſolo capitur, ſeruare pudorem,
Et thalamum neſcire fuit præſtantius, ergò
Heliadas erraſſe putant? iam ſæcula poſtquàm
Expertes veneris degunt biſquina propinquant,
Hi populis exemplar erant, ne crederet vllus
Eſſe nephas ſyncerum eſſe, & dediſcere tędas.
Tu tamen es tradenda viro, qui frigidus annis
Atq; tui conſors voti, cuſtoſq; pudoris
Non inuaſor erit, tacita nos arte mouemus
Corda hominum, non tot fingunt ſe Prothea quondam
Immutaſſe modis nec tot variaſſe figuras,
Quot formis animos hominum mutamus, aguntur

Quo

Quo minimè credunt, ſed nos in ſancta vocamus
Officia, at alij tardant, retinentq; vocatos.
Vt quando in leui ſtat ferrea lamina diſco
Si dextra magneta loces, adamanta ſiniſtra,
Quo veniat neſcit, dubitatq; vtrinq; vocata
Cui faueat, cuius magis hortamenta ſequatur
Tu voti ſecura omnem mihi deſere curam,
Ibo & peruigili tractanda remetiar arte,
Vix ea finierat cum fracta nube ſolutum eſt
Corpus, & in ventos aſſumpta receßit imago.
Tempora velatæ tenſis ad ſydera palmis
Conuenere nurus, pueri, trepidæq; puellæ
Rugoſiq; ſenes tremulo pia murmura mento
Voluere certabant, ſuperosq; mouere precando
Canicie oſtenſa diuis, & vertice nudo.
Et tremulis circum lucentes ignibus aras
Sancta Sacerdotes, albaq; in veſte miniſtri
Carmina, & inſigni celebrabant orgia ritu,
Tertia lux aderat poſtquam vulgata per omnem
Concilij concordis erat ſententia turbam.
Iam labor orantes, & diffidentia tardos
Reddiderant, ſegni frigebant pectora motu.
Tum diuina preces mens quæ non deſpicit æquas
Ad ſummum ſecreta dedit reſponſa choragum
Sacrorum, tenues fugit leuis ille per auras
Ingreſſusq; ſenis nocturna cubicula ſomnos
Abſtulit, & tali eſt aggreſſus voce pauentem.
Sumere thraicia virgas de fronde tribules

[library stamp]

Quemq; ſuam, & ferri ſumptas in templa iubeto.
Mane reuertantur, cuius frondere cacumen
Videris, illius Domino coniunge puellam.
Hæc ait, & motis abiens euanuit alis.
Manè ſenex ſol ante iubar quam tolleret vndis
Conuocat extemplo patres, miſſoq; per vrbis
Compita, perq; domos populum præcone coëgit.
Confluxere omnes, campo plebs denſa patenti
Vix capitur, ſurdum ſpacioſa per atria murmur,
Confuſumq; ſonat, pede pes, & pectore pectus,
Virq; viro premitur, ceu quum collecta theatro
Stabat Roma graues ſimul auditura tragœdos.
Conuentu ſenior patrum ſtipante ſacerdos
Exijt, & tandem populo diuina ſilenti
Iuſſa aperit, didicitq; tribum, iuſsitq; ſolutos
Connubio acciri, virgisq; in templa relatis
Vota precesq; iterant, magicis componere quidam
Philtra veneficijs, Circæaq; carmina, & herbis
Phaſidibus voluere nouas inducere frondes.
Horum vnus vetitas artes edoctus, vt almum
Intempeſta diem tacitis nox abſtulit vmbris,
Solus in aëriæ turris faſtigia ſecum
Arma togasq; ferens ſacrauit manibus aram
Sub dio, teſtis nemo niſi ventus, & aſtra.
Nocturnasq; preces iterans præſcire volebat
Parthenices ne ſibi thalamum ſperare liceret.
Ecce per aërios tractus magno agmine ab Orco
Spiritus obſcuris ad turrim annauigat alis.

Qualis

Qualis vbi veniens ad fœda cadauera vultur,
Brachia præcipiti iactat plumoſa volatu.
Atq; gradum ſiſtens nigro ſic incipit ore.
Fare, quid infernas nocturnis cantibus aures
Sollicitas, quæſita dari reſponſa vetantur.
Aethereæ prohibent animæ, numenq́; triforme,
Altius abſtruſum latet hac in virgine quiddam,
Quod diſci ſciriq́; nephas, ſententia noſtros
Circumfert anceps animos, ſortisq́; futuræ
Ambigui caſus multaq́; ambage latentes.
Sicut cum modo ſol nubes modo nubila ſolem
Exuperant, nunc lætatur nunc mœret arator,
Spemq́; metumq́; inter dubius, ne diſcere tenta
Quæ quoq; doctorem fugiunt, communia quædam
Fabimur, addentes quæ nec didiciſſe pigebit
Ne fruſtra videare Deos in vota vocaſſe,
Quandoquidem te non minimo dignamur amore.
Nos inſpectores ſcelerum hoc ſumus orbe, futuri
Vltores alio, ſæui ſunt vincla dracones,
Tartarus eſt carcer, ſunt verbera, frigus & ignes,
Lux incerta diem ſpargit per nigra malignam
Tecta, ſonant late planctus, plebem ordine terno
Diuidimus, primo purgati crimine circo
Pœnarum expertes degunt, ea tecta vetuſtas,
Elyſium vocat, hac vates & longa parentum
Progenies demptis habitant ſtatione duobus.
Hi partus ſpectare nouos dicuntur, & arcem
Aetheream ſibi promittunt, finemq́; propinquum

Exilij

Exilij muſſant, apud hos de virgine quadam
Plurimus, & multa tectus caligine ſermo
Vertitur, hi nec adhuc faciem videre tremendam
Regis Olympiaci, ſola hæc & maxima pœna eſt.
Sedibus his quoſdam venturo numina ſæclo
Sufficient, hos à nobis nulla auferet ætas.
Alter habet ſontes animas, quibus igneus ardor
Eximit infectum ſcelus, & telluris odorem.
Hæ (niſi ſoletur pax expectata, quieſq;)
Vix tormenta ferant, tanto locus æſtuat igne.
Tertius infelix hominum genus orbis in amplo
Carcere conuoluit, magis hæc diſcedit ab aſtris
Introrſumq; fugit regio, penetralia noſtri
Principis, hic altis animæ fornacibus ardent
Spe viduæ, nullamq; audent ſperare quietem.
Iuppiter huc multas, multas huc mittit Apollo,
Mercurius multas, nec non Saturnus & auctor
Bellorum, Phœbe innumeras & nata Diones.
Pellitur huc quicquid cœlum faſtidit, & hirquis
Deſpiciunt ſuperi obliquis, ſors vltima rerum hic.
Nos verò, quoties animas magus euocat Orco,
Illarum aſſumpta mentimur imagine vultus
Carminibus, folijs, auibus, fumoq; ligati
Dicimur, & circumductis in puluere ſignis.
Sed veluti plærisq; alijs ita fallitur iſto
Mens hominum, veniunt vltro, veſtraq; ſalute
Sollicit i manes vobis ventura loquuntur.
Dixit, & alato diſceſſit in aëra tergo.

Perculſum trepida iuuenem formidine fortis
Pœnituit, ſecumq́; putans audita, ſeueros
Carmeli patres adyt (tunc omnis Eremi
Cura fuit penes hos, & cælibis ocia vitæ)
Moribus auxilium fractis habiturus, vt altam
Se tulit in montis requiem, ſyluasq́; ſilentes
Per ſecreta tulit greſſum ſpælea, virumq́;
Viuendi cæleſte genus miratus, amorem
Imbibit immenſum cœli, ſeq́; ipſe peroſus
Incola Carmeli vixit, tandemq́; voluto
Tempore, cum magno fidei miſteria Paulo
Edidicit, Mariæ primus cum patribus ædem
Vertice Carmeli poſuit, ſociosq́; vocatos
Ad Iordanis aquam luſtralibus abluit vndis.
Cùm Baptiſta nouæ iaceret primordia gentis
Hiſpidus hirſutæ villoſo tegmine capræ,
Protographus Lucas Agabum vocat, omnia multo
Ante videns animo fuit, interpresq́; futuri.
Nanq́; catenarum nodos & ferrea Paulo
Vincula prædixit, longosq́; per æquora curſus,
Vipereos morſus, Simoniacosq́; volatus
Inſidiasq́; ſuæ gentis, bellumq́; ſub ipſo
Et celebrem palmam, venturaq́; fata Nerone.
SEd Deus elatas ſtudium cui fallere mentes,
Frigentem & caſto ſolitum ſeruire pudori
Elegit de plebe virum, cui cana ſenectus,
Cui caua ſulcantes criſpabant tempora rugæ.
Mane reuertuntur, ſcrutatiq́; ordine virgas,

Vt videre ſenis ſummum frondere cacumen,
(Illud Thraiciæ de Phillidis arbore tractum
Vimen erat, longæq; nuces in fronde virebant)
Inuidit, ceciditq; animis fraudata iuuentus.
Vt quando in ſomnis aurum ſe credit auarus
Inueniſſe dolos meditans exultat inani
Lætitia, mox euigilans ſua ſomnia mœſtus
Voluit, & in triſtes abeunt noua gaudia curas.
Ducitur in medium ſenior, plauſuq; ſonoro
Suſceptus, iuſſusq; gradu diſcumbere ſummo
Obſtupuit, nec enim ſenio iam fractus Ioſeph
Ad tam inſperatos animum tollebat honores,
Venerat edicto cupidus parere relictam
Mens vel ad incudem vel ad ærea ſigna vocabat,
Et tanta hæc fieri de ſe ſpectacula nunquam
Crediderat, iuuenes poſt tam manifeſta repulſam
Omina perpeßi demißis frontibus ibant.
Et rerum ignaris, tam florida virginis ora
Non benè coniungi gelidæ turpiq; ſenectæ
Murmur erat, tamen & virgæ noua ſigna virentis
Mœſta per ancipites ducebant pectora curas.
Diſceſſere loco, virgisq; abiere relictis.
Interea matrum longa comitante caterua
Adduxêre nurus inſignem in templa puellam,
Cuius ad aſpectum, quanquam tranſcenderet ore
Omne decus mortale, tamen ſuppreſſa libido
Omnis & extincto ſemper Venus igne quieuit.
Ac ſi feruentem gelidos in dorida rores,

Palladiosq;

Palladioſq; ſuper calcem diffuderis imbres.
Ardua quadruplici ſurgebant ordine templa
Porticuum, communis erat pars extima cunctis
Fœmineis etiam turbis, quas menſtruus humor
Liquerat, ingrediens igitur diffuſa ſecundo eſt
Tota cohors circo, miti ſacra pronuba nuptæ
It comes, accedit iuncto vir & auſpice longum
Agmen agens, mediam volitans hymenæus in ædem
Iungite clamauit fœlici ſydere dextras,
Sanctaq; longæuæ connectite fœdera vitæ.
Iamq; pio coniuncta ſeni, celebrataq; longa
Feſta die, dictæ laudes, & reddita ſummo
Vota patri, lætiq; omnes in tecta reuerſi.
Lætior aduentu natæ generiq; ſedebat
Canicie compta, nitido velatus amictu
Inter vtrumq; parens, manibuſq; vtrumq; tenebat
Complexus generum dextra, natamq; ſiniſtra,
(Ipſe etenim quamuis Mariæ ſit vitricus Annæ
Vir, tamen ardenti referebat amore parentem,
Illectus forma, ingenio, pietate, pudore,
Officio, & ſanctos venerans in virgine mores)
Multaq; connubio ſuper, atq; recentibus actis
Commemorans, toti grates ſoluebat Olympo,
Interdumq; iocans, & debilis immemor æui
Iucundos mouet ore ſales, riſuq; modeſto
Soluitur, & vires animo præbente miniſtris
Inſtat, & appoſitis ſterni cœnacula menſis
Ornariq; iubet thalamos, & limina multa

Fronde

Fronde coronari, ſpargiq; per omnia flores
Atria purpureos, hederis veſtire columnas,
Virgineaq; fores lauro, folijsq; Mineruæ
Cedrinas velare trabes, ſpargiq; recentes
Sub pedibus violas, & biantia lilia ſummo
Vertice, quæ in tales mater nutriuerat vſus,
Serpilliq; comas ſemper viuentis, in orbem
Texebant nymphæ, filoq; inſerta ligabant
Gramen odoriferum, caſias exciſaq; cultris
Balſama marmoreis, nardi fragrantis ariſtas
Cinnamaq; & crines ſuaue ſpirantis amomi.
Teq; amarante locant, te mollis amarace, & horti
Quicquid alunt Cilices, quicquid Panchaia, quicquid
Idalij ſaltus redolet domus, omnia plauſu
Lætitiaq; ſonant, hilaris labor omnia miſcet.
Dumq; ita feruet opus, ſponſi Deus ora ſopore
Preſſit, & irati ſub imagine nuntius oris
Viſus adeſſe ſeni, vultu qui ſancta ſeuero
Hæc mandata dedit, teneros tibi iungimus annos
Non ſeram vt fruſtra in venerem tua languida virtus
Ardeat, amplexus, gremiumq; in virginis huius
Ire caue, iuſſumq; Dei ne ſperne monentis.
Paruit, & memori ſeruauit ſomnia mente,
Atq; cupidineos ſenſit non amplius ignes.
Iamq; dapes, & vina ferunt paterasq; coronant
Diſcumbunt hilares circum longo ordine menſas,
Et fœcunda animis celebrant conuiuia lætis.
Poſtquam preſſa fames, & pectora mitis Iacchus
Leniuit

Leniuit curas abigens, frontisq́; ſeueræ
Triſte ſupercilium, cythara præludere eburna
Cœpit, & argutas aptare in carmina voces
Lydius, hic tactis æquabat Ariona neruis,
Orpheaq́; & clarum Dirceo Amphiona plectro.
Carmen erat: Summæ dorſo fundata Sionis
Regia, qua quondam Solymi moderamina ſceptri
Stirpis Ieſſææ princeps exercuit, armis
Inclytus, & pacis ſtudijs præclarus, ab illo
Virginis atq; viri genus, antiquamq́; trahebat
Progeniem, & mixtæ numerabat ſtemmata gentis.
Addebat Noes fluctus, puppimq́; natantem
Innocuasq́; rubi flammas, & limina nunquam
A foribus ſeiuncta ſuis, plebiq́; patere
Neſcia, & vnius greſſum admittentia regis,
Cælantemq́; Deos ficto Labanida vultu,
Velleraq́; & ſiccos magni Gedeonis imbres.
Atq; vti fiſcellam placida geſtauerit vnda
Nilus, & infantis miſeratam fata puellam,
Et conuulſa nouas virgulta ferentia frondes.
Adiungebat vti peregrinas æquore cedros
Compoſitis ratibus condenda ad templa vehebant
Sidonij, vt multo paries effulſerit auro,
Miratumq́; gradus hominem, qui clara petebant
Sydera, & ingentem diuini fœderis arcam,
Et quam fatidico populis Balahamus eois
Carmine prædixit flammam, ſydusq́; futurum.
Sed iam præcipiti Phœbus ſub tartara curru

Ibat, & occiduis aries ſua merſerat vndis
Vellera, & ardenti ſurgebat ſcorpius ore.
Iamq; ſoporiferæ tempus dare membra quieti
Suaſerat, at virgo ſecreti ſola cubilis
Clauſa loco, curis aperit cæleſtibus almum
Pectus & in ſummum ſenſim leuat æthera mentem.
Vnam ad ſe comitum vocat in penetralia tecti
Præſtantem egregio vultus, animiq; decore,
Mnemoſyne genitrix illi, pater vſus, ab ipſa
Cæleſti genus arce trahit, nam conditor orbis
Eſt auus, hanc Graij ſophiam dixêre priores,
Nare ſagax, oculis penetrans caua tartara, & altum
Aethera, nullius linguæ, non vllius artis
Inſcia, labe carens, vitijs infeſta, pudore
Circumfuſa genas, & iaſpide pectus & auro
Splendida contexto, cauſas & nomina rerum
Per media eximis gradiens ad ſumma, Deumq;
Et mundi metitur iter, hac indice virgo
Inſomnis ducens taciturnæ tempora noctis
Contemplatur vti rerum longæua propago
Texta ſit, vnde prior mundi deſcendit origo,
Et chaos & ſyluam informem, diſcretaq; formis
Corpora paulatim varias induta figuras
Vi propria petijſſe ſuis loca viribus apta.
Vtq; grauem liquido ſuſpenderit aëre terram
Omnipotens opifex, duplici cum prolis honore.
Oceanumq; ſuis complexum fluctibus orbem
Fuderit, æthereis incluſerit ignibus auras.

Vtq́ feris terras, mare piſcibus, aëra ceſſit
Alitibus, varijs ornans animantibus orbem.
Vt vaga perluſtret phœbe duodena quotannis
Sydera fraternum fugiens iter, & modo tractus
Erret ad auſtrinos, Elycen modo viſat ad arcton.
Vt procul à phœbi Venus & Cyllenius igne
Ne volitent, verſo referant veſtigia greſſu.
Phœbus vt obliquo nunquam diſcedat ab orbe,
Atq; viam retrò gradiens obſeruet eandem,
Claraq́; nocturnis ſplendoribus imbuat aſtra.
Et rubicunda feri quæ lex incendia Martis
Voluat, & egregium iubar & Iouis ora benigni,
Atq; ſenem pigrum curuata falce minantem.
Vt ſuper octaui radiantia ſydera cœli
Certa lege meant & ſcintillare videntur.
Altius extollens mentem curuamina noni
Orbis, & æterno ſplendentem lumine mundum
Et tenues miratur aquas glacialis Olympi,
Vltimaq; immenſæ formata volumina molis.
Lanigeri ſublime decus, taurumq́; nitentem.
Et geminos Helenæ fratres, auerſaq́; cancri
Sydera quæ Aethiopes vrunt, Indosq́; Arabesq́;,
Atq; Molorchæum ſtellata fronte leonem,
Et iubar Erigones, æquataq; brachia libræ
Viroſamq́; Nepam videt, Aemoniasq́; ſagittas,
Cornuaq; ægoceri gelidis humentia nymbis,
Et liquidos vrnam rores ventosq́; cientem,
Atq; Dionæos lucenti tergore piſces,

Hinc dextra, laeuáque faces ardore coruſcas
Suſpicit, & cœli claros examinat ignes,
Pleiades ſeptem, quarum minima vna latere
Dicitur, & pluuias Hyades, pauidamque Capellam,
Poſt rapidum leporem, Iugulas & Procyon vſtum:
Morboſamque canem, & coruum cratera tenentem,
Inde coronatæ rutilans Minoidis aſtrum,
Et non longa ſitum poſt interualla ſagittæ
Sydus, & æthereis errantem tractibus hædum.
Orpheamque lyram, & flammis lucentibus aram
Suſpiciens cœli, æternos meditatur honores,
Curſibus alternis mundum ferri, atque referri
Ex auſtro in boream, ex borea miratur in auſtrum,
Et fieri vt gelidam tellus coniecta ſub arcton
Dum bibit æthereos admoto ſole calores
Mitis & humanæ reddatur idonea vitæ.
Mens calefacta Deo, ſanctiſque exercita curis
Atque laborando vires & robur adepta
Altius it, ſemperque magis terrena relinquit,
Iam ſuperis admixta domos explorat, & arcem
Et ſolium ſublime patris, quod plurima circum
Turba leues animi volitant, decimoque ſedenti
Orbe Deo aſſiſtunt vigiles, & cuncta fideli
Iuſſa miniſterio peragunt, verſantque rotatu
Sydera perpetuo quidam, mortalia quidam
Facta regunt, preſſaſque graui ſub mole tuentur
Corporis humanas mentes, & regna gubernant.
Omne per hos exercet opus pater, ipſe quieto

Tranquillus

Tranquillus ſceptro ſedet, & complectitur orbem.
Virginis hæc curæ, ſeſeq; oblita virumq;,
Miſcetur diuis, cœliq; palatia luſtrat.
Atq; thoro recubans ſummo ſpaciatur Olympo.
INterea virgo thalami dum ſola receſſu
Excubat occulto per longa ſilentia noctis
Fatidici vatis, quem ferrea turba gementem
In geminas ſecuit dentato robore partes
Codice verſato, primum locus ille legenti
Obuius occurrit, grauidam qui virginis aluum
Præcinit, & magni prolem mortale Tonantis
Corpus, & humanæ ſubituram incommoda ſortis.
O felix nimium (dixit) quæcunq; futura es
Et matres longè ante alias digniſſima virgo,
Quæ paritura Deum, fruituraq; cœlibe lecto
Magna ſeneſcenti renouas miracula mundo.
Non ego communi patrum te labe volutam
Crediderim, talem cui dant oracula palmam.
Tu vetus extingues vitium, ſceleriq; recluſa
Limina concludes, tu protoplaſtis acerbam
Ingluuiem delebis, agens noua ſæcla, nouumq;
Fœdus, & humanum ſupra genus omne fereris.
Te tua, te ventura omnis mirabitur ætas.
Et tibi perpetuis ardebunt ignibus aræ.
O mihi (ſi tantum non eſt audere ſuperbum)
Conceptus liceatq; tuos vultusq; tueri.
Dicite Carmeli qui ſancta ſilentia montis
Incolitis vates, vatumq; æterna propago

Quos imitans tædas ſum dedignata iugales.
Dicite, quæ regio iubar hoc quæ proferet ætas,
Credimus è terris venturam, an ab æthere ſummo
Lapſuram, tali ne hominum debetur origo?
Dumq́; ita cœleſti mentem ſuccenſa calore
In laudes ignara ſuas prorumpit, Olympo
Labitur & veniens fulgentes explicat alas
Nuntius & celeri penetrat ſecreta volatu
Limina, ad ingreſſum ſubite perterrita lucis
Extulit attonito titubantia lumina vultu.
Et formam mirata viri tabeſcere caſtum
Pectus, & inſidias metuens palleſcere cœpit.
Aliger arguta reſerans noua nuntia voce
Pone metus (inquit) ſuperis gratiſſima virgo,
Lætus ab æthereа venio tibi nuntius arce
Aeterni iucunda ferens mandata Tonantis.
Conceptura nouos vllo ſine ſemine fœtus
Et prolem paritura Dei, materq́; futura es
Stirpis olympiacæ, tactus non paſſa viriles.
Et Deus ipſe tuam veniens labetur in aluum
Greſſibus occultis, tuaq́; intra viſcera corpus
Ipſe ſibi formans poſt nonæ tempora phœbes
Exiet humanæ velatus imagine formæ,
Arma ferens pacis venit, atq; ſalutifer orbi,
Propterea ſanctam dabis atteſtata ſalutem
Nomina in immenſum creſcet, venturaq́; magno
Sæcula conſenſu templis congeſta ſuperbis
Dona ferent illi, rutilo qua ſurgit ab ortu

Lucifer,

Lucifer, Heſperias & qua declinat in vndas,
Qua micat arctophylax, latum qua ſuſtinet orbem
Axis inocciduus, reſonans qua naſcitur auſter,
Imperio premet omne genus, telluris & vndæ
Poſſeſſurus opes, cæliq; habiturus honorem
Perpetuum, & mundum æquatis recturus habenis.
Sed neq; fulgentes auro radiante coronas
Nec tyrios regum feret ornamenta colores.
Non illi ſublime domus dabit ardua culmen,
Marmora nec tollet ſubeuntibus alta columnis
Viuenti, non Martis opus, non ærea tela
Tractabit, rigido non oppida milite cinget,
Nec ruet aërias arces, non æquora grandi
Claſſe premet, non hinnitus laudabit equorum,
Nec quæ bella mouent horrenti claßica cantu,
Ferrea nec mittet captos in vincula reges,
Nec populo illuſtres ducet ſpectante triumphos.
Scilicet hæc homines curant, nos alta tenentes
Qui regimus totum damus hæc non quærimus orbem.
Non illi humana bellum eſt cum gente, ſuperbum
Spirituum genus atq; procax, atroq; quod auſu
Diuinum ingenti iam vulgo vſurpat honorem
Impetit, huc belli vires, huc dirigit omne
Robur, & hæc agitur non ferro pugna, ſed aſtu.
Quid fieri maius poterit, quam trudere diuos
Sedibus antiquis, & auito pellere regno?
Sed grauis humanas premit ignorantia mentes,
Nam quod promittunt venturo oracula Chriſto

Imperium mortale putant, vatemq́; futurum
Terrena tantum ducunt à ſtirpe, Deumq́;
Eſſe negant, hinc errorum deſcendit origo :
His deluſa dolis & eiſdem ambagibus olim
Perfida poſteritas longum ſperabit in æuum:
Speratamq́; videns non apparere ſalutem,
Exilijq́; moras longi mirata, nec audens
Vera ſequi, nugis & ſpe paſcetur inani.
Felices annos, & quæ tua protulit ætas
Aurea, non Cæſar renouauit ſæcula, verùm
Tuq́; puerq́; tuus, nam primi dulcia mundi
Tempora conuerſo cœperunt currere greſſu.
Læta quies oritur, niueis pax aurea pennis
Deſcenſura leues humeris circumligat alas.
Iamq́; mei nocuos ignes, infeſtaq́; terris
Sydera compeſcunt comites, Oriona ſæuum
Icarijq́; canis rabiem, pedibusq́; rapinam
Stringentem curuis aquilam, teretemq́; ſagittam,
Cæteraq́; ingratos hominum meditata dolores
Aſtra premunt, flammasq́; iubent regnare fauentes.
Nuntius hæc: humilis firmato pectore virgo
Imperio, dixit, magni parere Tonantis
Cogimur, & miti curuans caput annuit ore,
Candida virginitas, ſimplex prudentia, velox
Et matura fides, humilisq́; modeſtia totos
Lætitia impleuit cœlos, & ſydera cantu.
Tum diuina grauem ſubitis conceptibus aluum
Extulit, atq́; ſinus ſoboles extendit onuſtos.

Sicut

Sicut in adductos penetrat cùm lubrica folles
Aura, cauernoſum ſurgens tumor exit in orbem.
Mirata eſt creuiſſe vterum natura, ſuumq́;
Eſſe negauit opus: trepidas vt virginis aures
Aliger afflauit cœleſti nuncius ore,
Diuulgata polo res eſt, myſteria norunt
Aetherei ciues, Mariæ tunc æthere toto
Nomen honoratum, cœli cantata theatris:
Virginitas fœcunda fuit nondum agnita nigris
Manibus, inferno ve Ioui, ſub hypoſtaſin vnam
Naturæ coiêre duæ, quæ copula diuos
Gentis in immenſum noſtræ conuertit amorem.
Nec graue cœlitibus fuit ipſa relinquere ſummi
Tecta patris, noſtraq́; dies cum virgine longos
Ducere, & occulti reſerare negocia cœli,
Ipſe puellari forma, mentiſq́; decore
Lætior accito diuum pater agmine, ſanctos
Alloquitur ciues, circumſtantemq́; coronam
Spirituum, alloquio patris exultauit Olympus.
Vtq; prius multa ſublimem laude puellam
Extulit, illuſtres atauos, & nomina clara
Gentis Ieſſææ referens, delataq́; cœlo
Sacra pioſq́; animos antiquæ ſtirpis, inanem
Luciferi oſtendit ſedem (contermina ſemper
Regali fuit illa throno, ſceptroq́; Tonantis)
Tum memorans veteres rixas, primæuaq́; bella,
Cur non vna omnes habeant habitacula diui,
Diſcretiq́; locis habitent, quare altior illos

Orbis habet, cur lunam alij, cur Cyprida quidam,
Mercuriumq́ colant, cur ſic partitur Olympum
Lex ęterna docet, cur ſcandant ſydera mentes
Terrigenæ, quænam ratio perſuaſerit illis
Deberi æthereos cœleſtia tecta per orbes
Monſtrat, & hæc dictis poſuit ſententia finem.
Sicut luciferi locus hic ſublimior inter
Eminet æterni numeroſa ſedilia regni:
Sic virgo, quam parua domus anguſtia claudit
(Et Mariam preſſæ monſtrauit acumine virgę)
Humanis animis longè eſt præſtantior, illi
Non fati ratio, non cœli mobilis ardor
Deſtinat hoc ſolium, ſed lege coërcita mentis
Libertas & noſter amor, ſic fatus. At omne
Lætitia fremuit cœlum diffuſa voluptas
Cœleſtes animos rapuit, ſonuere theatra
Plauſibus, aſſenſu ſuperum vulgata per omnes
Elyſij campos magni eſt ſententia patris.
Temporeq́ ex illo ſemper toto ęthere virgo eſt
Angelicis pręlata choris, & dignior omni
Agmine ſpirituum, rutilo Cyllenia quantò
Marte minor flamma eſt, vel quãtum Dęlia triſti
Cedit auo, telluſq́ Ioui, Venus aurea Phœbo.
Iunctus erat ſoli trepidæ non immemor Helles
Corniger, Orion non exurgebat & Argo
Palluerat, gelidam vergens auriga ſub arcton
Pręcipiti curru nitido ſub Apolline tectus
Ibat, & occiderant Hyades, hędiq́ parenſq́.

Tollere fulgentem medio nox humida curſu
Cœperat Aegoceron, primiſq; emiſſus ab vndis
Spectabat geminos erecta fronde cadentes.

PLena Deo mater, fœtuq; animoſa latenti
Trans iuga, trans altos ſaxoſa cacumina montes.
Se tulit, ad ſera fœcundam prole parentem
Cognatamq; nurum, partus viſura beatos,
Virgineoq; ſinu paruum strictura nepotem.
Dumq; viam carpit pedibus calcata pudicis
Geſtijt immenſum tellus, & dulcia longo
Tempore ſeruauit preſſo veſtigia dorſo.
Tota venuſtatem regio mirata decuſq;
Aethereæ frontis, fuſumq; per ora pudorem,
Arriſit procul omnis ager, nemus omne virentes
Exorto iam vere comas curuauit, & ibat
In flores tunc omne ſolum, fragrantia rura
Purpureas paſſim violas & candida paſſim
Lilia fundebant, nitidis è fontibus vndę
Voluebant dulces curſu crepitante ſuſurros.
Aſſyrij colles aſſurrexere, Taboris
Se iuga flexerunt, dominam ſpeculatus ab alto
Vertice Carmelus, caput inclinauit apricum.
Coniferas pinos, & odoriferas cypariſſos
Blandior alternis flectebat nutibus aura,
Aura laborantis, tenui ſpiramine, circum
Colla ſinuſq; volans, & candida virginis ora.
Terra ſuas monſtrabat opes & lucidus æther
Nubibus expulſis vultu ridebat aperto.

Crinibus auratis ſolitoq́; decentior, acres
Sol vrgebat equos, terſoq́; ardebat Olympo.
Qualis erat prima genitor qua condidit illum
Luce Deus, quum clara nouis ſplendoribus aſtra
Alta per inſuetos ferrent veſtigia greſſus.
Attulerat ſextum grauidæ iam Delia menſem,
Et pleni languebat anus ſub pondere ventris.
Hæc erat Hiſmeriæ claro ſata ſanguine, magni
Zachariæ coniunx, cui nomen Elizabeth, annis
Iam grauis, hæc longo ſterilem ſe fleuerat æuo.
Oranti tandem diuum data munere proles
Indice porrecto demonſtratura Tonantem,
Et lotura ſacro venientem flumine turbam.
Vt conſanguineas iunxerunt oſcula matres
Mutua, & iniecti ſtrinxerunt colla lacerti,
Grandior afflatu vicini numinis infans
Geſtijt & ſubito dominum confeſſus honore,
Maternam inſolitis concuſſit motibus aluum.
Tunc anus aduentu charæ lætata puellæ
Et ſuccenſa Deo dixit, tu ne illa propago
Expectata diu nobis, promiſſaq́; noſtris
Patribus & ſacro vatum celeberrima cantu,
Quam mea iam ſero genuit matertera partu?
O decor, ô ſummo facies digniſſima cælo
Te tandem terris ſuperi oſtendêre, quid vltra
Triſtia primæuæ flemus conuiuia matris?
O veterum ſpes longa patrum, ſpectabilis almam
Quæ reparas aurora diem, quæ diſtulit ortus

Nox

Nox tàm longa tuos, quæ cauſa ignota ſub vmbris
Hoc illuſtre iubar tenuit, nec protulit ante
Lumen Olympiacum radios? ô quanta ſepultos
Cura tui proauos tenuit, panduntur ab alto
Aethere fœlices anni, noua naſcitur ætas.
Sydera tu mundo reſeras, tu tartara claudis,
Tu genus inſtauras hominum, profugamq́; paterno
Soluis ab exilio gentem, fortiſsima certè
Delbora, bellatrixq́; potens, animoſa virago
Quæ ducis Aſſyrij caput atq; fluentia tabo
Colla ſecans, pauidos hoſtes dare terga coëgit.
Ipſaq; Perſarum quondam gratiſsima regi,
Quæ genus vlta ſuum ſummo dedit oſcula ſceptro
Clara fuit, multoq́; nitens reſplenduit oſtro,
Hæ ſummum meruêre decus, laudemq́; ſuperbam.
Tu tamen has omnes ſuperas, tu ſæcula portans
Aurea, fœmineitollis conuitia ſexus.
Iam Deus antiquæ commiſſa piacula fraudis
Ponet, & iraſci terris iam deſinet æther.
Fortunata parens, fœlix quæ viſcere ſancto
Progignes, ſanctaq́; puer qui clauditur aluo.
Non erit hæc tua vana fides, nec muneris huius
Latorem fruſtra credendum eſt æthere miſſum.
Ipſe pater, qui cœpit opus formabit ad vnguem,
Irrita nec tantæ fient exordia laudis.
O me fœlicem tua q̃ licet ora tueri,
Sicq; tuos olim liceat mihi cernere partus
Atq; meo geſtare ſinu, quàm læta futura eſt,

Quàm iucunda dies, quom noſtra tuebimur ambæ
Pignora, verſari ſimul atq; incedere iunctis
Greſſibus, & læta fari & colludere fronte,
Vna ætas ambobus erit, par cura, par qui
Terminus & viuent vna duo pectora mente.
Quàm benè mortali ſuperum clementia morbo
Conſuluit vulnus virgo, medicamina virgo
Contulit, illa necis, dedit hæc primordia vitæ
Illa tulit belli cauſas, hæc ſemina pacis.
Illa veneno ſæ ſtygijs lactata Megæræ
Vberibus gelido conceptum pectore virus
Expuit in natos, nigroq; afflata colubro
In genus omne ſuum ſpumam eructauit Auerni:
Cuius odor poſtquam cœlos & tecta Tonantis
Attigit, ex templo valuas offenſa patentes
Numina clauſerunt, totuſq; excanduit æther.
Iſta ſalutari totam ſe proluit imbre
Nectarei fontis, vitalia pocula, dulces
Ambroſiæ ſuccos plenis crateribus hauſit.
Melliſluoſq; bibens latices, quos magnus ab hortis
Elias Eois mittit, ſe in flumina vertit
Lactea, quæ ſemper plenis currentia ripis
Omne ſolum luſtrant, hæc ad ſpectacula verſus
Ipſe pater clauſi limen reſerauit Olympi.
Vnde igitur mihi tantus honos, vnde iſta repente
Gaudia prorumpunt? vt ſemine plena Tonantis
Fœmina ſacratos ferat ad mea limina greſſus?
Hæc anus, at ſenior vocis cui clauſerat vſum
Imbecilla fides cano venerabilis ore
Signa dabat, flexaq; Dei ceruice parentē

Hoſpi-

Hoſpitio ſuſcepit ouans, oculiſq; manuq;
Aethera monſtrabat prius & mox hoſpitis aluum.
Regia parthenice diuino afflata calore
Iucundum cecinit carmen, non Lesbia tale
Fœmina, facundi non Teia muſa poëtæ
Non ſatus Eumolpho, non ipſe œagrius Orpheus,
Non ſonuit Dircæa chelis, qua docta ſuperbit
Græcia, qua ſeſe iactat Cadmæa propago.
Id quamquam noſtro minus eſt tractabile verſu
Subijciam tamen, & ſenſum non verba reponam.
Magnificè regem mea mens extollit Olympi,
Et Deus exhilarat ſancto mea viſcera plauſu.
Ingentiq; meos veſtiuit numine ſenſus.
Vidit enim pectus ſupplex, humilemq; miniſtram.
Propterea ventura canent me cuncta beatam
Sæcula, namq; modis in me ſurgentia miris
Omnipotens rerum miracula ſuſcitat auctor.
Ipſius æterno clementia flumine torrens
In genus omne fluit, ſicut de doridis aluo
Perpetui voluunt plenis vada curſibus amnes.
Explicuit forti vires animumq; lacerto,
Atq; ſuo elatas diſpergens robore gentes,
Exuit excelſos, humileſq; in ſceptra vocauit,
Eſuriem ſaturans inopum, dimiſit inanes
Qui terræ rimantur opes, diuina videntis
Suſcepit miſerans pueri genus, atq; fidele
Semen, vt antiquis reſponſa parentibus olim
Habraamo natiſq; dedit, proliq; nepotum.
Luna ter vmbroſum radijs impleuerat orbem,

Iunctaq;

Iunctaq; fraternos toties amiſerat ignes,
Quom cœtu comitata graui Dauidica virgo
In patriam reduci flexit veſtigia greſſu.
Humida littoreus iam brachia tollere cancer
Cœperat, & claros Procyon abſcondere vultus,
Et iam flaua Ceres campis albebat apricis.
Fronde coronatus matura per hordea meſſor
Ibat & incuruis ſpoliabat falcibus agros,
Iam longo ſudore madens, grauibuſq; flagellis
Robuſtas armata manus, tritura per omnes
Aſſyriæ campos, & dulcia rura Coaſpis,
Sternebat fragiles calamos, paleaſq; volantes,
Atq; ſub ardenti ſonitum dabat area Phœbo.
Pallida conceptum facies prodebat & aluus
Maiori ſuſpenſa ſinu, pectuſq; leuatum
Exili vox clauſa ſono, manifeſta latentis
Signa dabant fœtus, nam nec celare tumorem
Cura fuit, nunquam fœcundi pondera ventris
Diſsimulauit, agens tenues ad pectora vittas.
Sicut enim trepidare facit mens conſcia culpæ,
Sic animi ſimplex probitas, & cognita virtus,
Efficit impauidum pectus, fugit impius vltrò,
Iudiciumq; pauet, frontem pius audet apertam
Tollere, non regis vultum, non iudicis ora
Non rigidos lictorum enſes formidat, vt acres
Non metuit flammas aurum, non verbera ferri
Dura potens adamas, nec onuſtæ pondera palmæ.
Arx eſt ipſa ſibi virtus, ipſa eruit arces,

Ipſa

Ipſa feras hominemq́ domat, non horret inermis
Ire per hoſtiles cuneos, inimicaq́ caſtra.
Hoc externa docent, & noſtræ plurima gentis
Quæ facerent exempla fidem, cur Scæuola dextram
Miſit in ardentes prunas & brachia flammis
Exurenda dedit? pauor eſt tot millibus vnus,
Quem proprijs, virtus, gladijs armauit & haſta.
Cur tranauit aquas Tyberinaq́ flumina virgo,
Cui populus ſtatuam poſuit Romanus equeſtrem?
Chlœlia, quo clypeo Tuſcum quibus enſibus hoſtem
Vicit? ei lorica fuit, catapultaq́ virtus,
Fortior vna viris, Ducibus præſtantior vna,
Cautior vna fuit mulier, cui prouida virtus
Præſtitit ingentes animos & ferrea corda,
Quum ducis auſa fuit correpto guttura cultro
Stringere, & in peram caput inſertare tyranni.
Regulus ad Lybicas iterum freta nauigat arces
Impauidumq́ vltro caput ad tormenta reportat.
Prætereo Chriſti paſſos immania teſtes
Funera, Laurentiiq́ ignes Pauliq́, catenas,
Atq́ reuertentem ſua per veſtigia Petrum.
Aſpice ridentem Siculi mandata tyranni
Zenonem, & regis verſos in vulnera ciues.
Sed quid rem minime dubiam fulcire probando
Proſequimur? nihil eſt virtute potentius, ergo
Parthenices moniti exemplis, quæ ſcimus Olympo
Grata, ſequi, ſtudioq́ opus eſt ſeruare tenaci.
Quod ſuperi laudant, quid ſi mortalia linguis

Ora venenatis carpant? ſub iudice cœlo
Viuendum, demens quiſquis mutabile vulgi
Viuit ad arbitrium, nobis concordia diuûm
Sola ſat eſt, ſi quando meos Deus arbiter actus
Approbat, indoctæ quid me contraria turbæ
Flectit ab incœpto vitæ ſententia curſu?
Non erat hæc Semele Bacchi, non Ilia mater
Romuleæ gentis, nec magni Athlantias Hermis
Maia parens, Danaëue auri deluſa nitore.
Non erat Alcidæ genitrix, nec Agenore nata:
Filia nec Cæi, nec ſe mirata iuuencam
Inachis, illicitos falſo quæ nomine partus,
Admiſſumq́ ſcelus titulo veſtiret Olympi.
Hæc erat alma parens, veriq́ inſigne Tonantis
Hoſpitium, regis ſuperum immortale ſacellum.
Et quoniam diuûm tenuit conſortia ſemper
Pluſquàm hominum, ſuperis fidens neglexit inane
Iudicium, nugaſq́ hominum, miracula ventris
Eſſe Dei ſi norat opus, cur debuit vllis
Occultare dolis? ipſo quas auſpice cœlo
Debuit inſidias hominum? quæ bella vereri?
Quas trepidare manus? igitur ſecura tumentem
Ipſa ſub ora viri ſine fraudibus attulit aluum.
Vir tamen occurrens vt virginis ora reuerſæ
Pallida conſpexit, tumidumq́ exurgere ventrem
Saucius, vt nigro qui neſcius obuiat angui,
Obriguit, gelidum tremuit ſine ſanguine pectus.
Diſsimulat tamen & ficto tegit ore dolorem.

Quid

Quid faciat, quò ſe vertat, quid deniq; captet
Conſilij neſcit, ceu quando ignota viator
Compita defixæ incumbens examinat haſtæ.
Vt iactata ſalo varios ſecat æquore curſus
Nauis, & arbitrio venti bacchatur & vndæ.
Nunc ſurgente freto, preſſa ſalit ardua puppi,
Nunc ruit in proram, fundoq; illiſa, carina
Dat gemitum, reſonant Borea inſultante rudentes.
Sic incerta viri ſecum luctatur & œſtro
Mens agitata, graui curarum fluctuat æſtu.
Dumq; ita concutitur, nigris nox humida bigis
Induxit ſomnos, & inertia preſſerat altus
Membra ſopor, celeri cùm nuntius æthere lapſu
Venit & has miras ſimulauit imagine voces.
Sancte ſenex, quæ tanta tuam veſania mentem
Impulit, vt tantum credas in virgine crimen?
Pone leues animos, claudiq; ſub illius aluo
Diſce Deum, ſicut virides produxit Aronis
Virga carens humore comas, floremq; coruſcum,
Sic ignara viri diuinum regia virgo
Semen, & æthereos accepit viſcere partus.
Cœleſte eſt quod cernis opus, tuq; ipſe miniſter,
Et cuſtos vtriq; datus, nato atq; parenti.
Sic maternus honor, ſanctæq; illæſa manebit
Fama pudicitiæ, neu quis temerarius auſit
In caput illius quicquam crudele minari.
Adde quod à ſtygijs neſciri manibus iſtos
Vult Deus ingreſſus, occulto tartara Marte

Venit & ardentem debellaturus auernum.
His igitur curis liber ne deſpice ſanctum
Virginis os & dulce decus, moreſq; venuſtos.
Incipe mentis inops placidi cognoſcere cœli
Munus, & hoſpitio magni lætare Tonantis.
Hinc decus æternum referes, hoc munere nomen
Immortale paras, partemq; acquiris Olympi.
Crede, fides eſt grata Deo, quia credidit vltrò,
Seminis eſt veſtri princeps Abrahamus & auctor.
Nil magis auertit cœlum à telluris amore
Quàm ſcelus ingratæ mentis, quæ corde maligno
Muneris authorem nullo dignatur honore.
Propterea Solymis fatum graue finibus inſtat,
Nam neq; numinibus pro donis vota futuris
Vlla dabunt, ſed dira leues incuria turbas,
Et ſtupor obtuſæ mentis, commenta, doloſq;
Texere compellet, fraudemq; mouere nefandam.
Tu cœlum ſuperoſq; petes, multò ante beatam
Virgineos inter cœtus, tibi vidimus ædem.
Infœlix quicunq; dies producet in illud
Exitium patriæ, tantas cui cernere clades
Fata dabunt Phrygiæ celebrata incendia Troiæ
Atq; Numantini ſtrepitus, Libycæq; ruinæ
Et pulchræ caſus Ephyres, Thebanaq; bella,
Atq; Syracuſÿ planctus, & quicquid acerbi
Hactenus ardenti Mauors exercuit ira
Excidÿs collatum iſtis (tam ſæua futura eſt
Tempeſtas) horrore carens & mite putatur.

Romanas

Romanas acies Solymam Deus armat in arcem.
Ingentiq́; parat genus hoc abolere tumultu.
Ille ego qui vetui quondam tibi virginis huius
Concubitus, iſta e cœlo noua nuncia porto.
His abijt dictis, & iam lux prima rubentes
Leucotheæ thalamos luſtrans pallentia noctis,
Nubila, ſiccabat, Veneriſq́; emerſerat aſtrum,
Aſtrum, quo gelidi veniunt in gramina rores
Quodq́; reuertentem prædicens lumine Phœbum
Porrigit exiles vmbras, quæ gloria ſolum
Eſt conceſſa tribus Veneri, Phœbo, atq; ſorori.
Talibus admonitus diſcuſſo membra ſopore
Explicat, & largo ſenior conuiuia luxu
Accelerans cogit ciues, & gaudia totis
Læta ciet turbis, ſplendet domus, atria multa
Fronde virent, agiles curſant per tecta miniſtri.
Dumq; aulæa trahunt & verſicoloria tectis
Vela ligant, pueri ſimplex & garrula turba
Apparere procul, pendentia brachia tanquam
A thorace cadant varios ſine pectore vultus
Et quaſi trunca virûm mirantur corpora tolli.
Ecce puellaris chorus, & venerabile matrum
Agmen adeſt, vehiturq́; ſeni noua nupta marito.
Non tuba, non cytharæ deerant, caua tibia cantus
Nunc Phrygios, nunc Mæonios, nunc Dorica verſat
Carmina, iucundo reſonat vicinia plauſu.
Diſcumbunt, dapibuſq́; fames vbi pulſa, miniſtri
Relliquias & cruſta legunt, cryſtallina tollunt

Myrrhinaq; albentes maculas vbi purpura cingit
Vaſa Corinthiacis crateribus æmula, menſas
Sublatis ſpoliant mantilibus, vna decore
Præcipuo fuit, occiduus quam miſerat Athlas
Littore de Libyco, Citreæ de ſemine ſyluæ,
Hanc circumdederant validis emblemata ſignis
In quibus elato ſternebat vulnere Samſon
Allophilos, malamq; manu vibrabat onagri,
Et latis raptos humeris cum cardine poſtes
In montis rapido curſu iuga ſumma ferebat.
Miſſaq; per ſegetes oleaſq; incendia latè
Nubem eructabant fumi, cœloq; volabant,
Mellaq; percuſſi ſtilantia ab ore leonis
Paſcebant heroa, liquor de dentibus ibat
Plurimus & ſitibunda viri ſaliebat in ora.
Et ſeptem plicibus ſoluebat brachia vinclis
Ore tonans, oculis ardens, vultuq; tremendus.
Atq; oculis captus dextra læuaq; columnas
Ruperat, & fractis ruerat domus ardua tectis.
Fulcra toreumatibus ſuberant tornata recuruis,
Artis opus Tyriæ, prima hæc ſpectacula diſcus
Obtulerat, ſalibus paulatim ad ſeria ſermo
Flectitur, & per facta patrum memoranda recurrit.
Sermo erat antiqui ſenis inſperata voluptas
Et melior fortuna, orbam cui lumine frontem
Rettulit in lucem fellis medicamen aquoſi.
Tempore quo primæ ſurgebant mœnia Romæ,
Et Numa diuinos ritus & ſacra docebat.

Vt

Vt duce comperto iuuenis veniſſet in orbem
Cui nomen Medea dedit, cùm Phaſidis agros,
Theſſalaq; Aeſonidæ fugiſſet regna mariti.
Vtq; vir octauus fœlici ſorte puellam
Duxit, & à Medo diues remeabat Araxe.
Quæq; recedenti natæ mandata parentes
Tradiderant inter lachrymas, iterataq; ſæpè
Oſcula narrabant, & facto fine quierunt.

BAPTISTAE MAN-TVANI PARTHENICES MARIANAE, LIBER Tertius.

IAM mare, iam tellus Italo deterrita Marte
Cæſaris imperium, Romanaq́ iura ferebat.
Pax erat, & domitum latè placauerat orbem
Tuta quies, nuſquam litui, non arma ſonabant.
Et ſua bifrontem ducebant limina Ianum,
Nudus in herbiſecam redigebat Martia falcem
Arma faber, ſegnes fodiebant enſibus agros.
Iam Marius Cimbros, Rheniq́ ſubegerat arua.
Iulius audaces Araris, Rhodaniq́ colonos,
Aemathium Paulus regem, Græcoſq́ loquaces
Duxerat inſigni capitolia ad alta triumpho.
Heſperiam, Mauros, Numidas, Libyamq́ potentem
Scipiadæ, Magnus Nilum, Syriamq́, Arabeſq́
Hyrcanoſq́ ſinus, & pontica regna, fretumq́,
Quod Phryges & Cylicum diſiungit ab Hellade campos
Vicerat. Euandri collem metuebat Olympus
Et Tybrim magno pater Ennoſigæus honore
Suſcipiens inter nymphas, & numina ponti

Ducebat

Ducebat ſeptum, celebriq́; in ſede locabat.
Læta Ceres agris cultum referebat, & altum
Fumabant preſſo robuſti vomere tauri.
Auguſtus rerum Dominus regna, oppida, & ipſos
Indigenas redigi in ſcriptis mandarat, & ibant
Cæſareis omnes cenſum nomenq́; daturi
Præſidibus, veterem patriam Dauidis Ioſeph
Cum conſorte graui Bethlemica regna petebat.
Iamq́; ſuburbanas ædes intrarat, & vrbem
Turba frequens complebat, erant plena omnia multo
Hoſpite & ingenti ſtrepitu, plenæq́; ſonabant
Confuſo clamore domus, promiſcua vulgi
Congeries atra ſub apertis nocte iacebant
Porticibus, nulloq́; tegi vagus aduena tecto
Iam poterat, ſicut populo cùm maximus omni
Pollicitus veniam ſcelerum poſt quina ſacerdos
Luſtra vocat turbas, Romana in templa fideles.
Propterea exeſi montis ſub rupe cauata
Ligna ſenex ramoſa ferens ex arbore cæſa
Paruula congeſto fixit preſepia fœno.
Et circum iumenta locans aſinumq́; bouemq́;
Fraxinea ſtrauit ſaxoſa cubilia fronde:
Fomiteq; appoſito circum, de marmore flammas
Excutit & claris noctem fugat ignibus atram.
Binaq́; ſaxa viæ lapidoſo ex aggere vellens
Pronus humi duo ſcamna breuem conuoluit in vſum:
Admotaq́; vxore focis ſtridentia poſtquam
Ligna diu lachrymas nebulaq́; humente vapores

Eiecere graues oculis, & libera pulſis
Vndiq; flamma micat fumis, ſpelæa ligato
Claudit & hybernum prohibet velamine frigus.
Mox inopem è dorſo cœnam deportat aſelli,
Cantharus & paſſæ Cereris cum frugibus vuæ,
Carica, iuglandes, & cum cariotide mala,
Et ſiliquæ dulces, & parui caſeus orbis.
Delitiæ ruris nocturnæ hæc pabula menſæ.
Vt dapibus ſedata fames, de tempore partus
Colloquium ſubijt, nonum iam currere menſem.
Natalisq; inſtare dies vt conſtitit, orant
Ante grauescentem ne ſarcina deſerat aluum
Quàm patrium limen repetant, notosq; penates.
Propterea tardæ, quantum valuere ſenectæ
Inualidæ vires, Mariæ curam exhibet omnem,
Sollicita pietate ſenex, iam languidus ignis
In cineres ibat, leuibusq; albere fauillis
Cœperat & blando nutabant lumina ſomno.
Veſtibus explicitis ægra cum coniuge feſſus
Procumbit ſenior, tepidoq; obductus amictu
Stertit, anhelanti ſtertit ſpelunca ſuſurro.
Deciderant vmbræ nemorum, ſine crinibus omnis
Arbor erat, nidosq; auium monſtrabat inanes.
Stabat apex Lydi gelida niue candidus Hemi.
Thaurus hyperboreos albenti vertice flatus
Accipiens, hyemem Aſſyrias ſpargebat in vrbes.
Mænalon, & Rhodopen, Pholoen, Erymanthon, & Oſſã
Idæas rupes, Apœniniq; cacumen

Exuerat

Exuerat frigus penetrans aquilonis acuti,
Siccaq; brumales vrebant arua pruinæ.
Aſtrictiq; citos vndis glacialibus amnes
Perdiderant curſus,& clauſæ vitrea nymphæ
Tecta ſubintrabant,tepidis vbi Mulciber antris
Conditus hybernat,ſic ſanguine tinctus Enypheus
Auſonio,ſic Thrax Pindo qui labitur Hæbrus,
Populiferq; Padus,Lacedæmoniusq; Eurotas,
Et Tanais,gelida celerem qui diuidit vndam
Hyrgis aqua,ſcythicusq; Hypanis, Xanthus,Simoisq;.
Vix Arabes horti,calidæ vix arua Syenes,
Vix ager Heſperidum,vix ipſe virebat Hymetus.
Halcyonis fœtæ varijs noua pignora pennis
Iam tolli audebant primosq; efferre volatus.
Attulerat medio nox alta ſilentia curſu,
Aſtraq; per tenebras tremulis ardentia flammis
Luſtrabant dubio frigentem lumine terram.
Occiderant ignes,& caligauerat antrum,
Quom ſubitò matris clauſa puer editus aluo
Expulit vmbroſam cœleſti lumine noctem.
Aduenêre chori ſuperum,promptiq;,agilesq;
Dulce miniſterium nato exhibuêre Tonanti:
Et dulces cecinêre modos,tulit ora repentè
Territus hac nouitate ſenex,& ſtrata cubili
Membra leuans,pueri numen recubantis adorat.
Iam leuis,& partu nullos experta dolores
Suſtulit infantem virgo,pannisq; volutum
In præſepe tulit,iumentorumq; ſub ora

Mitia

Mitia, vbi tractis alternus anhelitus auris
Spirabat pueri tepidos in membra calores.
Fortunata ambo, atq; omni prælata ferarum,
Et pecudum numero, ſeu ſit quæ lactea Cyro
Vbera porrexit, ſeu ſit quæ lucet in aſtris
Hirta Iouis genitrix, ſeu ſit quæ pauit Iberum
Cerua ducem, cedant Phrygij, qui ſancta leones
Plauſtra Deûm matris ſubeunt, Bacchiq; miniſtræ
Lynces, & rapidæ truculenta animalia Tygres,
Et lupa quæ geminos aluit Mauortia fratres:
Quiq; trahunt Martis currus, Phœbiq; iugales.
Vos ſola è cunctis diuini conſcia partus,
Infantiq; Deo primum exhibuiſtis honorem:
Diſcite primates orbis, qui ſceptra tenetis:
Tegmine qui bifido frontem, qui ſacra rubenti
Tempora velatis pileo, quibus ora ſuperbo
Inflat honor faſtu, miſeram non temnere ſortem:
Hic puer obſcuri quom primum limina mundi
Attigit, elatæ docuit deponere frontis
Alta ſupercilia, atq; humilem veſtire figuram.
Prima hæc in noſtros obiecta eſt machina mores,
Informemq; iſta reparauit imagine vitam
Mitia ſic iumenta inter mitiſſima proles
Virginis innocuæ iacet, ad ſpectacula toto
Cœlicolum conuerſa cohors miratur Olympo.
Ima caper cœli, cancer ſuprema tenebat,
Et caput attollens ſæcli regina vetuſti
Erigone, iunctoſq; videns deſcendere piſces

Proſpexit teneros clementi lumine partus.
Sunt quoq; qui ſummum traxiſſe per æthera caudam
Fronde ſub ardenti merſa Phlegethonte draconem
Commemorent: geneſimq; velint feciſſe ſiniſtram:
Sed pia virgineę prolis clementia legit
Ipſa ſibi genus id fati, non aſtra tulerunt:
Nam neq; ſublimi Dominum, qui regnat Olympo
Credimus à cœlo in pœnam violenter adactum.
Tum quoq; montanis, lætum paſtoribus, agmen
Diuorum apparens, regem clamauit Olympi
Quærite, qui natus modico iacet abditus antro,
Ite citi, ne vos nox intempeſta retardet.
Candida formoſæ iam pendet ad vbera matris,
Infantem fouet ipſa ſinu, noua gaudia mundus
Accipit, & rerum melior contexitur ordo.
Deſcendit promiſſa ſalus, pia numina mundo
Seruauêre fidem, fœlicia ſæcula currunt,
Et cum prole noua, cœlo noua labitur ætas.
Pax noua terrigenis oritur, noua gloria cœlo,
Hæc diui, greſſus illi mouêre citatos,
Ingreßiq; lares, dulcem videre puellam
Paſcentem teneros lactanti pectore partus.
Nam iubar immenſum cœlo deduxerat infans
Illuſtriq; die noctis diſiecerat vmbram.
Mirati lucem inſolitam, ſummumq; decorem
Virginis, osq; viri ſanctum capitisq; verendi
Caniciem ſacram, pulchræq; ſimillima matri
Pignora, virgineum labris mulgentia pectus,

Poplitibus flexis, miti ſub imagine, clauſum
Numen adorarunt, mox ad ſua ſepta reuerſi
Miſerunt celebrem vicina per oppida famam.
Non erat Oleniam fama hæc nutrire capellam
Cretæa ſub rupe Iouem, neq; tecta caniſtris
Paſcere Cecropias, Vulcania furta, ſorores.
Sed fauſtos veniſſe dies, ſperataq; multum
Tempora, quæ Vates, quæ prædixere Sibyllæ
Tempore, voce, loco varijs, at ſenſibus iiſdem.
Diſparitas facit iſta fidem, nam Perſica primùm
Hæc cecinit, poſt hanc Libycæ telluris alumna.
Delphicaq;, & Cumas veniens à Chalcide virgo,
Antiquumq; trahens cognomen ab æquore rubro:
Et Samia, & regi quæ terna volumina Priſco
Attulit, anguſtæq; fretum quam nominat Helles,
Et Phrygio nutrita ſolo, quæq; ardua tecta
Tyburis & magnæ coluit iuga proxima Romæ.
  Hæc, cùm diuinos cultus & ſacra pararent
Auguſto, cum plebe patres, cita Tyburis arcem
Liquit, & ingentes veniens ad Cæſaris aulas
Fulgentem nitido monſtrauit in æthere circum,
Irideq; incluſam parua cum prole parentem.
Atq; manum tendens, vultuq; ad ſydera verſo,
Ille puer Deus eſt, inquit, tu deſine Cæſar
Velle coli, puerоq; aras, ac templa relinque.
Ille regit cœlos, atq; immortalis Olympi
Poßidet imperium, & fatalia temperat aſtra.
Ille facit pronam tauri incandeſcere frontem.

Et Titanis equos ad aquatica brachia cancri
Flectit,& ardentem ſub virgine temperat æſtum.
Atq; ſuas ſeruare vices vaga ſydera iuſſit,
Chironem torpere gelu,caprumq; niuoſis
Imbribus,& glacie ſtrictos requieſcere campos.
Meßibus æſtates,hyemem niue,purpureum ver
Floribus, autumnum pomis & frugibus implet.
Chaſmataq; & terræ motus, ventoſq; ſonantes,
Imbriferaſq; facit nubes,fulmenq; per ipſa
Nubila contorquens,violentos excutit ignes.
Ille fretum leuat,ille premit,vitæq; necisq;
Lora tenens,ſuperis leges imponit,& Orco.
Tu ſceptrum mortale geris,te ſerica nondum
Regna,nec Eoæ nouerant littora terræ.
Nec Scythiæ glaciale fretum,neq; cõſita Nili
Principio tellus,nec inhoſpita rura Syenes.
Parua breui te Roma ſinu concludit,& audes
Te ſuperis æquare,viamq; ad ſydera tentans,
Tendis ad obſcuræ pallentia flumina Lethes.
Pone precor,Cæſar,faſtus Auguſte ſuperbos,
Teq;(licet tractes vaſtæ telluris habenas)
Eſſe ſub immenſo poſitum reminiſcere ſummi
Principis imperio,cui rerum æterna poteſtas.
Hæc ait,& patrios petijt ſic fata penates.
Iam puero iuxta mores,legemq; paternam
Nomen,& indigenæ dederant inſignia gentis.
Membraq; pertulerant cultros recutita cruentos.
Quom nouus Eoo criniti ſyderis ardor

Mouit

Mouit ab orbe Magos, qui, vel quia forſitan aſtrum
Ante diem partus multò videre, vel ipſa
Quod iumenta magis curſu venere citato,
Immenſum paucis iter exegere diebus.
Herodis monitu, poſtquam monſtrata Tonantis
Tecta ſubingreßi puero tria dona dedere,
Ad Perſas aliud per iter rediere colonos.
Iamq; quater decies croceos Tithonia coniunx
Extulerat vultus, poſtquam Lucina beatos
Miſerat in lucem cœleſtia ſemina partus.
Cepheus occiderat, iam ſol luſtrabat Aquari
Vicinas Aquilæ partes, verisq; redibat
Temperies, zephyros pulſis aquilonibus Athlas
Soluere tentabat cœliq; aperire decorem.
Regia poſt partum virgo, quæ limina nunquam
Liquerat, & breuibus tectis abſcondita, nondum
Venerat ad Solymas arces, altamq; Sionem,
Peruigil ante diem petijt cum prole, viroq;,
Et cum pauperibus donis Salmonia templa.
Munus erat veteri gentis de more, pudicæ
Turturis, aut Paphiæ duo pignora parua columbæ.
Iſta ſacerdoti Solymæ paupercula matres
Munera pro natis deferre in templa ſolebant
Luce quater decima, minor hæc tamen hoſtia, maior
Agnus erat, lex ipſa noui poſt tempora partus
Ante maritales thalamos intrare negabat.
Tum meritis, longoq; ſenex venerabilis æuo,
Et claro Symeon vultu, niueaq; decorus

Canicie pluſquam grauitas anniq́; ſinebant
Sollicito greſſu celſam properabat in ædem.
Sanctus, enim, qui munda ſolet per pectora labi
Spiritus inceſſu celeri Simeona ferebat
Vt voti fieret compos, matriſq́; futuros
Euentus rerum caneret, ſæuoſq́; dolores,
Ne collata ſibi forſan myſteria voluens
Efflueret faſtu pectus muliebre ſuperbo.
Hunc Deus aßiduis orantem fletibus olim
Audierat tandem, & noctis reſponſa per vmbram
Tradiderat, non ante ſui ventura ſepulchri
Funera, quàm fracto Deus illuceſceret Orbi,
Inciperentq́; nouæ noua ſæcula currere gentis.
Hic igitur dulcem materno pectore natum
Accipiens, lætis animis & fronte ſerena
Dulce Deo carmen, meritaſq́; exoluere grates
Cœpit, & ex alto miſſam clamabat Olympo
Progeniem, & priſcæ veniſſe piacula culpæ,
Et ſic fatidicis ſoluit ſua vocibus ora.
Iam mea ſancte pater, fueras velut ante locutus,
Vltima pacifico concludis tempora fine.
Namq́; ſalutarem partum tua maxima dona
Vidimus his oculis, his ſuſtentauimus vlnis.
Immenſam reſeras lucem, populiq́; ſub ora
Mittis, vt omnigenas cœleſti numine gentes
Clarificet, creſcatq́; tuæ noua gloria plebi.
Tum matri conuerſus ait, tua pectora virgo
Languor, & ingenti dolor implacabilis ictu

Stringet, agens altum mœſta in præcordia vulnus
Tu genitum flebis pluſquam fleuere ſorores
Heliades fratrem, pluſquam vaga luxit Oſirim
Vxor, & Andromache paruum Aſtyanacta, Cereſq́
Progeniem à nigro raptam Plutone ſub vmbras.
Heu miſeram Halcyonen videor, triſtemq́ videre
Theſea, per dios Ariadnam quærere campos.
Tantalidem fletu, lachrymis Ciſſeida vinces.
Sed patere & forti tolerans ferto omnia mente.
Mercibus his emitur cœlum, taliq́ petuntur
Aetherei portus & vitæ littora vento.
Ipſe tibi vires Deus impluet, ipſe cadentem
Eriget, & tecum caſus comes ibit in omnes.
Et tandem lachrymæ in riſus, in dulcia mœror
Gaudia tranſibit, toto veneraberis orbe
Terrarum, & ſummi regina vocabere cœli.
Ipſe ſalutari ſocios vbi lauerit olim
Amne puer, noſtrumq́ ad ſe genus omne vocarit,
Terrigenæ tibi ſacra ferent, tibi candida ſeruat
Saxa Paros, tibi thura legunt adolenda Sabæi.
Ipſe tibi largos dudum Carmelus honores
Cogitat, & natos felicibus educat antris,
Qui tibi perpetuam niueo teſtentur amictu
Mundiciem, montiſq́ tuum cum nomine nomen
Aeterna compage ligent. Tu mundior auro,
Tu niue candidior, Veneris tu clarior aſtro.
Nec tua virginitas partu vitiata, nec vllis
Iſte tuus poterit maculis nigreſcere candor.

Propterea nec ad hunc fueras obnoxia morem
Legitimum, & iuſtè poteras his parcere donis.
Tempus erit, quo ſera olim noſtri memor ætas
Hac ſacrum ſolemne die tibi ponet ad aras,
Luminaq; ornatæ longo feret ordine pompæ.
Tunc tuus aurata gradiens in veſte ſacerdos
Carmina noſtra canet, nubemq; effundet odoram,
Templa per & gratum rapiet procul aura vaporem.
Et quoniam veſtris mea ſunt veſtigia plantis
Obuia, poſteritas hanc appellabit Hypanten
Voce diem Graia, crebriſq; erit ignea tædis.
Hæc ſenior vates, eadem præſaga canebat
Aßiduè & repetens turbas vulgabat in omnes
Anna, Deo quæ longa ſui ſacrauerat æui
Tempora, non illam noctes excedere templo
Non cogebat hyems, non ignea ſolibus æſtas.
Cunctaq; ſub memori ſeruabat pectore virgo.
HAec igitur famæ nouitas, cæliq; per altos
Incedens tractus vultu noua flamma coruſco
Inuidiæ ſtimulis, odijq; ardente veneno
Succendêre animos regis, mentemq; ſuperbam.
Rex erat Herodes Solymis, de ſanguine cretus
Gentis Idumeæ, ſceptrum Iudæa propago
Perdiderat, ſæuumq; ferens inuita tyrannum,
Amiſſos regni veteris plorabat honores.
Ipſe igitur regis metuens hæc ſigna futuri
Protinus innocuo Bethlehemica rura cruore
Tinxit, & effuſa ingenti per tecta, per agros

Cæde,domos lachrymis impleuit,& æthera planctu,
Mœrentes Erebi campos inſontibus vmbris.
Sed neq; quod ſcelus infelix tentauit adeptus.
Nam vigilante leui dederat pater iſta miniſtro,
Quæ ferret mandata ſeni,cui tradita dudum
Cura noui partus fuerat,teneræq; parentis.
Subtrahe venturo puerum matremq; periclo,
Et pete Niligenas,cladem & ſæuiſſima iuſſa
Rex parat infanti,ſparſo iam rura natabunt
Sanguine,de matrum ſinibus ſua pignora miles
Auferet, allidens teneras ad marmora frontes,
Atq; in fruſta ſecans paruos crudeliter artus
Sparget,& ingenti reſonabunt omnia luctu.
Territus hoc monitu ſenior,vicina petiuit
Regna Phari,& Libycis contermina Syrtibus arua.
Hermopolimq; domum totam perduxit in vrbem,
Mox Theben,quondam portis celeberrima centum
Mœnia,penſilibus tectis,templisq; Deorum
Claruit,imperium quom rex Buſiris habebat.
Dehinc Memphitis agros,feriunt vbi ſydera celſæ
Pyramides,opus æterna memorabile fama.
Hic tandem hoſpitio patrÿ ſuſceptus amici
Artifices verſare manus,victumq; labore
Rimari,& duræ ſtuduit ſuccurrere ſorti.
Vtq; erat ingenio præſtans,vſuq; peritus
Aſſiduo,& quoniam rebus ſolertia maior
Semper adeſt miſeris,animumq; exercet egeſtas,
Virtutis non pauca ſuæ monumenta reliquit.

Ipſe

Ipſe Myron laudaſſet opus, laudaſſet & ipſe
Praxiteles, nec Phidiaco ceßiſſet honori.
Seu ferrum, ſeu mallet ebur, ſeu ſculpere cedrum
Promptus erat, tabulis omnes inſcripſit ahenis
Arſacidas, Parthosq́ duces, & gentis Achiuæ
Cecropidas, & qui regni tenuere Latini
Littora Murranos, poſt quos Troiana propago.
Siluius Albana ſtabat cum prole, ſedensq́
Auguſtus cum patre alto ſublimis in auro.
Et Ptolemæorum ſeriem, Nilumq́ per agros
Aethiopum curuis voluentem flumina ripis
Finxit, & excelſam nocturna lampade turrim
Aequore lucentem Phario, ſparſaq́ regentem
Tempeſtate rates, & feſſos turbine nautas.
Hoc fabri ſenioris opus, nec vile recepit
Hoc opere ex tanto pretium, paruam ve peculi
Congeriem, his ſtudijs vitam, exiliumq́ trahebat
Lætius, & magno victum quærebat alumno.
Tum Romæ parebat ager Memphiticus, olim
Diuitis Aegypti ſceptrum Ptolemæa propago
Geſſerat, at regni princeps, ac ſeminis auctor
Vnus Alexandri comitum fuit, ipſe potentem
Perdomuit Libyam, circumq́ iacentia regna:
Cyrenes, Arabumq́ procul læta arua ſubegit.
Mox tantas Philadelphus opes, patre digna propago,
Suſcepit ſophiæ ſpecimen, clarusq́ Mineruæ
Cultor, & imperium tenuit cum fratre Cerauno.
Stirps extrema domus tantæ Dionyſius æuo

Et virtute minor, nec nomine dignus auorum,
Omne ſuæ gentis decus obſcurauit, & vno
In ſcelere extincta eſt longæuæ gloria laudis.
Hic fuit extinctor, magni qui Cæſaris arma
Fortunæq́; graues fluctus pro ciuibus & pro
Libertate tulit patria, cui numina ſi non
Et cœlos fortuna regit, poſt fata dediſſe
Atria crediderim ſtygijs minus aſpera campis.
Tunc erat Hermopoli, folijs pomoq́; ſalubri
Vtilis ægrotis arbor, quæ virgine viſa
Pignore cum paruo ſummum flexiſſe cacumen
Fertur, & occulti numen ſenſiſſe Tonantis.
Hæc erat à Medis arbor translata colonis
Perpetuò frondens, & Medica mala ferebat.
Parthenices primo ingreſſu, ſimulachra per omnem
Legimus Aegyptum, ſubita cecidiſſe ruina,
Et colliſa ſolo iacuit reſupinus Anubis,
Cornibus auratis ſolio ruit Iſis ab alto.
Occidit extemplò luctu quæſitus Oſiris
Sicut cùm trepidi per cæca ſilentia Fures
Noctis eunt taciti, vigilantq́; ad furta, repentè
Si denſas abigat lux improuiſa tenebras
Diffugiunt, lucemq́; timent, ceduntq́; diei.
Attoniti vates illis reſponſa diebus
Nulla dabant, ſtabatq́; oculos immotus aruſpex.
Sparſa ſacerdotes timido legère deorum
Fruſta miniſterio, cœpit tunc perdere vires
Cæca ſuperſtitio, veriq́; exurgere patris

Cultus,

Cultus, & occulto ſuperum latrea fauore.
Quo ſtudio natum, qua ſollicitudine mater
Sancta, quibus curis, & qua curauerit arte,
Non ſi mille mihi Boreas inflauerit ora,
Milleq; veloces ſurgant in carmina linguæ,
Expreßiſſe ſatis liceat, tollebat in vlnas
Et figens oculis oculos, præcordia flammis
Dulcibus vrebat, teneros amplexibus artus
Stringebat lachrymans, roſeæ dabat oſcula fronti,
Vbereq; exerto dulcem inuitabat ad eſcam,
Expertem ſermonis adhuc, nec verba valentem
Soluere progeniem, ſummoq; ardebat amore.
Quom primum dulces infans proferre loquelas
Cœpit, & alternis veſtigia figere plantis,
Mater ei tunicas habiles ordita, nouumq;
Veſtis opus, niueo puerum velauit amictu,
Suſpicienſq; polos, inquit, date Numina veſti
Incrementa meæ, pueri cum corpore ſemper
Creſcat, & ad ſanctos vltrò ſe accommodet artus.
Non gladium, tineamue ferat, non trita ſenectæ
Cedat, & hæc noſtri durent monumenta laboris.
Sic ait, & tenui gaudentem cyclade natum
Spectabat defixa oculos, dextraq; regebat
Ambiguos greſſus, in pignore prouida ſemper
Sollicitæ mens matris erat, pia voluere verba,
Et ſuperum laudare patrem ſtudioſa monebat,
Atq; manu victum quærens ſub paupere tecto
Aßiduum tractabat opus, non mobilis illi

Eiecere graues oculis, & libera pulſis
Vndiq; flamma micat fumis, ſpelæa ligato
Claudit & hybernum prohibet velamine frigus.
Mox inopem è dorſo cœnam deportat aſelli,
Cantharus & paſſæ Cereris cum frugibus vuæ,
Carica, iuglandes, & cum cariotide mala,
Et ſiliquæ dulces, & parui caſeus orbis.
Delitiæ ruris nocturnæ hæc pabula menſæ.
Vt dapibus ſedata fames, de tempore partus
Colloquium ſubijt, nonum iam currere menſem.
Natalisq; inſtare dies vt conſtitit, orant
Antè graueſcentem ne ſarcina deſerat aluum
Quàm patrium limen repetant, notosq; penates.
Propterea tardæ, quantum valuere ſenectæ
Inualidæ vires, Maria curam exhibet omnem,
Sollicita pietatè ſenex, iam languidus ignis
In cineres ibat, leuibusq; albere fauillis
Cœperat & blando nutabant lumina ſomno.
Veſtibus explicitis ægra cum coniuge feſſus
Procumbit ſenior, tepidoq; obductus amictu
Stertit, anhelanti ſtertit ſpelunca ſuſurro.
Deciderant vmbræ nemorum, ſine crinibus omnis
Arbor erat, nidosq; auium monſtrabat inanes.
Stabat apex Lydi gelida niue candidus Hemi.
Thaurus hyperboreos albenti vertice flatus
Accipiens, hyemem Aſſyrias ſpargebat in vrbes.
Mænalon, & Rhodopen, Pholoen, Erymanthon, & Oſſã
Idæas rupes, Apœniniq; cacumen

Exuerat

Exuerat frigus penetrans aquilonis acuti,
Siccaq́ brumales vrebant arua pruinæ.
Aſtrictiq́ citos vndis glacialibus amnes
Perdiderant curſus, & clauſæ vitrea nymphæ
Tecta ſubintrabant, tepidis vbi Mulciber antris
Conditus hybernat, ſic ſanguine tinctus Enypheus
Auſonio, ſic Thrax Pindo qui labitur Hæbrus,
Populiferq́ Padus, Lacedæmoniusq́ Eurotas,
Et Tanais, gelida celerem qui diuidit vndam
Hyrgis aqua, ſcythicusq́ Hypanis, Xanthus, Simoisq́.
Vix Arabes horti, calidæ vix arua Syenes,
Vix ager Heſperidum, vix ipſe virebat Hymetus.
Halcyonis fœtæ varijs noua pignora pennis
Iam tolli audebant primosq́ efferre volatus.
Attulerat medio nox alta ſilentia curſu,
Aſtraq́ per tenebras tremulis ardentia flammis
Luſtrabant dubio frigentem lumine terram.
Occiderant ignes, & caligauerat antrum,
Quom ſubitò matris clauſa puer editus aluo
Expulit vmbroſam cœleſti lumine noctem.
Aduenêre chori ſuperum, promptiq́, agilesq́
Dulce miniſterium nato exhibuêre Tonanti:
Et dulces cecinêre modos, tulit ora repentè
Territus hac nouitate ſenex, & ſtrata cubili
Membra leuans, pueri numen recubantis adorat.
Iam leuis, & partu nullos experta dolores
Suſtulit infantem virgo, pannisq́ volutum
In præſepe tulit, iumentorumq́ ſub ora

Mitia, vbi tractis alternus anhelitus auris
Spirabat pueri tepidos in membra calores.
Fortunata ambo, atq; omni prælata ferarum,
Et pecudum numero, ſeu ſit quæ lactea Cyro
Vbera porrexit, ſeu ſit quæ lucet in aſtris
Hirta Iouis genitrix, ſeu ſit quæ pauit Iberum
Cerua ducem, cedant Phrygij, qui ſancta leones
Plauſtra Deûm matris ſubeunt, Bacchiq; miniſtræ
Lynces, & rapidæ truculenta animalia Tygres,
Et lupa quæ geminos aluit Mauortia fratres:
Quiq; trahunt Martis currus, Phœbiq; iugales.
Vos ſola è cunctis diuini conſcia partus,
Infantiq; Deo primum exhibuiſtis honorem:
Diſcite primates orbis, qui ſceptra tenetis:
Tegmine qui bifido frontem, qui ſacra rubenti
Tempora velatis pileo, quibus ora ſuperbo
Inflat honor faſtu, miſeram non temnere ſortem:
Hic puer obſcuri quom primum limina mundi
Attigit, elatæ docuit deponere frontis
Alta ſupercilia, atq; humilem veſtire figuram.
Prima hæc in noſtros obiecta eſt machina mores,
Informemq; iſta reparauit imagine vitam
Mitia ſic iumenta inter mitiſſima proles
Virginis innocuæ iacet, adſpectacula toto
Cælicolum conuerſa cohors miratur Olympo.
Ima caper cæli, cancer ſuprema tenebat,
Et caput attollens ſæcli regina vetuſti
Erigone, iunctoſq; videns deſcendere piſces

Proſpexit

Proſpexit teneros clementi lumine partus.
Sunt quoq; qui ſummum traxiſſe per æthera caudam
Fronde ſub ardenti merſa Phlegethonte draconem
Commemorent: geneſimq; velint feciſſe ſiniſtram:
Sed pia virgineę prolis clementia legit
Ipſa ſibi genus id fati, non aſtra tulerunt:
Nam neq; ſublimi Dominum, qui regnat Olympo
Credimus à cœlo in pœnam violenter adactum.
Tum quoq; montanis, lætum paſtoribus, agmen
Diuorum apparens, regem clamauit Olympi
Quærite, qui natus modico iacet abditus antro,
Ite citi, ne vos nox intempeſta retardet.
Candida formoſæ iam pendet ad vbera matris,
Infantem fouet ipſa ſinu, noua gaudia mundus
Accipit, & rerum melior contexitur ordo.
Deſcendit promiſſa ſalus, pia numina mundo
Seruauêre fidem, fœlicia ſæcula currunt,
Et cum prole noua, cœlo noua labitur ætas.
Pax noua terrigenis oritur, noua gloria cœlo,
Hæc diui, greſſus illi mouêre citatos,
Ingreßiq; lares, dulcem videre puellam
Paſcentem teneros lactanti pectore partus.
Nam iubar immenſum cœlo deduxerat infans
Illuſtriq; die noctis diſiecerat vmbram.
Mirati lucem inſolitam, ſummumq; decorem
Virginis, osq; viri ſanctum capitisq; verendi
Caniciem ſacram, pulchraq; ſimillima matri
Pignora, virgineum labris mulgentia pectus,

Poplitibus

Poplitibus flexis, miti ſub imagine, clauſum
Numen adorarunt, mox ad ſua ſepta reuerſi
Miſerunt celebrem vicina per oppida famam.
Non erat Oleniam fama hæc nutrire capellam
Cretæa ſub rupe Iouem, neq; tecta caniſtris
Paſcere Cecropias, Vulcania furta, ſorores.
Sed fauſtos veniſſe dies, ſperataq; multum
Tempora, quæ Vates, quæ prædixere Sibyllæ
Tempore, voce, loco varijs, at ſenſibus ijſdem.
Diſparitas facit iſta fidem, nam Perſica primùm
Hæc cecinit, poſt hanc Libycæ telluris alumna.
Delphicaq;, & Cumas veniens à Chalcide virgo,
Antiquumq; trahens cognomen ab æquore rubro:
Et Samia, & regi quæ terna volumina Priſco
Attulit, anguſtæq; fretum quam nominat Helles,
Et Phrygio nutrita ſolo, quæq; ardua tecta
Tyburis & magnæ coluit iuga proxima Romæ.
Hæc, cùm diuinos cultus & ſacra pararent
Auguſto, cum plebe patres, cita Tyburis arcem
Liquit, & ingentes veniens ad Cæſaris aulas
Fulgentem nitido monſtrauit in æthere circum,
Irideq; incluſam parua cum prole parentem.
Atq; manum tendens, vultuq; ad ſydera verſo,
Ille puer Deus eſt, inquit, tu deſine Cæſar
Velle coli, pueroq; aras, ac templa relinque.
Ille regit cœlos, atq; immortalis Olympi
Poßidet imperium, & fatalia temperat aſtra.
Ille facit pronam tauri incandeſcere frontem.

Et Titanis equos ad aquatica brachia cancri
Flectit,& ardentem ſub virgine temperat æſtum.
Atq; ſuas ſeruare vices vaga ſydera iußit,
Chironem torpere gelu,caprumq; niuoſis
Imbribus,& glacie ſtrictos requieſcere campos.
Meßibus æſtates,hyemem niue,purpureum ver
Floribus, autumnumpomis & frugibus implet.
Chaſmataq; & terræ motus, ventoſq; ſonantes,
Imbriferaſq; facit nubes,fulmenq; per ipſa
Nubila contorquens,violentos excutit ignes.
Ille fretum leuat,ille premit,vitæq; necisq;
Lora tenens,ſuperis leges imponit,& Orco.
Tu ſceptrum mortale geris,te ſerica nondum
Regna,nec Eoæ nouerunt littora terræ.
Nec Scythiæ glaciale fretum,neq; conſita Nili
Principio tellus,nec inhoſpita rura Syenes.
Parua breui te Roma ſinu concludit,& audes
Te ſuperis æquare,viamq; ad ſydera tentans,
Tendis ad obſcuræ pallentia flumina Lethes.
Pone precor,Cæſar,faſtus Auguſte ſuperbos,
Teq;(licet tractes vaſtæ telluris habenas)
Eſſe ſub immenſo poſitum reminiſcere ſummi
Principis imperio,cui rerum æterna poteſtas.
Hæc ait,& patrios petijt ſic fata penates.
Iam puero iuxta mores,legemq; paternam
Nomen,& indigenæ dederant inſignia gentis.
Membraq; pertulerant cultros recutita cruentos.
Quom nouus Eoo criniti ſyderis ardor

Mouit ab orbe Magos,qui,vel quia forſitan aſtrum
Ante diem partus multò videre,vel ipſa
Quod iumenta magis curſu venere citato,
Immenſum paucis iter exegere diebus.
Herodis monitu,poſtquam monſtrata Tonantis
Tecta ſubingreßi puero tria dona dedere,
Ad Perſas aliud per iter rediere colonos.

Iamq; quater decies croceos Tithonia coniunx
Extulerat vultus,poſtquam Lucina beatos
Miſerat in lucem cœleſtia ſemina partus.
Cepheus occiderat,iam ſol luſtrabat Aquari
Vicinas Aquilæ partes,verisq; redibat
Temperies,zephyros pulſis aquilonibus Athlas
Soluere tentabat cœliq; aperire decorem.
Regia poſt partum virgo,quæ limina nunquam
Liquerat,& breuibus tectis abſcondita,nondum
Venerat ad Solymas arces,altamq; Sionem,
Peruigil ante diem petijt cum prole,viroq;,
Et cum pauperibus donis Salmonia templa.
Munus erat veteri gentis de more,pudicæ
Turturis,aut Paphiæ duo pignora parua columbæ.
Iſta ſacerdoti Solymæ paupercula matres
Munera pro natis deferre in templa ſolebant
Luce quater decima,minor hæc tamen hoſtia,maior
Agnus erat,lex ipſa noui poſt tempora partus
Ante maritales thalamos intrare negabat.

Tum meritis,longoq; ſenex venerabilis æuo,
Et claro Symeon vultu,niueaq; decorus

Canicie pluſquam grauitas anniq́; ſinebant
Sollicito greſſu celſam properabat in ædem.
Sanctus, enim, qui munda ſolet per pectora labi
Spiritus inceſſu celeri Simeona ferebat
Vt voti fieret compos, matrisq́; futuros
Euentus rerum caneret, ſæuosq́; dolores,
Ne collata ſibi forſan myſteria voluens
Efflueret faſtu pectus muliebre ſuperbo.
Hunc Deus aßiduis orantem fletibus olim
Audierat tandem, & noctis reſponſa per vmbram
Tradiderat, non ante ſui ventura ſepulchri
Funera, quàm fracto Deus illuceſceret Orbi,
Inciperentq́; nouæ noua ſæcula currere gentis.
Hic igitur dulcem materno pectore natum
Accipiens, lætis animis & fronte ſerena
Dulce Deo carmen, meritasq́; exoluere grates
Cæpit, & ex alto miſſam clamabat Olympo
Progeniem, & priſcæ veniſſe piacula culpæ,
Et ſic fatidicis ſoluit ſua vocibus ora.
Iam mea ſancte pater, fueras velut ante locutus,
Vltima pacifico concludis tempora fine.
Namq́; ſalutarem partum tua maxima dona
Vidimus his oculis, his ſuſtentauimus vlnis.
Immenſam reſeras lucem, populiq́; ſub ora
Mittis, vt omnigenas cæleſti numine gentes
Clarificet, creſcatq́; tuæ noua gloria plebi.
Tum matri conuerſus ait, tua pectora virgo
Languor, & ingenti dolor implacabilis ictu

Sringet, agens altum mœſta in præcordia vulnus
Tu genitum flebis pluſquam fleuere ſorores
Heliades fratrem, pluſquam vaga luxit Oſirim
Vxor, & Andromache paruum Aſtyanacta, Cereſq́;
Progeniem à nigro raptam Plutone ſub vmbras.
Heu miſeram Halcyonen videor, triſtemq́; videre
Theſea, per dios Ariadnam quærere campos.
Tantalidem fletu, lachrymis Ciſſeida vinces.
Sed patere & forti tolerans ferto omnia mente.
Mercibus his emitur cœlum, taliq́; petuntur
Aetherei portus & vitæ littora vento.
Ipſe tibi vires Deus impluet, ipſe cadentem
Eriget, & tecum caſus comes ibit in omnes.
Et tandem lachrymæ in riſus, in dulcia mœror
Gaudia tranſibit, toto veneraberis orbe
Terrarum, & ſummi regina vocabere cœli.
Ipſe ſalutari ſocios vbi lauerit olim
Amne puer, noſtrumq́; ad ſe genus omne vocarit,
Terrigenæ tibi ſacra ferent, tibi candida ſeruat
Saxa Paros, tibi thura legunt adolenda Sabæi.
Ipſe tibi largos dudum Carmelus honores
Cogitat, & natos felicibus educat antris,
Qui tibi perpetuam niueo teſtentur amictu
Mundiciem, montiſq́; tuum cum nomine nomen
Aeterna compage ligent. Tu mundior auro,
Tu niue candidior, Veneris tu clarior aſtro.
Nec tua virginitas partu vitiata, nec vllis
Iſte tuus poterit maculis nigreſcere candor.

Propterea

Propterea nec adhunc fueras obnoxia morem
Legitimum, & iuſtè poteras his parcere donis.
Tempus erit, quo ſera olim noſtri memor ætas
Hac ſacrum ſolemne die tibi ponet ad aras,
Luminaq; ornatæ longo feret ordine pompæ.
Tunc tuus aurata gradiens in veſte ſacerdos
Carmina noſtra canet, nubemq; effundet odoram,
Templa per & gratum rapiet procul aura vaporem.
Et quoniam veſtris mea ſunt veſtigia plantis
Obuia, poſteritas hanc appellabit Hypanten
Voce diem Graia, crebriſq; erit ignea tædis.
Hæc ſenior vates, eadem præſaga canebat
Aßiduè & repetens turbas vulgabat in omnes
Anna, Deo quæ longa ſui ſacrauerat æui
Tempora, non illam noctes excedere templo
Non cogebat hyems, non ignea ſolibus æſtas.
Cunctaq; ſub memori ſeruabat pectore virgo.
HAec igitur famæ nouitas, cæliq; per altos
Incedens tractus vultu noua flamma coruſco
Inuidiæ ſtimulis, odijq; ardente veneno
Succendĕre animos regis, mentemq; ſuperbam.
Rex erat Herodes Solymis, de ſanguine cretus
Gentis Idumeæ, ſceptrum Iudæa propago
Perdiderat, ſæuumq; ferens inuita tyrannum,
Amiſſos regni veteris plorabat honores.
Ipſe igitur regis metuens hæc ſigna futuri
Protinus innocuo Bethlehemica rura cruore
Tinxit, & effuſa ingenti per tecta, per agros

Cæde,domos lachrymis impleuit,& æthera planctu,
Mœrentes Erebi campos inſontibus vmbris.
Sed neq; quod ſcelus infelix tentauit adeptus.
Nam vigilante leui dederat pater iſta miniſtro,
Quæ ferret mandata ſeni,cui tradita dudum
Cura noui partus fuerat,teneræq; parentis.
Subtrahe venturo puerum matremq; periclo,
Et pete Niligenas,cladem & ſæuiſsima iuſſa
Rex parat infanti,ſparſo iam rura natabunt
Sanguine,de matrum ſinibus ſua pignora miles
Auferet, allidens teneras ad marmora frontes,
Atq; in fruſta ſecans paruos crudeliter artus
Sparget,& ingenti reſonabunt omnia luctu.
Territus hoc monitu ſenior,vicina petiuit
Regna Phari,& Libycis contermina Syrtibus arua.
Hermopolimq; domum totam perduxit in vrbem,
Mox Theben,quondam portis celeberrima centum
Mœnia,penſilibus tectis,templisq; Deorum
Claruit,imperium quom rex Buſiris habebat.
Dehinc Memphitis agros,feriunt vbi ſydera celſæ
Pyramides,opus æterna memorabile fama.
Hic tandem hoſpitio patrij ſuſceptus amici
Artifices verſare manus,victumq; labore
Rimari,& duræ ſtuduit ſuccurrere ſorti.
Vtq; erat ingenio præſtans,vſuq; peritus
Aſsiduo,& quoniam rebus ſolertia maior
Semper adeſt miſeris,animumq; exercet egeſtas,
Virtutis non pauca ſuæ monumenta reliquit.

Ipſe

Ipſe Myron laudaſſet opus, laudaſſet & ipſe
Praxiteles, nec Phidiaco ceßiſſet honori.
Seu ferrum, ſeu mallet ebur, ſeu ſculpere cedrum
Promptus erat, tabulis omnes inſcripſit ahenis
Arſacidas, Parthosq; duces, & gentis Achiuæ
Cecropidas, & qui regni tenuere Latini
Littora Murranos, poſt quos Troiana propago.
Siluius Albana ſtabat cum prole, ſedensq;
Auguſtus cum patre alto ſublimis in auro.
Et Ptolemæorum ſeriem, Nilumq; per agros
Aethiopum curuis voluentem flumina ripis
Finxit, & excelſam nocturna lampade turrim
Aequore lucentem Phario, ſparſaq; regentem
Tempeſtate rates, & feſſos turbine nautas.
Hoc fabri ſenioris opus, nec vile recepit
Hoc opere ex tanto pretium, paruam ve peculi
Congeriem, his ſtudijs vitam, exiliumq; trahebat
Lætius, & magno victum quærebat alumno.
Tum Romæ parebat ager Memphiticus, olim
Diuitis Aegypti ſceptrum Ptolemæa propago
Geſſerat, at regni princeps, ac ſeminis auctor
Vnus Alexandri comitum fuit, ipſe potentem
Perdomuit Libyam, circumq; iacentia regna:
Cyrenes, Arabumq; procul læta arua ſubegit.
Mox tantas Philadelphus opes, patre digna propago,
Suſcepit ſophiæ ſpecimen, clarusq; Mineruæ
Cultor, & imperium tenuit cum fratre Cerauno.
Stirps extrema domus tantæ Dionyſius æuo

Et virtute minor, nec nomine dignus auorum,
Omne ſuæ gentis decus obſcurauit, & vno
In ſcelere extincta eſt longæuæ gloria laudis.
Hic fuit extinctor, magni qui Cæſaris arma
Fortunæq́; graues fluctus pro ciuibus & pro
Libertate tulit patria, cui numina ſi non
Et cœlos fortuna regit, poſt fata dediſſe
Atria crediderim ſtygijs minus aſpera campis.
Tunc erat Hermopoli, folijs pomoq́; ſalubri
Vtilis ægrotis arbor, quæ virgine viſa
Pignore cum paruo ſummum flexiſſe cacumen
Fertur, & occulti numen ſenſiſſe Tonantis.
Hæc erat à Medis arbor translata colonis
Perpetuò frondens, & Medica mala ferebat.
Parthenices primo ingreſſu, ſimulachra per omnem
Legimus Aegyptum, ſubita cecidiſſe ruina,
Et colliſa ſolo iacuit reſupinus Anubis,
Cornibus auratis ſolio ruit Iſis ab alto.
Occidit extemplò luctu quæſitus Oſiris
Sicut cùm trepidi per cæca ſilentia Fures
Noctis eunt taciti, vigilantq́; ad furta, repentè
Si denſas abigat lux improuiſa tenebras
Diffugiunt, lucemq́; timent, ceduntq́; diei.
Attoniti vates illis reſponſa diebus
Nulla dabant, ſtabatq́; oculos immotus aruſpex.
Sparſa ſacerdotes timido legère deorum
Fruſta miniſterio, cœpit tunc perdere vires
Cæca ſuperſtitio, veriq́; exurgere patris

Cultus, & occulto ſuperum latrea fauore.
Quo ſtudio natum, qua ſollicitudine mater
Sancta, quibus curis, & qua curauerit arte,
Non ſi mille mihi Boreas inflauerit ora,
Milleq́; veloces ſurgant in carmina linguæ,
Expreßiſſe ſatis liceat, tollebat in vlnas
Et figens oculis oculos, præcordia flammis
Dulcibus vrebat, teneros amplexibus artus
Stringebat lachrymans, roſeæ dabat oſcula fronti,
Vbereq́; exerto dulcem inuitabat ad eſcam,
Expertem ſermonis adhuc, nec verba valentem
Soluere progeniem, ſummoq́; ardebat amore.
Quom primum dulces infans proferre loquelas
Cœpit, & alternis veſtigia figere plantis,
Mater ei tunicas habiles ordita, nouumq́;
Veſtis opus, niueo puerum velauit amictu,
Suſpicienſq́; polos, inquit, date Numina veſti
Incrementa meæ, pueri cum corpore ſemper
Creſcat, & ad ſanctos vltrò ſe accommodet artus.
Non gladium, tineamue ferat, non trita ſenectæ
Cedat, & hæc noſtri durent monumenta laboris.
Sic ait, & tenui gaudentem cyclade natum
Spectabat defixa oculos, dextraq́; regebat
Ambiguos greſſus, in pignore prouida ſemper
Sollicitæ mens matris erat, pia voluere verba,
Et ſuperum laudare patrem ſtudioſa monebat,
Atq́; manu victum quærens ſub paupere tecto
Aßiduum tractabat opus, non mobilis illi

Frons erat,aut ſubito pectus mutabile motu.
Grata ſed illius mentem,vultumq; decoro
Pondere firmabat grauitas,non mœſta nec atrum
Torua ſupercilium,nec aperto effuſa cachinno
Sed clara & miti facies condita lepore:
Non ridens,non triſtis erat,ſed mixtus vtroq;
Vultus,humiq; oculos ſemper conuerſa nitentes,
Offuſcare decus,viuamq; abſcondere formam
Cura fuit,ſemper vulgus manifeſtaq; ſemper
Compita,congreſſus hominum vitauit & ora.
Gaudia natus erat,natus ſolatia,natus
Curarum lenimen erat,matri iſta voluptas
Sola fuit,terram membris habitabat,Olympum
Mente,nec à ſtudijs potuiſſet talibus vnquam
Diuelli,pietas imis immenſa medullis
Hæſerat,& firmas virtus incocta ſub alto
Pectore radices,pulſa vndiq; ſorde,per omnes
Spargebat latè ſynceri corporis artus.
His ſuperaddiderat diuinæ ſemina lucis
Cœleſtiſq; pater,totam luſtrauerat igne,
Non illam terrenus amor,non vlla caduci
Cura boni,non ſpes vitæ,non triſtis imago
Horriferæ mortis,nec honor,nec fama mouebat.
Hic fuit à prima ſeruatus origine ſemper
Viuendi modus,ad gelidi nigra vſq; ſepulchri
Limina.Sicut enim aßiduis quæ vapulat vndis
Dura ſilex immota manet,nec murmura ponti,
Nec metuit ventos,tempeſtateſq; ſonoras,

Quòq; magis premitur, tantò fit læuior æſtu.
Sic inconcuſſum firmato robore pectus:
Fortunæ quaſcunq; minas, quoſcunq; labores,
Aerumnaſq; tulit, patiens terit omnia virtus.
Aegyptus pluuiam neſcit, ſed læta quotannis
Cùm premit æquorei ſol humida brachia cancri
Arua rigat Nilus, verùm his fœcundior annis
Exijt, & campos melioribus imbuit vndis.
Largius & ſegetes illis, & poma diebus
Protulit omnis ager, præſentia numina tellus
Senſit, & illius radijs fœlicibus æther
Intima maiori compleuit viſcera partu.
IAm ferus Herodes fato ſublatus ad vndam
Raptus erat ſtygiam, æterna cruciandus Erynne.
Et poſt prima fugæ iam ſeptima venerat æſtas
Tempora, iamq; pedes puer exercebat & ora
Rectius, & formæ dulci florebat honore,
Quom diuis iterum Galilæa monentibus arua
Ocyus Aegypti laribus petiere relictis.
Nec Bethlehem tetigere domos, nec rura Sionis.
Archelaus nam tunc Solyma regnabat in ora,
Natorum primi Herodis ſæuiſſimus, illo
Poſt luſtrum expulſo dulci cum pignore mater
Longæuuſq; ſenex, ad primi maxima veris
Orgia, quom typico faciunt ſolenniter agno
Conuenere, puer ſubitæ ſeſe abdidit vmbra
Nubis, ab aſpectu matris ſublatus, in alta
Templa ſacerdotes inter, legiſq; magiſtros,

Mirantem vario tenuit problemate turbam.
Tres illum gemebunda dies, tres anxia noctes
Agnatos notoſq; inter per rura, per vrbem
Cum tremulo conſorte parens quæſiuit, & auras
Queſtibus impleuit, lachrymiſq; tepentibus ora,
Sæpius hæc iterans, magni, mi nate, Tonantis
Progenies, ſi terram habitas, te oſtende parenti;
An potes ardorem hunc afflictæ ſpernere mentis?
Si cælos, æterna patris ſi regna petiſti,
Me quoq; depoſitis in ſydera collige membris,
Vel viuam me tolle precor, quò veneris, æquum eſt
Me quoq;, nate, ſequi, tuus eſt ex ſanguine ſanguis,
Ex membris tua membra meis, ex corpore corpus,
Quod toties alimenta dedit tibi lactea pectus,
Ferre potes tantis curarum molibus angi?
Tertia lux aderat, cùm ſe quærentibus vltrò
Obtulit & media ſeſe monſtrauit in æde.
Tunc illum formoſa parens amplexa, quid, inquit,
Nate, tot in lachrymas, tanta in ſuſpiria mittis
Me miſeram, triſtemq; virum, tum lumina tollens
In matrem genitus, dulces ſe miſit in vlnas.
Et poſt ter ſenas hyemes, quom ſydera capri
Linqueret Hydrophoro iuueni vicinus Apollo,
Cæligenam ſobolem placido ſermone precata eſt,
Tethyos vt latices dulci mutaret Hiaccho,
Albaq; purpureos aſſumeret vnda colores,
Ornaretq; nouo conuiuia ſancta liquore.
Tum primum veteri Deus innoteſcere mundo

Cæpit,

Cœpit, & antiqui nebulas excludere ſæcli.
Propterea ſtygio feruens Iudæa furore
Terribiles illi pœnas, commentaq́ fraudis
Struxit inaudita, ſub iniquo iudice tandem
Damnatum fixêre cruci, quem pallida mater
Contemplata diu fletit, & ſuſpiria ducens
Cùm vellet clamare ſonus non affuit ori.
Ploranti lachrymæ deerant, cùm tangere corpus
Tentat, & ad triſtes extendere brachia plantas,
Phydiacæ ſimilis ſtatuæ ſine ſenſibus hæſit.
Corda ſopor gelidus clauſit, caua lumina nubes
Texit, & amiſſo ceciderunt robore membra.
Aſt vbi collapſam famulæ, comiteſq́ leuarunt,
Atq́ fatigatos ſenſim vigor imbuit artus,
Conuerſo ad natum tales dedit ore querelas.
O decus, ô placidum diuinæ frontis honorem,
O faciem, ô mitis, clementia lumina, vultus,
O ſine fraude manus, ô neſcia criminis ora.
Ora meo toties gremio inclinata, meaq́
Contrectata manu toties, primiſq́ ſub annis
Hoc miſero nutrita ſinu, geſtata lacertis
Membra meis toties, ſummoq́ ex æthere miris
Lapſa modis, quæ me facitis ſine coniuge matrem.
Non ego vos (etſi Symeon crudelia fata
Præcinuit) tanto credebam nata dolori,
Nec paritura mihi tantum mœroris, & auſus
Eſt quiſquam ſcelus hoc ingens? non horruit ergô
Mens humana nefas tantum, quid criminis in te
Nate?

Nate? quid & tantæ potuit quis fingere culpæ?
Tanta ne letheos manes audacia mouit?
Tanta ne terrigenas homines dementia preſſit?
Hoc liuoris opus, tantas amor improbus auri
Parturit inſidias, hęc ſunt, dulciſſima proles,
Quæ te meq́; necant, ſceleri ſcelus arma miniſtrat.
Iuſticiaq́; ratis duplici perit obruta vento.
Flete viri, ſanctæq́; nurus, nulla audijt ætas
Par facinus, perit humana ſub imagine mundi
Conditor ipſe, cauum cœli qui ſuſtinet axem.
Terra, quid auctorum ſceleris veſtigia portas?
Auctorem cognoſce tuum, date ſigna doloris
Sydera, damnatus iuuenis ſub iudice falſo.
Adiutore carens, inter furibunda relictus
Agmina, ſolus, inops, plantas, caput, ora, manuſq́;
Saucius, & duro traiectus pectora ferro,
Vnica deſertæ ſoboles, ſpes vnica matri
Heu moritur, virtuti honor hic? hæc præmia dantur
Moribus innocuis? prohibe tua lumina Titan
Abde caput nebulis, aër, precor, indue noctem.
Omnia quæ cœli gremio capiuntur, & ipſi
(Si Deus hic vobis) Mariam miſeraſcite cœli,
Et plorate mei mecum crudelia nati
Funera, lugubrem domini cognoſcite caſum.
Væ populo, patribuſq́; tuis, ſanctiſſima quondam
Nunc ſcelerum ſentina, Sion, tua crimina quantis
Te implicuēre malis, vnum quot funera funus
Parturiet, lux vna omnes peſſundedit annos.

Nate

Nate Dei, qui fers humana piacula ſolus
Me affligi ſimul, atq; tuos ſentire dolores
Cogit amor, natura iubet, mihi ferrea plantas
Spicula, mortiferæ penetrant mea pectora ſentes,
Cordaq; dilaniant, miſeros vix ſuſtinet artus
Spiritus, atq; vtinam tecum mihi, nate, liceret
Afflictos finire dies, & cedere vita.
Omnia te nobis melius præſente ferebam.
Sed poſtquam te liuor edax, & auara cupido
Oppreſſere, nihil ſupereſt niſi triſte, & amarum:
Nulla meis ſine te ſolatia, nulla voluptas
Rebus erit, tecum pereunt mea gaudia, tecum
Omne meum ſolamen obit, ſuſpiria tantum
Singultuſq; mihi ſine te & lamenta ſuperſunt.
Ah quàm dulce foret matri, ſi viribus vſus
Nate tuis propriæ fugeres diſpendia vitæ.
At poſtquam pietas, & inenarrabilis ardor
Tanta pati, tantoq; premi te pondere cogunt
Eſto mei ſaltem memor, & miſerere tuorum
Quos moriens inter tam ſæuos deſeris hoſtes.
Poſtq; tuos matrem reditus, mi nate, reuiſe,
Et ne adeò magni teneat te cura parentis,
Vt tibi deſertæ ſubeant obliuia matris:
Aduentus ſperare tuos concede parenti,
Atq; tuos iterum vultus, atq; ora tueri.
Hæc mihi ſpes lenimen erit, curaſq; leuabit
Iſta fides, oro ne poſt tua funera linquas
Suſpenſam me, nate, diu, ſed te ocyus ipſum

Redde tuis, hoc materno da munus amori.
Spes eſt longa dolor, promiſſaq́ munera amanti
Expectare diu labor eſt, & pondus iniquum.
Hactenus etſi me caſus timor iſte futuri
Ambiguam premeret, tua ꝙ tamen ora licebat
Cernere, me vitæ nunquam tædebat & omnem
Tollebat tua ſola ſalus mihi cognita curam,
Vita mihi ſemper poſthac inuiſa futura eſt,
Nulla dies lachrymis vnquam, gemituq́ carebit,
Et viuam moriens, erit & vita ipſa ſepulchrum.
Sola domo incerta lucem perteſa latebo,
Propterea prohibe iſtius me, nate, teneri
Exilio vitæ, finemq́ impone dolori,
Atq́ dies præcide meos, neu deſere matrem
Hoſtiles inter turbas, plebemq́ cruentam.
Ad noſtros vbi victor auos ſub nocte latentes
Veneris, ore meum iubeas ſaluere nepotem,
Illum ad me duc nate precor, tecumq́ reſurgat.
Interea ipſa tuos comites ſolabor, & iſtos
Ne nimium caſus timeant ſtudioſa rogabo.
Talibus ægra parens ad natum vocibus vſa eſt.
Hæc lamenta ſolum mouêre tremoribus, Alpes
Expreſſere metum, colliſaq́ ſaxa per auras
Terrifico ſtrepuere ſono, Titania lampas
Occidit extemplò, medioq́ expalluit axe.
Aſtra ſimul ſolemq́ dies amiſit, Olympum,
Aequora, tellurem, ſubita nox abſtulit vmbra.
Ipſa repentinos rerum natura tumultus

Admirata caput circumuertebat, & orbem
Perluſtrans, tantorum operum diſcernere cauſas
Non valuit, ſacroſq; leuans in ſydera vultus
Numina mutato dixit mea regna laceſſunt
Ordine, grande aliquid tantis elementa fatentur
Motibus, aut ſuperos iterum diſcordia vexat,
Aut opus immenſum cœlo Deus euocat, ingens
Inſolitumq; aliquid certè hæc portenta loquuntur.
Signa dedit tellus (vtinam benè vertat) & aſtra.
Hæc ait, attonitæ cæca caligine gentes
Merſa ſub æternam timuerunt ſæcula noctem.
Fletibus his aderat iuuenis, qui ſponte relicta
Coniuge, dilecto voluit comes ire magiſtro,
Hunc igitur cùm iam traheret ſuſpiria Chriſtus
Vltima, & vrgeret ſupremus anhelitus ora,
Singultire videns fleuit, paulumq; leuatis
Luminibus, comitum dixit chariſſime ſalue,
Quem neq; blanditijs potuit mollire voluptas,
Non terrere minæ, non inclinare labores.
Nunc habeo grates, referamq; fideliter olim,
Quòd mea prætuleris viridi conſortia vitæ
Solus, & in caſu comes es mihi ſolus acerbo.
Morte premor, dare poſtremis mandata loquelis
Pauca ſinor, fuit hæc licuit dum viuere, nobis
Sed poſthac tibi mater erit, tibi namq; relinquo
Et curam & nomen nati, ſeruabis amorem
In matrem ſobrine meum, poſſeſſor & hæres
Ipſe meæ pietatis eris, per ſaucia teſtor

Brachia,

En tua progenies adſum, mecumq́; nepotis
Vmbra tui, cognoſce manus, veteremq́; figuram
Oris, & iſta tuis mea membra ſimillima membris,
Cur tantos noſtro ſparſiſti in funere planctus?
Ipſe tuas grauius voces, animiq́; dolorem
Quàm tormenta tuli, ſed iam aſpera cuncta peregi,
Nil ſupereſt mortale in me, nil triſte relictum.
Vicimus infernos gentemq́; ſubegimus atram.
Pone metus, curaſq́; parens, hilariq́; beatam
Fronte diem celebra, paruo poſt tempore mecum
Immortalis eris, ſceptrumq́; tenebis Olympi.
Sic fatus, ſubitò tenues diſceſsit in auras.
Hoc viſu rediere animi, vireſq́; reſumpſit
Parthenice amiſſas, per eburnea membra cucurrit
Purpureus color, & formæ reuocauit honorem.
Sicut cùm rapido noua gramina perculit æſtu
Phœbus, & egregium calor abſtulit oris honorem,
Si nouus humenti labatur ab aëre nimbus,
Et ſcatebris riget omne ſolum, vetus intrat in herbas
Robur, & agrorum redit inſtaurata venuſtas,
Narciſsi caput extollunt, Peneia ridet
Laurus, & exultant hilares per rura Napeæ.
Ipſa aderat, quùm nube Deus circundatus alba
Iuit in æthercam ſocijs mirantibus arcem.
Et quùm flammiferæ venit ſub imagine linguæ
Spiritus, ingenti reſonans per tecta fragore.
Tum noua pacificæ fidei mandata ferentes
Diſcipuli, Solymis, orbem inuaſere, relictis.

Tempore namq; illo vires atq; arma Quiritum
Humanum vicêre genus, ſed inermia Chriſti
Caſtra, Deos veteres, auſus imitata Gigantum.
In vidua deſerta domo rerum indiga virgo
Coniuge defuncto, natoq; in regna recepto,
Ducebat triſti vitam mœrore iacentem.
Iam charas olim comites Martham atq; ſororem
Eurus ad occiduum tulerat ſine remige littus.
Propterea amiſſi quærens ſolatia nati,
Palladiæ collem dederant cui nomina ſiluæ
Et loca, quæ curare magis quondam ille ſolebat
Aſſiduè, tanquam prolem viſura petebat.
Impatiens amor eſt, maioraq; viribus audet,
Seq; reperturum credit quæ ardentius optat.
Inter Cæſareas arces, Tyrioſq; colonos
Et vada Iordanis frontem Carmelus in auras
Tollit, & aſſiduos latices in vertice ſummo
Parturiens ſyluas, ſalientibus irrigat vndis,
Atq; ſupercilio ſenſim demiſſus ab alto,
Vltima Carpathium veſtigia mittit in æquor,
Alluiturq; fretis Paphiæ quibus inſula diues
Cingitur, & Pharios videt alto à culmine fluctus,
Mons patrum pietate ſacer, lateq; priorum
Inclytus hoſpitio vatum, nam dicitur illinc,
Diſcipulo ambuſtam iaciens ex aëre veſtem,
Helias ardenti cœlum petiiſſe volatu.
Illinc perpetuis, ceu miſſi è fontibus amnes
Relligio, & ſacri fluxit reuerentia cultus,

Quicquid

Quicquid habent alij montes pietatis ab iſto
Ducitur, hac vna plures é vite racemi
Diffuſi latè terras, atq; æquora complent.
Hinc Carthuſiacis æterna ſilentia clauſtris,
Hinc varias Benedictus oues collegit, ab iſto
Canabe nodoſa tunicas arcêre fluentes.
Lignipedes didicere viri, quiq; arua colebant
Inuia, & aßiduo terras ardore calentes,
Et quos Cyriacus de littore vexit Ibero.
Hinc orti, ſanctum & ſummo genus æthere dignum.
Hinc noſtri venêre patres, habitacula montis
Culmen adhuc ſeruat toto apparentia ponto,
Quæ noſtri poſuere ataui, madò poßidet hoſtis
Barbarus, expulſæ ſolem petiere cadentem,
Arctoaſq; domos, & gentis regna Latinæ
Relliquiæ antiqui generis, vatumq; propago.
Huc igitur ſi quandò quies, vacuumq; negoci
Tempus erat, veniens curas lenibat, & ipſa
Maieſtate loci largè oblectata redibat.
Propterea montana viri ſpelæa colentes
Audito illius fato, ſublime ſacellum
Apricis poſuêre iugis primi, atq; quotannis
Sacra inſtaurantes, hymnos & tura ferebant:
Namq; ipſi ſeſe, mox vt vulgata ſalutis
Fama fuit, Chriſti magnis iunxêre miniſtris
Fautores operis ſancti, ſocioſq; laborum.
Propterea iſtorum, longos ſeruata per annos,
Poſteritas iungit Mariæ cum nomine montis

Nomina Carmeli, niueoq́; inſignis amictu
Perpetuum ſeruat priſcæ pietatis honorem.
Hos quoq́; virginei penes eſt reuerentia cultus
Præcipua ſeruata fide, velut Herculis olim
Sacra Poticigenæ cuſtodiuere nepotes.
Hoc Deus, hoc magnæ Petri qui præſidet aulæ
Paſtor, & æternis orbem moderatur habenis,
Sæpius accitis patribus ſacroq́; ſenatu
Sanxit, & æra notis ſignata bifrontibus extant.
Paſtor in Antiochi celebres Ignatius agros
Venerat, & ſacros Petri ſortitus honores
Sancta per Aſſyrios paſcebat ouilia campos.
Iſte ſuper mira naſcentis origine Chriſti,
Et teneri ſtudijs æui, vitaq́; prioris
Moribus ad matrem dedit accepitq́; tabellas.
His adeò incaluit patriæ cœleſtis amore,
Obuius vt fatis vltrò progreſſus, in ipſos
Se tulerit Traiani enſes, & in ora leonum.
Quin & defuncti ſcrutatus corda ſatelles
Auratis inſcripta notis inuenit Ieſu
Nomina, ſic grauibus dictis, ſuaſuq́; potenti
Intima diſcipuli penetrarat pectora virgo.
Ac ſi quis Partho miſſurus ſpicula cornu
Cuſpidis æratæ trahat impellatq́; ſagittam.
IAmq́; propinquabant cani, rugæq́; venuſtam
Criſpabant faciem, formæq́; inimica ſenectus
Venerat, at pulchros ætas ne frangeret artus
Lumina ne longo iam caligantia fletu

Indue-

Induerent tenebras, fierentq́; obnoxia nocti,
Dicitur, æternum, matris pro funere, natus,
Talibus alloquijs interpellaſſe, parentem.
Magne pater qui me terræ ne regna perirent,
Corpus & humanos iuſsiſti aſſumere vultus,
Aſpicis annoſo genitrix vt frigeat æuo,
Deformiſq́; ſitu ſenij tabeſcat, & annis
Curuetur grauibus, ſpacium vitale peregit,
Iam ſatis ærumnas, inopiſq́; incommoda vitæ
Pertulit, aſsiduo ſatis eſt attrita labore,
Matriſq́; eximiæ ratio virtutis habenda eſt.
Da ſceptrum cæleſte meæ promiſſaq́; matri
Regna, pater, longæq́; diem ſuccedere nocti
Iam videat, mutetq́; ſuos in gaudia luctus.
Et quia nec vitæ labem nec originis vllam
Nouit, & antiquum retinet ſyncera pudorem,
Maieſtate tua dignum non arbitror iſtud
Tam ſanctum tellure pati putreſcere corpus.
Sic ait, & placido poſtquam pater annuit ore,
In diuerſa leues præmiſit regna miniſtros,
Qui comites olim vitæ mortalis in vnum
Colligerent, matriſq́; illos ad limina ferrent,
Obſequium dominæ, tumuloq́; extrema daturos
Officia, & celebri ducturos funera ritu,
Ipſe ferens textam phœbi de lumine veſtem,
Claraq́; biſſenis matri diademata flammis
Nazareth ex alto petijt non ſolus Olympo,
Nam regem comitata ſuum cæleſtia paſsim

Agmina ſolennes fecêre per aëra pompas,
Et feſtam duxere diem, veteriſq; nouæq;
Legis, & ex omni volitabant ordine turmæ.
Antè alios Dauid, & murice clarus & auro,
Argutam plectro cytharam pulſabat eburno,
Et veteres ducebat auos, cupiduſq; videndi
Virgineos obitus celeri per inania lapſu
Ibat, & æthereo mulcebat nubila cantu.
Ceu cùm fata gemens cygnus vicina canoro
Gutture, & extrema canit ad ſua funera voce.
Ponè ſequebantur vates, coma fuſa per auras
Nabat, & in tenui ventus ludebat amictu.
Parthenice anguſto recubabat feſſa cubili
Et lachrymans requiem orabat, finemq; laborum.
Progenies igitur diuorum aſtante corona
Sedit, & ægrotam ſic eſt affata parentem.
Alma parens mecum diuturna pericula quondam,
Et ſine me perpeſſa tribus mala plurima luſtris,
Credideras forſan, citius me noſtra daturum
Regna tibi, quia mater eras, humana volebat
Hoc pietas, & amor præceps, lex altera cœlo eſt.
Nos etenim lento pœnas & præmia ſemper
Cogimus ire gradu, meritis vt præmia creſcant,
Et vitare grauem nedum ſolertia poſſit
Verum. & ſegnicies pœnam, clementia ſummi
Tanta patris, tali humanum genus arte, gubernat.
Hæc mora longa fuit pietas & gratia maior,
Semper enim tibi creuit honor, tua gloria ſemper
Aucta

Aucta magis, iam prima ſibi loca vendicat inter
Spirituum ſanctos cœtus in vertice mundi.
Nam quò quiſq; magis ſortem patienter acerbam
Pertulerit viuens, tantò ſublimius ibit
Orbe alio, patriq; magis vicina tenebit
Tecta meo. felix igitur cui victa voluptas
Terga dedit, longi quem non fregêre labores.
Humanæ ſpacium vitæ componere fas eſt
Hippodromo, celeres per quem rota feruida currus
Voluit, & aſſiduo concretus puluere ſudor
Membra virûm tepido reddit deformia limo,
Ambigui rerum euentus, ſuſpiria longo
Cum gemitu, lachrymis turgentia lumina, pallor
Plumbeus, exangui triſtes formidine vultus:
Cura vigil, labor oſſa domãs, dolor anxius omnem
Sollicitant hominum vitam, teraq; mariq;.
Obijciunt ſeſe paſſim, prudentia frenis
Talibus humanos auſus diuina coërcet,
Tranquillamq; negat pacem mortalibus ægris,
Eneruare ſolent ſecuras ocia mentes,
Et vitijs vmbrare animas, vt puluis aquoſo
Imbre coit, leuibusq; rapi iam neſcit ab Euris.
Sic aduerſa premit ſenſus fortuna rebelles,
Et cogit parere Deo, morboſq; latentes
Pellit, & ardentes in pectore mitigat æſtus.
Vt ſale conſperſo longos ſeruantur in vſus
Viſcera, nec lædi ſanie, nec tempore poſſunt,
Sic duris animi rebus formantur, & omnem

Abijciunt peſtis cauſam, ſors aſpera tutum
Præbet iter, via ſydereas hæc ducit in arces.
Hac rate feruentes pelagi ſuperenatat vndas
Qui petit æterni portus & littora regni.
Vidiſti qui me caſus voluere meoſq́;,
Communi exilio pulſi, varijſq́; per orbem
Supplicijs acti ſorte exercentur iniqua.
Et nunc extremis Gallorum finibus exul,
Martha ſororq́; latent, quas implacata malignis
Gens odijs vento expoſuit pelagoq́; minaci.
Ipſe dedi faciles curſus, Euroq́; ſecundo
Per Rhodum, & Cretæ fines, & Neriton altam,
Scylleumq́; fretum, Tyrrhena per æquora vectas,
Littore longinquo expoſui, quà Gallicus altum
Illabens Rhodanus, Cyrneas diuidit vndas.
Hactenus hæc, iam tempus adeſt, vt inertia vitæ
Pondera deijciens, cælum ſupremaq́; mundi
Regna petas, & promiſſo potiaris Olympo.
Hæc genitus, læto genitrix hæc reddidit ore.
Nate diu expectate mihi multiſq́; vocate
Supplicijs, tandem exilio finem, atq; labori
Pone meo, cur tantum, oro, mea gaudia differs?
Sed tamen antè tuos iſto quàm corpore migrem
Da videam fratres, ſtygioſq; hinc eijce manes,
Ne mihi tartarei vultus, triſteſue figuræ
Horrorem incutiant mortis, gelidumq́; timorem.
Nec dum finierat, quom iam duodena per auras
Læta cohors aderat, Cilicum reuocatus ab oris

Hic

Hic erat à Græcis, alius trans Pelion, atq;
Tethyos Euboicæ fluctus, Minoiaq; arua,
Et mare Carpathium, ſitientibus alter ab Indis,
Alter ab Aethiopum ſiccis translatus arenis
Transq; domos Arabum, rubi trans littora ponti.
Ille per Europæ populos à gente latina
Tranſierat, veniens Siculos Pelopisq; penates
Phœbeamq; Rhodum, ſparſasq; per æquora terras.
Mox animos, Erebi quot erant per tecta, per auras,
In cæcum Deus ire chaos mandauit, & altis
Immergi tenebris, atq; intra tartara claudi.
Tum niueam mentem domibus diſſoluit opacis,
Et ſuper iniecit tulerat quæ dona parenti.
At gelidum tepido iacuit ſine ſanguine corpus,
Splenduit æthereo mens immortalis amictu:
Cui ſuperûm mirata cohors arridet, & altis
Gaudia ſcintillant animis, dominamq; ſalutant.
Inſonuere poli, longèq; auditus ab alto
Concentus, mixtumq; melos, pars ocyus acta
Clarius & cantu latè reſonabat acuto,
Tarda ibat grauiore ſono, Qui ſydera voluunt
Nunc gelidum verſus Boream pigrumq; Bootem
Nunc auſtros contra, cœliq; latentis ad axem
Curſibus aßiduis orbes, qui lucida paruo
Circuitu verſant in ſummis orbibus aſtra,
Hi quoq; concordi vocum diſcrimine carmen
Immortale dabant, tellus, mare, riſit & aër.
Ipſa ſinu matrem proles complexa per altos

Aëris aſcendit tractus, iuxtaq́ paternum
Ad læuam ſolium ſublimi in ſede locauit.
Intereà miſsi ſtrato impoſuere feretro
Solliciti exanimum corpus, gremioq́ dederunt
Vallis, vbi magnum mundi & generale futurum eſt
Iudicium, & tali ſignârunt carmine marmor.
Parthenicæ diuûm Dominæ, matriq́; Tonantis.
Terga feræ Titan Nemeææ extrema tenebat
Fulgentem cratera inter, claramq́ coronam
Verum illud, nati imperio, poſt tempore paruo
Ablutum Iordanis aquis, terræq́ reſecto
Pondere, & ardenti veſtitum luce, nihilq́
Iam mortale tènens, celeres in ſydera diui
Tollentes iterum, menti impoſuere beatæ.
Ipſa tenens ſceptrum, & nitido diademate fulgens
Cincta caput, terras amat, atq́ vocata fauorem
Impluit, & cæli lucentibus imperat aſtris.

Eiuſdem

EIVSDEM BAPTISTAE AD DIVAM VIRGINEM PRO RECIPIENDA ſoſpitate poſt febrem acerrimam, votum.

AD tua confugio ſupplex altaria virgo,
Et fero nocturnas in tua templa preces.
Tu noſtros etenim potis es depellere morbos,
Aegraq́; de tepido membra leuare toro.
Te Deus & terræ fecit cœliq́; potentem,
Et tibi Cocytus, cum Phlegethonte ſubeſt.
Signa tenes regni, fuluum caput induit aurum,
Virgineam decorat regia virga manum.
Albicat intactum niueo velamine corpus,
Et tenuem pingunt aurea mala togam.
Aurea non ſterilem demonſtrant mala puellam,
Indicium candor virginitatis habet.
Hæc duo ſignificant, quamuis natura repugnet,
Quòd paris illæſa virginitate Deum.
Lucida biſſeno tibi frons innectitur aſtro,
Atq; ſedes alto glorificata throno.
Sole micant humeri fulgentibus vndiq; flammis,
Et niueos veſtit candida luna pedes.

Maxima

Maxima ſpirituum legio tibi ſeruit, & vltrò
Cæleſtes volitant ad tua iuſſa chori.
Tu noſtros igitur potis es depellere morbos,
Aegraq; de tepido membra leuare toro.
Cerne meos ergò gemitus, miſerere dolorum,
Non licet afflictas diſsimulare preces.
Luce gemens iaceo, reſonant ſuſpiria nocte,
Totaq; continuus tempora languor habet.
Arida conuellit feruens præcordia febris,
Et Phlegethontæo me coquit igne focus.
Renibus Aethna ſubest. Boreas incendia flatu
Suſcitat, immenſus deuorat oſſa calor.
Aret & exuſto tabeſcit lingua palato,
Siccaq; compreſsis faucibus ora tacent,
Feſſus hiat pulmo, tenuem vix attrahit auram,
Raucaq; languenti guttura voce ſonant.
Flagrat dira ſitis, quam non extingueret Hebrus,
Cùm gelido hibernas colligit amne niues.
Soluitur in cineres exhauſto ſanguine corpus,
Et parat arſuro tabida membra rogo.
Aeger, ſolus, inops aliena ignotus in vrbe
Conqueror, & mecum triſtia fata gemo:
Auxilium medicina negat, natura dolori
Cedit, & amiſſo robore victa iacet.
Non me Phillyridæ poſſunt, non Phaſidos herbæ
Soluere, non Coi prouida cura ſenis.
Non mihi Circæum carmen, non Pæonis artes,
Non pariet Delos, non Epidaurus opem.

Qualis

Qualis in æquoreo puppis quaſſata tumultu
Cùm bibit admiſſum ſciſſa carina fretum.
Talis ego immenſa morbi ſub mole ſepultus
Non procul extremum ſuſpicor eſſe diem.
In ſcopulum fracta ſi quis rate pulſus ab vndis
Expectet nautæ prætereuntis opem.
Vidit vbi lato nullam prodire ſalutem
Aequore, ſopit iners triſtia corda gelu.
Sic mihi qui non ſum medica ſanabilis arte
Opprimit exanguis pectora mœſta pauor.
Ad ſuperos clamo ſupplex, & numina planctu
Sollicito, diuos in mea vota voco.
Sed te præcipuè diuorum maxima virgo
Mitis in humanum quæ genus eſſe ſoles.
In nos magna tui ſunt exprimenta fauoris,
Et pietas omni iam tua nota loco eſt.
Erue me tantis igitur regina periclis,
Et laceræ ſparſas collige nauis opes.
Mox vt liber ero Lauretia templa reuiſam,
Et tibi de noſtro carmine munus erit.
Carmine perſoluam grates, & carmine laudes,
Carmine diuinum teſtificabor opus.
Hæc mihi diuitiæ quamuis mihi paupere vena
Caſtalio tenuis riuus ab amne fluat.
Ter tibi lucentes ſacrum ponetur ad aras,
Iunctaq; cum dulci myſtica liba mero.
Et tua progenies duplici ſub imagine ſacrum
Fiet, & hæc noſtræ cauſa ſalutis erit.

Eiuſdem

EIVSDEM BAPTISTAE MANTVANI AD VIRGINEM MARIAM pro extinguenda peſtilentia, Oratio.

Alma parens noſtris toties pulſata querelis,
Si tibi vox forſan noſtra importuna videtur,
Da veniam, pietas in nos tua tanta periclis
Cognita præteritis in ſpem nos erigit amplam,
Et leuat ægrotam verba in malè condita vocem.
Tu quoſcunq; vides duros incurrere caſus,
Seu terris fortuna minax ſeu ſæuiat alto,
Cùm tua confugiunt ad dulcia Numina, ſemper
Non ſecus ac natos indulgentiſſima Mater
Suſcipis, & placidis miſeros complecteris vlnis.
Cùm Deus inſpiceret quædam mortalibus aſtra
Cruda nimis, quæ ſæpè homines vexare ſolebant,
Nos miſerans te ſtellifero præfecit Olympo,
Vt tua tam grauibus fieret clementia quædam
Temperies ſtellis, & vim frænaret acerbam.
Nos ergò in tanto poſitos diſcrimine Mater,
Si cœlum influxu nos hoc affligit iniquo,
Aſpice nos illo quod ſpem facit omnibus ore.

Poſtquam preßit inops ſteriles penuria campos,
Sic hominum genus infectum eſt: Sic redditus æger
Corpora venifluus qui permeat omnia ſanguis,
Vt ſubita ſit nata lues, & tabida virus
Peſtilitas crudele ferens per rura, per vrbem.
Qui modò ſoſpes erat, ſubitò, velut enſe vel arcu
Saucius amittit vires, ſtratoq́ recumbit.
Febris vt exarſit, totos perlabitur artus
Squallor auernalis, languet caput, æſtuat hepar.
Amiſſa cor lege tremit, graue pectus anhelat,
Aret lingua, ſitis flagrans deſiderat Hebrum
Byſtoniasq́ niues, gelidamq́ Boriſthenis vndam.
Conatu inualido tentans Natura *venenum*
Vincere lethæas depellit ad inguina glandes,
Et longinqua onerat pulſo emunctoria tabo:
Ars ſi quam promittit opem, mentitur, inane eſt
Auxilium. Spes illudens in funera tranſit.
At neq́, cùm vita in tenues euanuit auras,
Iſta ſuperſtitibus minus execrabilis hydra eſt.
Et moriens æger, tecta inceſtata, relinquit,
Et vomit occultæ, dum ſpirat, in aëra mortis
Semina, mox raptura alios. Sic noxia ſerpit
Peſtis, & incautum potat contagia vulgus.
Sic homines in fata ruunt. Sic tota ſepulcris
Terra olet, exhalant inhumata cadauera tetrum
Nidorem, nubesq́ natat funeſta per auras,
Morsq́ nube latet ſtygium ſpirans aconitum.
Vrbs exhauſta ſilet, nulli per compita cantus.

Lætitiam vox nulla ſonat, præſentia fati
Attonitos reddit, facit ora infantia mæror.
Non animant digiti Cytharas, non organa venti.
Et ſopita ſilet laxis lyra phagina neruis.
Tibia non celebrat triuialia feſta, per ipſas
Herba vias populis non prætereuntibus orta eſt.
Si qui ſe incolumes credunt, per rura feruntur
Soliuagi, fugiunt cœtus, commercia vitant.
Atq; quod eſt homini proprium, conuiuere nolunt.
Ergò fatiſcentem tanto ſub pondere cymbam
Alma parens miſerare, manus extende, tuorum
Sume patrocinium, noſtriſq; occurre periclis.
Eripe ab interitu populum tua ſigna ſequentem.
Nec ſine fidentes tibi tali occumbere fato,
Si tamen hæc noſtrum ſcelus infortunia fecit
Et Deus ex meritis in nos hunc fulminat ignem:
Nec venit ex aſtris, tua nil tutela videtur
Imploranda minus, quandò tu enixa Tonantem
Es potis illius rancorem extinguere, & iram.
Ipſe tuo noſtræ ſpolium de ſanguine formæ
Et corpus mortale tulit, non horruit alui
Clauſtra anguſta tuæ, non abnuit vbere paſci
Atq; ſinus haurire tuos, gremioq; foueri,
Et tua ſæpè ſuos extendere ad oſcula vultus.
Ergò preces regina meas, mea vota ſecunda,
Atq; tuæ ſancto decoratam ſanguine gentem
Prolis, in his tantis regina doloribus audi,
Me quoq; qui duco genus à Carmelide terra,

Cuius eras viuens olim ſtudioſa, propinqui
Sæpè ferens greſſus per opaca ſilentia montis
Ne precor auertas, & ne contemne rogantem
Ad tua templa nurus, cùm nos de Syrtibus iſtis
Erueris, venient ſolennia dona ferentes.
Ad tua templa viri, cùm tam crudele venenum
Abſtuleris, venient ſacrum Pæana canentes.
Hos quoq; quando nihil melius dare poſſumus, hymnos
Fronde coronatas tibi ſuſpendemus ad aras.

FINIS.

BAPTISTAE MANTVANI CARmelitę Theologi

PARTHENICES SECVNDAE Liber primus.

AD MAGNIFICVM DOMINVM BERNhardum Bembum Patritium Venetum & Iureconſultum peritiſsimum.

BEatiſsimæ virginis & martyris Catharinæ vitam nuper Romæ, dum tu apud innocentium Pont. Max. pro Rep. tua ſplendidum oratoris munus obires, heroico carmine complexus ſum. Opuſculum vt mihi videtur pium magis quam elegans, & immaturum potius quam præmaturum. Nam mea in te charitas tuis in me beneficijs excita, dum tuo

deſiderio

deſiderio nimis ardenter ſatisfacere cupit, prætermiſſa diuturnæ limæ diligentia & labore corrigendi, præcipitauit editionem. Sed age placeat celeritate, ſi non placet eloquio. Quadraginta enim & nõ amplius diebus opus abſolutum eſt, dum propter æſtiuum iuſtitiũ, negocijs intermiſsis, curamus ocia canicularia ſalubriter cũ aliqua ſtudiorum fruge tranſigere. Tibi igitur vir præſtãtiſsime liberiſq; tuis, libellus iſte dicatus eſt antè tibi debitus quam conditus. Muneris tenuitatem poterunt excuſare, meus ingens animus & curta ſupellex, animi tui modeſtia ac ſumma liberalitas, quæ ab amico paupere xenia præcioſa nõ expectat, & de hoc hactenus.

Miror profectò nec parum miror, de hac tali ac tanta Virgine in cuius laudes tota catholica certat eccleſia nullam ab Euſebio Cæſarienſi Epiſcopo, cum de illis temporibus agit, fieri mentionem. Crediderim id accidiſſe diabolo procurante, & tanti viri cognitiones aliorſum flectente, dum ſanctiſsimæ Chriſti martyris immortali gloriæ titulisq; ſempiternis inuideret. Sed quod ille ſanctitatis ini-

micus & publicus hoſtis innocentiæ, fraudulétia ſua prohibuit chartis inſcribi: Deus probitatis auctor, & aſſertor ſua prouidentia voluit fidelium cordibus annotari. Nulla enim virgo poſt illam incomparabilem virginem, quæ eſt Dei mater & hominis, hanc, opinione ſanctitatis, antecedit. Nominis eius ethimologia deprauata eſt à quodam, qui eum librum compoſuiſſe dicitur, cui legenda aurea titulus eſt. Fuit enim vir ille iudicio meo pius quidē, ſed nequaquam ſatis literatus, pius inquam, quòd diuina congeſſerit: illiteratus verò quoniam græcis vocabulis latinam, latinis græcā, hebraicis mixtam, nulli veram, omnibus confuſam, obliquam, contortam, falſamq; dederit interpretationem. Atq; ita ſanctorum nomina dum illuſtrare putat, ſua deluſus, vel ignorantia, vel impudenti temeritate reddidit obſcuriora, & niſi putaretur peccaſſe per imperitiam, putari poſſet de impietate condenandus, vtpote qui ſacroſanctam Chriſti religionem rectæ interpretationis inuerſione voluerit cauillari, & nominū pturbatione ſanctis illudere, fanatico et ſomnianti ſimilis mōſtroſa verborum

verborum deliramenta confinxit, quæ neq; ipſe qui per Labyrinthum tenebroſæ ſuæ ignorantiæ circumactus nenias illas balbutiebat, intellexit, adeò delirus, adeò incompos ſui, vt neſciret etiam ſe neſcire quæ diceret. Quam ſi fortaſſe cuiquam plus æquo videbor excandeſcere, precor mihi veniam non negari ſi mereor, nam cum conſidero hinc factum eſſe, vt ſanctorum vitæ contemptui pateant, vt ſine riſu vel ſtomacho legi non poſsint, & eorum geſta ſumma veneratione digniſsima ſcriptoris vitio ſic eſſe deformata atq; dehoneſtata, vt ab homine latino, quantumuis religioſo videantur indigna, quæ legantur, ſi ægrè fero, ſi damno, ſi conqueror, habere me puto indignationis iuſtæ materiam. Debuit ille vir id munus omittere, quid ad imperitum non pertinebat, vel peritos aliquando conſulere ſicut prudentem virum decebat, vel prius diſcere quàm docere, nedum ordine præpoſtero vult eſſe magiſter; antequã diſcipulus, nauci hominis nomen incurreret, ſed fortaſſe putans errorẽ intelligentiæ piȩ voluntatis vmbrare prætextu, factus eſt in vtroq; reus, & intellectu atq; vo-

luntate deficiens, ſibi ignominiam, ſanctis iniuriam, fidei iacturam, ſimplicibus ignorantiam, doctis nauſeam parturiuit. Nō igitur Catharina vniuerſorum ruina ſicut ille fabulatus eſt interpretatur, ſed vel à catharos, quod eſt purus, vel à catharizo purifico, vel à catareo defluo, vel à cata & ryax, quod eſt riuus vox illa deflectitur. Legimus enim apud Plinium Hipponem Aphricæ oppidum cuius Epiſcopatum tenuit Auguſtinus Epiſcopus, à Græcis Catharitum appellari, quod riuis & aquis eſſet irrigua.

Quoduis horū dixeris, rectè dixeris. Vera.n. ſemper cū agnoſcuntur in omnib. amplectenda, ac in huiuſmodi nominibus, cum veritas latet, ad veriſimilia quæ linguæ alicuius peritiam ſapiant, ab interprete confugiendum eſt, cauendumq; ne iſtius exemplo, velut ægri ſomnia vanæ fingantur ſpecies, vt nec pes nec caput vni reddatur formæ. Sed iam ſatis de hoc ſuperq; dictum. Et vt totam Parthenicen priuſquam perlegas vno ſummatim legas intuitu, breue ſubijciatur argumentum.

Sebaſtianus

SEBASTIANVS MVRRHO COLMARIENSIS GERMANVS, REVE-*rendiſsimo in Chriſto Patri ac Domino, Domino Ioanni de Dalberg VVormacienſi Epiſcopo, Domino ſuo obſeruandiſsimo, S. P. D. ſeſeq́; commendat.*

PLato excellentiſsimæ doctrinæ vir,& ingenij acutiſsimi peneq́; diuini ,quadrifariam nobilitatis nomen diuidit ac diſcernit tã doctè quàm peritè. Primum his nomẽ illud celebre diſtribuens,q̃ claris, bonis, iuſtisq́; maioribus orti. Deinde his quorũ parentes Principes,potentesq́; fuere. Tertiò verò eos nobiles vocat,quorum ſint Aui fama et opinione celebres,vtpote qui ex certaminibus olim coronas reportarint.Quartum verò & in his præſtantiſsimum, cum quiſquam per ſeſe animi magnitudine, ingenuitateq́; præcellit. Quamuis, optime Præſul, non ſolùm tribus pręfatis generibus,& clarus et præcellens exiſtas,Quarto tamẽ cũ cęteros tũ teipſum ſupare

contendis. Nam quàm beneficus liberaliq; ingenio in me fueris enarrare nequeo: Nullis enim meis meritis, nullisq; officijs motus animi tui ingenuitatem in me demonſtraſti, cùm nuper me in conſpectum Illuſtriſsimi Principis, Philippi Palatini Rheniq; Comitis, rudē me ac ineptum deduceres & collocares, qui & ſuis egregijs Principeq; dignis moribus, tuaq; humanitate ductus, & regio vultu corporisq; geſtu, me placidè audiēns, ac pro rei conditione reſpondens, officio functum, hilaremq; ad hos, à quibus miſſus fueram dimiſit, nec tu hac humanitate cōtentus me in ædium quoq; tuarum penetralia duxiſti in Bibliothecam illam egregiam Latinarum, Græcarum, Hebraicarumq; litterarum officinam, omniumq; Muſarum diuerſorium. Ac mox è nidulis codices educens tuis manibus ſacratiſsimis, aſpectui meo præſentare dignatus fuiſti, feci tum impudēter duos poſtulans codices: Latinum vnū, alterum Hebręum, vt eos vſui mihi commodares, quos inter maximas tuas occupationes per Iacobum Vvimphelingium Sletſtatinum ad me deſtinari feciſti, qui iam apud me cum
veteribus

veteribus (vt Cicero ait) amicis reſidet, pro his, optime Pontifex, immortalibus tuis beneficijs, nullo vnquam tempore à noſtra memoria delendis, quid dignũ referam neſcio, quamuis maximè gratificari deſiderem. Iubet enim Heſiodus (Cicerone teſte) maiore cum fœnore beneficium redire debere, agros vt imitemur fertiliores. Quod etſi minimè facere poſſim, ſtatui tamen (vt & promiſimus) commentationes quas in Baptiſtæ Mantuani Poëtę illuſtris in viam clariſsimæ virginis Catharinę poëma ſcriptum, confecimus, tuo nomini dedicare, in quibus etſi nequaquam Poëtę pręſtantiam elucubramus (nam quis Poëta digna dicere poſsit?) monſtrauimus tamen quo pacto melius in lucem hominumq; conſpectum prodire valeat. Accipito igitur id munus ab eo, cuius tibi animus, corpus, facultateſq; omnes deditæ obligatæq; ſunt, nam nullo alio genere beneficus eſſe poſſum, quàm eo quod Plato ſummi ingenij philoſophꝰ in diſciplinis liberalibus imbuendis illuſtrãdiſq; collocauit Velim enimuerò ſi quid laude dignum geſsimus tuo id auſpicio adſcribi, ſin dedecus merui

mus & opprobria, omne id mihi imputetur, d vel tu me παραφράστην diligas, inq; familiari tuorum grege colloces. Vale pientiſsime Pontifex. Ex Colmaria. xx. Ianuarij. Anno ſalutis Milleſimo quadringenteſimo Nonageſimo quarto.

ARGV-

ARGVMENTVM
Poëtæ in Parthenicen ſe=cundam.

CATHARINA virgo Aegyptia, Alexandriæ nata, Coſto patre, qui fuit ex Lagidarũ familia, ſub Maximino Orientis præfecto vel ſub Maxentio Maximiani filio paſſa (nã de auctore paſsioins ambigitur, ſed omnia ferè exemplaria quę leguntur in eccleſijs Maxentium habent) ſuperatis & ad fidem conuerſis quinquaginta diſertiſsimis Oratoribus, cauſam Chriſti tutata eſt , diu ſqualore carceris afflicta, longa inedia macerata, duriſsimè cęſa, tandem poſt vxoris regię & Porphyrij ducentorũq; militum conuerſionem , confractis rotarum machinis, decollata lac fudit pro ſanguine, corpus eius, in Sinam montem Arabiæ, deportatur ab angelis.

CONSTIDIS agreſſi pugnam, tormẽta, rotaſq;,
Atq; triumphato victricia bella tyranno,
Detegimus fraudes , & numina falſa Deorum.
Sancta faue virgo tenuem cui carminis orſum
Pangimus, & vento venias ad vela ſecundo.

Veridi-

Veridicos cantus non ex Helicone vetuſto
Porrige, ſed Chriſti ſacris de fontibus hauſtos.
Da mihi non hederæ, non lauri vimine textam,
Sed qualem tu diua geris de fronde, coronam
Arboris Eoæ, medio quam legimus horto
Spargere fœlicem ramis vitalibus vmbram,
Et Paradiſiaco nobis aſpiret ab orbe
Vera Dei ſoboles, æterna potentia patris.
Orbe ſoporato tellus Aegyptia noctem
Roriferam induerat, merſuſq; ſub æquore, Titan,
Heſperio, cœli nitidos accenderat ignes,
Et niger attollens humentem Scorpius ortum
Stringebat iam rura nouis effœta pruinis,
Cùm Iouis imperio volucres Cyllenius alas
Sumpſit, vt ex toto veteres Memphitis in agros
Cogeret orbe Deos, qui maieſtate relicta
Iam ſua cedebant noſtris altaria ſacris,
Inuitaq; iugum Chriſti ceruice ferentes
Nulla dabant reſponſa palàm, ſed cæca malorum
Semina iactabant, tacitoq; in pectora lapſu
Intrantes humana, dolos & operta venena
Gentis ad excidium noſtræ inſpirate ſolebant.
Quale per inſidias gerit inter ouilia bellum
Nocte lupus, facta pedibus ſcrobe limina ſubter.
Tunc ferus Auſonijs Mauors noua gentibus arma
Suadebat, ferrumq; graui verſare tumultu,
Ocia lucanis dum Maximianus in hortis
Ducit, & in regem dum res Romana reuerti

Cogitat,

Cogitat, extinctis regni conſortibus, vnum.
Tunc Hecates motus furijs Maxentius, artes,
Vertitur ad magicas, veterumq́ ad ſacra Deorum,
Inſtaurat delubra, nouus ſcrutatur aruſpex
Exta, ſcelus tentat, quo non crudelius vllum
Legimus à prima naſcentis origine mundi.
Viuentum grauidas matrum ſecat enſibus aluos
Immatura trahens ſtygijs quæ deſtinet aris
Pignora, funeſtos docuit Proſerpina ritus.
Inuida creſcentis fidei ſucceßibus omnem
Hæreſibus ſacram legem Tritonia Pallas
Implicat, & veris fucat mendacia dictis.
Mixta choris iuuenum Venus illecebroſa repugnat
Virginibus ſacris, moreſq́ irridet honeſtos.
It Veneri Bromius comes, & Silenus, & ipſæ
Caſtra Mimallonia vino redolentia Bacchæ.
Atq́ Dionęos furtim per tecta liquores
Iam ſine pampineis thyrſis & lyncibus Euan
Mittit, & occultos accendit in ædibus ignes.
Inuoluebat opum ſtudijs Saturnia Iuno
Corda virûm gemmis, fuluiq́ numiſmatis aura
Merce peregrina, tunicis ardentibus oſtro,
Sollicitans animos hominum, priuatus Olympo
Phœbus & ignifero curru, pice nigrior atra
Verſus in AEthiopem, fidibus ſpoliatus, & arcu
Daphnæa ſine fronde miſer per mœnia noctu
Ibat, & ablatum virus Pythone perempto
Quod magnus ſeruabat onix, ſpargebat in ipſos

Nobilium

Nobilium thalamos,quo corda imbuta malignis
Artibus armabant animos.hinc orta libido
Imperij,& curis rabies accenſa ſuperbis
Regnandi cupidos facile in ſcelus omne trahebat.
Talibus addictos operis Cyllenius vrget
Ad mœſti Iouis ire domos Memphitica regna.
Eſt locus Aegypti bifido qua flumine Nilus
Delta facit,Nilus cuius cœleſtis origo
Regna per Aethiopum fugiens orientis ab hortis
Ingreditur Pharios ſeptena per oſtia fluctus,
Non procul eſt Styx atra palus,vbi condidit Io
Inachis inuentum fratrem Typhonis Oſirim.
Edita non procul eſt in collibus ora ſupinis
Pyramidum regio,quarum præcioſior orta
Dicitur à Rhodope,cuius præſtantia formæ
Tot congeſſit opes, vt nobilitate ſepulchri
Vicerit & reges ipſos. Hic Iupiter olim
Clarus & ignipotens,poſito modò fulmine pauper
Squalidus & torua demiſſus lumina fronte
Dæmonas aduectos anguſto ſuſcipit antro,
Atq; ſub exeſa ſcabri teſtudine ſaxi
Conſedere ſolo.Tunc ſic eſt Iuppiter orſus.
Numina quæ toto terræ regnaſtis in orbe
Non ſatis eſt noſtro quod nos Galilæus honore
Exuit,in tantas auſus prorumpere fraudes,
Non ſatis eſt,pueris etiam contemnimur,omnes
Nos impunè premunt,in nos conuitia iactant
Caupones,mimiq; leues,ſcurræq; loquaces.

Falſi-

Falſidicoſq́; vocant, ergò hæc indigna feremus?
Nec toties læſi ſemel vlciſcemur? inertes
Sic ſumus vt viuos nos non intelligat hoſtis?
Nos periſſe putant, defunctaq́; numina vita
Vulgus ait, tempus veniet cùm turbine tanto
Chriſtigenas Aſiæ regnis Libyaq́; fugatos
Inuoluam, properate dies, velociter amni
Currite, ferte cito Machometia tempora curſu.
Interea mentes alijs ſolabimur ægras
Supplicijs, vna noſtras in virgine vires
Experiamur, erit noſtri reuerentia forſan
Maior ab exemplo tali, Catharina ſuperbo
Noſtra ſupercilio damnat ſimulacra, Deoſq́;
Impia ſubſannat, vultuq́; elata ſuperbo
Non Venerem, non Iunonem, non Pallada, non me
(Tanta eſt impietas) minimo dignatur honore.
Iuppiter hæc, magno ſocij fremuere tumultu,
Exiliunt iræ, furiarum incendia ſurgunt.
Et furor ignitis oculis & fronte minaci
Excandeſcit, vti rapidis cùm ferrea flammis
Lamina Cyclopum excoquitur flagrante camino.
Iuppiter vt vidit grauibus commota querelis
Numina, ſic iterum ſumptis ſermonibus inquit.
O ſoboles iucunda mihi plutonia coniunx
Perſephone, quando miſeri te cura parentis
Sollicitat, cita tartareas deſcende ſub vmbras,
Plutonemq́; roges vnam mihi mittat Erinnem,
Tiſiphonen, aut Alecto, diramue Megaram.

I pete nata virum,grauibusq́; obnitere verbis,
Scis quibus ille modis poßit,quoue ordine flecti.
Sic pater,hæc reſponſa dedit Proſerpina patri,
O pater,heu fruſtra furias in tale vocamus
Obſequium,poſcit furias ſibi tartarus omnes:
Nec ſatis officio faciunt,vix prima Neronem
Vix Decium fratrem Titi execrabile ſancta
De radice genus colubris & verbere duro
Corripit,indomitæ pugnant cum manibus vmbræ.
Vociferant altum lateq́; incendia iactant.
Tantus in igne dolor,tanta impatientia flammæ,
Namq; ea gentiles animas in tartara iactans,
Non ſinit alterna requie miteſcere pœnam.
Et modò Romanis thalamos ſtratumq́; duobus
Regibus,imperij qui depoſuere labores
In medijs Cocyti vndis componit,& altum
Figit humi puteos,quantum Marpeſia cautes
Ingenti vix mole nouem deſcenderet annis.
Altera Iudæos recutitaq́; improba gentis
Semina,quæ poſtquam letali vulnere Chriſtum
Abſtulit,antiqua nequicquam lege ſuperbit,
Curat,& ardentes mergit Phlegethontis in vndas:
Sæpius Herodes geminos natumq́; patremq́;
Cadit,& inſertat candens in guttura ferrum.
Tertia Chriſtigenas,odijs infenſa cruentis,
In vada prærupta celſo de vertice rupis
Præcipites Acherontis agit,verſosq́; per amnem
Luctificum trahit hamato per ſaxa tridente.

*Et iacit in flammas, quæ deficientia nunquam
Sulphura depaſcunt, fumóq; inuoluit & igne.
Sed quid opus pater eſt furijs, ego iuſſa capeſſam,
Fare, patris non eſt fas diſſimulare dolorem.
Vade, ait, ardentes quando Maxentius aras
Conſulit, imperij cupidus, ſub nocte ſilenti
Hec reſponſa dato, Nilum pete, ſacra Deorum
Reſtitue, & tanta tibi pro pietate coronam
Accipe, & inſignem fulgenti murice clauum.
Sic ait, & natæ pater inclinatus ad ora
Permulcenſq; caput dextra, dedit oſcula fronti.
Perſephone mandata facit, coruiq; figuram
Induit, & tranans auras pernicibus alis,
Præterit Ammonis templum admirabile quondam
Dum Iouis imperium, maieſtatemq; colebant
Terrigenæ, à Libycis quod nomina traxit arenis,
Iamq; tenet Syrtes, facit hic breuis vnda vadoſum
Aequor, & eſt ratibus magnis imperuia Tethys.
Tranſuolat Inarimen æterno ardore coruſcam,
Quæ premit ingentem ſaxoſa mole Tiphœum
Iam tenet Italiæ littus, Lauiniaq; arua.
Intrat ad vrbanos ſtrepitus, celſaq; reſedit
Tarpeij ſuper arce Iouis, populumq; patreſq;
Et tria deſpiciens fora, poſt delubra Tonantis
Solis ad exortum Romæ decora alta ſuperba,
O caput, ô florens terreni gloria mundi
Dixit, vt excelſo tetigiſti vertice cælum
Indigetes oblita tuos genioſq; lareſq;*

Atq; Iouem & natos, demens ad inania Chriſti
Tam citò degeneras documenta, fidemq; nefandam.
Sic ait, & Petrum quater execrata, columnam
Traiani quæ iuncta foro ſupereminet vrbi
Inuolat, & coruus iam deſinit eſſe, breuemq;
Se trahit in nebulam, & Maxentia tecta ſubintrat.
Nox erat, & Phœbe gelidis argentea bigis
Collis Auentini ſummo de vertice tollens
Cornua, luſtrabat radijs pallentibus vrbem.
Impius ad magicas redijt Maxentius artes
Combuſtiq; affert cineres infantis ad aram.
Conſulit exta, vocat manes, & numina lethes.
Nacta vias faciles & idonea tempora fraudi
Perſephone, commenta ſagax inſibilat aura
Pertenui, fibraſq; mouens felicia ſigna
Fingit, & inuoluit regis caput igne coruſco
Subridens, alacri ſaliunt præcordia plauſu
Principis, & totam trahit inter gaudia noctem.
Iam parat ire viam pelago, iam concipit omnem
Trinacriam, Cretaq; domos, Cyprumq; Rhodumq;
Quà Zephyris impulſus eat, quà claſſe Latina
Vectus Alexandri monſtratam annauiget vrbem.
Egregios prima comites de pube Quiritum
Deligit, & fulget Tyrijs aurata iuuentus
Veſtibus, Eois rutilant ſegmenta lapillis
Et vagina ſinu gladios hiacynthina pulchro
Claudit & argentum capulis effulget eburnis.
Septima conſurgens roſeis aurora capillis
Oceani pulchrum caput extollebat ab vndis

Cùm iam compoſitis ratibus ventoq́ʒ ſecundo
Littore ab Auſonio ſoluens Peluſia tendit
Oſtia, & illuſtres Pompei funere campos.
Perſephone volat ante, fretum ſpumantibus vndis
Liberat, & placido facilem facit æquore curſum.
Non Scythicus Boreas illis, non Aphricus auſter,
Non oriens Eurus potuit ſpirare diebus.
Vix ſua ſubleni criſpabat tergora pontus
Applaudens Zephyro, & ſceleri ſe accommodat æquor.
Optimus interea mentis Deus auctor honeſtæ
Atqʒ pudicitiæ cuſtos, ne regia virgo
Circumuenta dolis ſubito labatur, ab alto
Præmonet, & celeri tradit mandata miniſtro.
Ille per immenſos cœli glacialis ab ortu
Labitur anfractus, penetranſq́ per aurea tauri
Cornua, Pleiadum flammas reſtingit, & ipſos
Præterit errones ſeptem, triuiaq́ ſub orbe
Accipit exiles raris ex ignibus artus.
Regia progenies cultu redimita pudico
Inter Socraticos & quos Academia quondam
Stoaq́ Cecropijs libros de fontibus hauſit
Clauſa latet modico pictæ teſtudinis antro
Atqʒ voluminibus legum ſtipata duarum
Abſtruſos animo ſenſus voluebat, & acris
Ingenij vegetas acies figebat in omne
Quod tenebris ænigma latet, myſteria miris
Inuelata modis viſu penetrabat acuto.
Quicquid ad ornatum fidei exemplaria ſanctæ
Græca ferunt animo vigili condebat, & omnem

Aſsidui frugem ſtudij quaſi fertilis agri
Primitias, quaſi collectum de ſordibus aurum
Et quaſi fulgentes Gangis de puluere gemmas,
Raſaq́; Panchæi duro de cortice thura
Roboris, & pinguem torto de caudice myrrham
Ad Chriſti delubra ferens, cape ſumme Deorum
Munera dicebat, primæ cape dona iuuentæ
Quæ tibi per ſteriles apis hæc tua colligit agros.
Primus Abel pingui coluit tua numina ſacro,
Melchiſedech panum calathos & cymbia Bacchi
Obtulit, Abraamus dulcem ſua gaudia natum.
At nos ſyncera tibi virginitatis honores
Collectosq́; pia de ſedulitate legendi
Offerimus flores, noſtra hæc tibi munera ſunto.
Regia dum tales voluit ſub pectore curas,
Et fugiens animo terras, cæleſtia virgo
Cogitat, ecce nouæ lucis micat igneus ardor,
Atq́; repercuſſo paries ſplendore coruſcat.
Auratæ micuêre trabes, micuêre columnæ,
Et ſubitis viſum flammis ardere lacunar.
Nuncius emiſſo nitidis è nubibus ore
Regia progenies, dixit, quia concipis alto
Corde Deum conceſſa tibi conſortia diuûm.
Pone metum, ſecura meas intellige voces.
Ille ego qui Mariæ ſanctas orator ad aures
Antè fui, tibi de ſummo modò mittor Olympo.
Nam tibi poſt illam primi debentur honores
Inter virgineas acies albentia caſtra,
Scis veteres odio lucis ſtudioq́; malignæ Mentis

Mentis & imperij vanaq; libidine laudis
Diſſentire Deos Chriſto, & molimine magno
In mores certare bonos, nec poſſe nitorem
Ferre pudicitiæ, Clymenes corruptor Apollo.
Preßit Ariſtei matrem, nymphamq; Dionem
Iuppiter, Europam, Danaen, Aſopida, Ledam
Atq; Lycaonidem, Maiam, Bacchiq; parentem.
Falcifer Oceani natam, Minoida Bacchus.
Perſephonen Pluto rapuit, Simoëntis ad amnem
Congreditur Venus Anchiſæ, Thetidoſq; cubile
Pelleus inceſtat, rector Neptunus aquarum
Phorcida, Deucalidem fraudis, furumq; magiſter
Mercurius, Venerem Mauors, & Pallada frater
Polluit, Endimyon vultu, Pan vellere Lunam,
Iaſius Cererem, nulla eſt ſine labe Deorum
Progenies, niſi forte ſuum quæ plangit Oſirim
Inachis, arguto pellex Iunonia ſiſtro.
Et tibi virginitas, iſtis odioſa parauit
Inſidias, in te longinqua à Thibridis vrbe
Et coniurata deſcendunt prælia Memphi.
Nulla ſub indigno virtus eſt principe tuta.
Nulla ſub incæſto caſtis & gloria rege.
Nam vitijs probitas ſemper contraria pacem
Neſcit, & hoſtiles dextra læuaq; cateruas
Suſtinet, illatoſq; parat ſe ſemper ad ictus.
In virtute labor, ſed in ipſo certa labore
Dona, ſit ex operis merces, æterna reſurgit
De ſudore quies, & de mærore voluptas.

Non habet ex omni numero plebiſq; patrumq;
Victricem, niſi qui potuit certare, coronam,
Et multis certare datum, ſed vincere paucis
Atq; coronari & celebres vectare triumphos.
Quare age ſurgentes audaci naue procellas
Rumpe, per aduerſos aperi tua carbaſa fluctus,
Nec flantes horreſce nothos, nec murmura ponti.
Irato te crede mari, proramq; patentes
Ad cœli conuerte vias, reget ipſe per vndas
Temonem velumq; Deus, puppemq; tenebit,
Nec ſinet in ſcopulos fragilem tranare carinam.
Semper Olympiaca terram ſpeculatur ab arce.
Et quoſcunq; operi vidit ſe accingere ſancto
Numine præſenti Deus adiuuat, odit inertes.
Pugnam inuade, Deo nihil inſpirante timendum.
Nuncius hæc, humili facundia virginis ore
Sic reſponſa dedit. Vobis ego, numina, grates,
Non ſi vel totidem linguis, quot dicitur Argus
Luminibus vidiſſe, loquar, perſoluere poſſim.
Omnia vos homini vitamq; alimentaq; vitæ
Vos datis, & cœli vos aſpiratis amorem.
Blanditijſq; rudes ad contemplanda leuatis
Aſtra animos, & opes veſtras monſtratis in ipſis
Ignibus & cœli ornatu mundiq; decore
Perpetuo, noſtræ ne forte libidine mentes
Se lutea immergant, nequeantq; attollere frontem
Ad cæleſte bonum, noſtræ vos cura ſalutis
Sollicitat, nec noſtra diu durare poteſtis
Damna pati, veniamq; datis peccantibus vltrò. Me

Me propè lactentem chariſq; parentibus orbam
Antè puellaris quam vos agnoſceret ætas
Cùm neq; ſtabar adhuc vos ſuſcepiſtis alendam.
Propterea nunquam diuis ego thura piandis
Vlla dedi, nunquam fumantia vidimus exta.
Sola Dei mihi cura ſatis, mea, tempore ab illo,
Virginitas addicta Deo, votiſq; vocata
Palma triumphalis pugnæ, qua ſanguine fuſo
Teſtificata thronum Chriſti ſuper aſtra venirem.
Miſcererq; choris ſuperûm, ſedemq; beatam
Aetherea ſortita domo, regna illa viderem
Aeternis congeſta bonis, viſuq; tuerer
Perſpicuo, quod certa fides ſed nubila monſtrat.
Eſt amor iſte furor, quo tempore ſaucia longo
Nectar & ambroſiam ſitio, tantuſq; medullis
Ardor ineſt, tantus cœli calor oſſibus hæſit,
Vt mors nulla queat mihi formidanda videri,
Sed iucunda magis, cur non quæ pertulit Agnes
Ipſa veram? cur non Agathes imitabile fatum?
Lucia, cuius erat neq; mens, neq; fortior ætas,
Vicit, & iſtarum fœlix Trinacria palmas
Vidit. Anaſtaſiæ tellus Romana triumphis
Gaudet, ad iſtarum laudes & præmia curro.
Tu modò qui cœlo frueris diuine miniſter,
Hæc offer mea vota Deo, ſi fauerit, omne
Dulce mihi certamen erit, pugnamq;, diemq;
Arbitrio legat ipſe ſuo, ſic fata nitentes
Vertit humi aſſurgens oculos, ſe nuncius albam

Colligit in nubem, ſparſiſq; per atria ſuccis
Ambroſiæ, dulci repetiuit ſydera cantu.
Iam vada Carpathia ſulcans Maxentius vndæ
Littus Alexandri & Phariam procul aſpicit arcem.
Atq; ait ó magni ſalue pars tertia mundi
Aphrica Romanam fauſto precor omine claſſem
Aſpice, & auſpicijs diuûm mea vota tuorum
Proſpera ſint, ſaluete Dei, ſaluete penates
Indigenæ, quos relligio longæua parentum
Excoluit, ſacros venio laturus honores,
Sancta ſequor mandata Iouis, rituſq; reporto
Diuinos ad templa Deûm. Dum talia fatur
Præuolat ad portum remis, ventoq; ſecundo
Cymba leuis, volucrem curſu quæ vinceret Eurum
Summáq; vix recto fugiens mouet æquora lapſu.
Fama per AEgyptum prætentaq; littora ponto
Nunciat aduenisſe rates ex vrbe Latina,
Aduectumq; freto Romani regis alumnum.
Cuncta magiſtratus, lucem poſuere per illam,
Publica, Pellæi priuata negocia ciues.
Feſta dies agitur, nitidis vrbana iuuentus
Veſtibus & multo teſtantur gaudia cultu,
Turba coit, pictis oneratur puppibus æquor
Murice vela rubent, radiant apluſtria cocco.
Ducitur elato gradiens Maxentius ore.
Splendidus & gemmis & multo lucidus auro.
Auſonij Libyciq; ſimul glomerantur vtrinq;.
Siſtra ſonant, altis lucent in turribus ignes.

Mœnia

Mœnia fronde virent, & odoro gramine portæ,
Altera lux ortum Caſij de vertice ſummo
Extulerat ſolem, cùm rex iam ſqualida multo
Templa ſitu iubet ornari, vetereſq; per aras
Purpureos ſpargi flores, & ritè parari
Danda Ecatombæo quæ ſunt animalia ſacro.
Chriſtigenæ ſoliti crudis prædæ eſſe tyrannis
Contremuêre metu, & multi petiere Syenen
Thebæoſq; lares, & Syrenaica regna
Aethiopumq; domos & littora gentis Erembæ.
Sicut vbi mites aquilam videre columbæ
Nare per aërios tractus, nec pinguia rura
Nec placidæ retinent epulæ, timor omnia vincit.
Pars latet vmbroſo ſaltu, pars alta volatu
Tecta petit, pars montanis caua ſaxa latebris,
Et pennis percuſſa ſonat pernicibus aura.
Tunc eſt cœpta coli regio deſerta, ſolumq;
Solibus exuſtum aßiduis, & rura venenis
Inclyta, & arentes terræ ſitientis arenæ.
Soliuagus vaſtam petiit tum paulus Eremum
Hiſpidus, & fuluæ tectus velamine palmæ,
Cuius ad ignotas veniens Antonius ædes
Incidit in Satyros, mox flebile corpus amici
Condidit, & ſiccis vitam traduxit in aruis,
Inter arenicolas colubros & ſæua leonum
Semina, graminibus veſcens & fluminis vnda.
Templa coronantur ſertis, & funibus actis
Barbara ſuſpendunt aulæa ſub abſide curua.

Pinguia mittuntur docti per rura miniſtri
Quæ vicina bibunt piſcoſi flumina Nili
Atq; papyriferæ dulcem Tritonidis vndam,
Et qua ſe viridi Mareotis arundine cingit.
Adducant delecta boum qui corpora centum.
Interea cultros paterasq; & thura ſacerdos
Expedit, & ſacras longo locat ordine veſtes.
Ante ea neglectus meliori paſcitur Apis
Gramine, & extento iacet ad præſepia ventre.
Iamq; dies ſolennis ad eſt, mugitibus auræ
Per fora perq; vias vrbis per compita clamant.
Aera crepant, clangore tubæ complentur acuto.
Conſequitur vulgi ſtrepitus, turbæq; frequentis
Murmur, & inflato reſonat caua tibia buxo.
Clarus ad illuſtres graditur Maxentius aras,
Et circùm Pellæa micat, Romanaq; pubes.
Angelicas alto voces ſub corde volutans
Coſtis adeſſe videt ſperatæ tempora pugnæ.
Et quanquam immota maneat ſententia mente,
Atq; adamantæis vinclis frenata libido,
Inuita ratione ſcelus non audeat vllum,
Ora tamen meditans duri furibunda tyranni
Atq; graues pœnas horret, ceu ſaxea moles
Pulſa freto & circum ſalientibus æquoris vndis
Vapulat atq; tremit, ſed non veſtigia mutat.
Dumq; animus tanto curarum impellitur æſtu
Non procul ecce duæ vultu inceſſuq; verendo
Fœmineæ ſpecies adſunt, quarum vna Cybeli

Perſimilis, turrita caput, ſtellataq́; frontem,
Igneus ore color poßit qui Pana referre.
Pectora peruolitant nebulæ, gyroq́; volucres
Aëreo ludunt & verſicoloribus alis.
Aequora venter habet, pictasq́; per æquora puppes,
Squammiferiq́; greges flexis per cærula caudis
Arrectisq́; natant pinnis, ludoq́; fugaci
Per ſcopulos & ſaxa volant viridemq́; per algam.
Inferius campi herboſi, curuataq́; ripis
Flumina, & excelſi nemoroſa cacumina montes
Vertice inæquali, pecudes, humanaq́; tecta.
Atq; per incultos ſaltus atq; inuia rura
Auriti lepores & flexis cornibus errant
Dorcades, & timidi damæ, ramoſaq́; cerui
Cornua tollentes, vacuis ſpaciantur in agris.
Hæc rerum natura parens, quæ virginis ora
Dulcibus amplectens vlnis: Quid mergeris inquit
Filia tot curis & ſollicitudine tanta?
Contemplare meum decus & mea maxima regna.
Sanctaq́; de noſtris opibus velut ante ſolebas
Expulſis animo curis ſolatia carpe.
Terra, fretum, nubes, flammæ, verſatile cœlum,
Cuncta meis ſubſunt regnis, ego cuncta guberno:
Elige de tantis aliquid quod mulceat ægram.
Quid tuus hic mœror ſibi vult? quid dulcia miris
Pallent ora modis? & quò tua forma receßit?
Pone Deûm curas, diui ſua ſydera ſeruent,
Ambroſia viuant, & delectentur Olympo.

Terra ſubeſt homini, terrena negocia tracta,
Nec fines fruſtra humanos excedere tenta.
Túne potes volucrum per iter tranare, ſub vndis
Degere, & obſcuris inter delphinas in antris
Sirenes vbi ſunt, & inertia corpora phocæ?
Vt tibi per ſpelæa maris, per luſtra ferarum,
Sic quoq; per cœlos inter conſortia diuûm
Legibus æternis vita hoſpitiumq; negatur.
Nec fas eſt homini cœlum ſperare, Deorum
Regna cupis, ſedemq; tibi promittis Olympi
Cùm neq; brutorum latebris aſſueſcere poßis?
Omnia limitibus certis ego ſola diremi,
Quos tranſire nefas, ea vota ſuperflua pone.
Sit tibi cura decor, tua ſit tibi cura venuſtas
Ingenio condita meo, dum fingere tento
Calliopes oculos, & virginis ora Meduſæ.
Vtere delicijs, & ne contemne iuuentam,
Nec te finge Deam, ſed te mortalibus æqua.
Sic natura parens triſtem ſolata puellam.
Altera quæ tales paulum cunctata loquelas
Hauſerat, & vafro greſſum ſuſpenderat aſtu,
Affuit, aurati crines, frons lactea, fulgent
Lucifero ſimiles oculi, rubicunda colorat
Lactentes aurora genas, per eburnea colla
Cæſaries emiſſa fluit, toga cætera veſtit
Aurea, quæ tracto verrebat ſyrmate campum.
Cœleſtis nitet ore decor, ſparguntur odores
Ambroſij, crediq; nequit mortalis in illa
Spiritus,

Spiritus,aut numen vel non ſine numine imago.
Textus inauratæ chlamydi deſcenſus ab aſtris
Prolis Olympiacæ,ſtygios ingreſſus ad amnes.
Ignea linguarum ſpecies,quâ ſpiritus ingens
Intonuit ſuper ora virûm,montisq; relicto
Vertice ſyderea m Chriſtus remeabat in arcem
Victor,& euulſæ cæco Plutonis ab antro
Patrum animæ niueis indutæ nubibus ibant
Aëra per liquidum,terram prædatus & Orcum
Rex ſuperum tali repetebat regna triumpho.
Gratia nomen habet,cuius præſtantia formæ
Naturæ ex templo viſa obſcurare decorem,
Non aliter quam ſol maiori ſydera luce
Vmbrat,& exoriens alios exterminat ignes.
Hæc igitur ſic orſa loqui. Quid virginis altum
Deijcis in terras animum,natura,ſuperbo
Cæca ſupercilio,rerum te inſana parentem.
Dicis,& ignoras à quo tua venit origo
Nec noſti genus ipſa tuum,tua ſigna ſequuta
Nicomachi proles ſtellis Erymanthidos vrſæ
Nauigat amiſſis,& naufraga ſæpius arctas
Flante procelloſo Borea Symplegadas intrat.
Namq; aliud vitæ genus immortalis Olympo
Noluit eſſe homini,ſed nec te credidit ortam,
Nec me vidit inops lucis,mutabile corpus
Contemplata Deum ſicco pertranſijt ore.
Auſpicijs hanc vſq; tuis peruenit ad oram,
Hic ſua ſopito detraxit carbaſa vento.

Dic

Dic vbi (ſi noſti) comites, primæuaq; Chriſti
Caſtra, triumphalesq; viri, qui ſanguine claras
Emiſere animas, & qui vicere tyrannos,
Subiecere Deo populos? tibi ſola reliqui
Corpora, & immundos cineres & tabida membra.
Ipſa coronatas cœleſti lumine mentes
In ſublime tuli, quare iam deſine nugis
Talibus illuſtres animos inuoluere cæca
Nube tuæ noctis, verſis ita fata receßit
Paßibus, at Plutei lato natura ſub orbe
Virginis in thalamo fertur liquiſſe pauorem.
Cuius vt agnouit fraudes abſcondit amorem
Gratia diſcedens, eius qui frangeret omne
Virus, & auxilio cœptis ingentibus eſſet.
Protulit ora pauor gelidæ ſub imagine mortis
Pallidus, & curuo contractus pectora dorſo,
Cæcus & elinguis, trepidus, vix oßibus hærens,
Dentibus exertis trunca deformia nare
Ora gerens, & crure labans, & frigore torpens.
Cuius vt horrificam effigiem ſtygiumq; colorem
Et teſtudineos virgo perterrita greſſus
Vidit, ab aſpectu monſtri conuerſa recondit
Lumina, & admoto texit velamine frontem.
Tum validis ardens animis alacriq; iuuenta
Strenuus & grato prætendens ore pudorem
Virgineum, pictasq; ferens in pectore flammas
In medium prorupit amor, cornumq; repertam
Corripit & monſtri, repetito verbere, terga

Pulſat,

Pulſat, & iniectis agit extra limina plantis
Vociferans, & fuſte petens caput, ora, manuſq́,
Non ſecus ac fertur (ſi vera eſt fabula) quondam
Infernum domuiſſe canem Tirynthius heros.
Calcitrat & manibus tenſis auertere cornum
Nititur, & faciem monſtrum defendere ab ictu.
Acrius inſtat Amor, tetroq́ in puluere verſum
Execrat indignans, limoq́ infigit aquoſo,
Membraq́ cœnoſo ſepelit moribunda ſepulchro.

Baptiſtæ

BAPTISTAE MANTVANI CARMELITAE THEOLOGI SECVNDAE Parthenices liber Secundus.

LAetior & pulſa victrix formidine virgo
Ocyus ad templum famulis parat ire vocatis,
Nec mora, feſtinant omnes & ſedula nutrix
Iam longæua ligat crines & virginis ora
Pallida, nocturnæ fumoq; afflata lucernæ
Materna pietate lauat, celereſq; miniſtræ
Sepoſitas veſtes adhibent, tyriumq; ruborem
Induit, argento limbus circundatur albo,
Et caput aurato nitidum veſtitur amictu.
Iam delubra ſubit, lucent ardoribus aræ,
Mugitu caua tecta ſonant, ſtrepit vndiq; murmur
Plebis & aſtantum. Solio Maxentius alto
Geſtit & elato turbam circumſpicit ore.
Regia progenies medium progreſſa per agmen
Mox oculos in ſe populi conuertit, euntem
Mirantur ceduntq; via, Pellæa iuuentus
Nomina Romanis eius patriamq; domumq;

Auribus

Auribus admoti narrant tenuiq; ſuſurro.
Illa mouens geſtu pectus faciemq; venuſto
Scandit, & intrepido premit alta ſedilia greſſu:
Et vicina trucem ſic eſt affata tyrannum,
Me tibi Maxenti ſolitam præferre ſalutem
Admonuit regalis apex, ſummusq; paternæ
Maieſtatis honor, pietas violata repugnat.
Nam colis hæc ſimulachra, Deo, peritura relicto,
Qui tibi ſolus opes tantas, Romanaq; patri
Regna dedit, fecitq; maris terræq; potentem.
Nec fuit iſtius tanti tibi muneris auctor
Iuppiter Aegiochus Cretæo paſtus in antro,
Mortalis quondam, vitæ modò lumine functus,
Sed neq; poſt Petri vocem, documentaq; Pauli
Roma Deum neſcire poteſt, ſciuere Philippi
Et pater & natus, quos funere ſuſtulit atro
Illa hominum ſuprema lues, grauiore ruina
Raptus ad interitum Decius, milleſimus vrbis
Annus erat. Tum Roma ſuos ſolenniter ortus
Egit, & accepto celebrauit feſta Tonanti.
Tunc fuit imperij Chriſto ſacrata poteſtas
Et tandem ſub iura Dei translata, piamq;
Tunc primum ſortita fidem, tunc pulſa Deorum
Vana ſuperſtitio Romani à limine regis.
Non ſatis eſt quod mille Ioui ſeruiuerit annos
Et phlegethonteis ſeſe ſubiecerit vmbris
Gens longo Romana iugo, tuleritq; ſuperbum
Imperium ſtygiæ gentis noctisq; profundæ

Nubila, Nunc iterum iuuat ad damnata reuerti
Sacra Deûm, parere putant præſtantius Orcho
Quàm ſuperis, diuina pudet mandata vereri.
Delectant inferna magis, nunc tartara gaudent
Nunc furiæ exultant, poſita nunc Cerberus ira
Motibus alludit caudæ, nunc pectore toto
Dulcia cæruleus carpit ſolatia Pluto.
At ſuperum corda ægra gemunt, humanaq; damna
Pallida mutato deplorant numina vultu.
Conqueritur mater natum ſparſiſſe cruorem
Innocuum fruſtra, paſſum tot vulnera fruſtra.
Deſine Maxenti ſuperos offendere tanta
Impietate. Scelus Rex ô Romane quod audes
Supplicijs dignum æternis. Ixionis orbem,
Tantaleamq; ſitim, Tytij tormenta, labores
Siſyphios, ipſi quibus hæc noua ſacra litantur
Iam tibi diſcernunt ſtygij tua numina manes.
Finge tamen non eſſe ſcelus, dementia ſaltem
Biſtonio ridenda ſeni, cur cæde cruentas?
Cur tantis delubra boum mugitibus imples?
Tu ne Deum tali credis placare tumultu?
Tu ne Iouem fortaſſe putas reuocare ſepulchro
Cantibus his? quæ te cepit vecordia nate
Cæſaris, vt fieri credas boue numina cæſo
Mitia? te miſerum falſis oracula ludunt
Carminibus, non hac emitur Romana poteſtas
Relligione, pium Chriſti clementia regem
Hæc ad ſceptra vocat, mundas qui ſancta per aras

Dona

Dona ferat, qui relliquias Iouis atq; Deorum
Conterat, & pulſis noua ſuſcitet orgia bobus.
Quid templi molem hanc magnam miraris & arcus
A tellure procul tanto ſe attollere flexu?
Hæc hominum fecere manus, magis aſpice mundum
Hoc opus immortale Dei, tua numina gaudent
Bobus, at immenſi verus dominator Olympi
Iuſtitia, pietate, fide, quæ Iuppiter odit,
Dona Deum magis iſta iuuant, ſine cæde litandum eſt.
Sic agit, ille magis vultum quam verba loquentis
Admiratus, agi iubet ad regalia tecta
Seruariq; locis intra penetralia clauſis,
Mente ſcelus duplex agitans, temerare pudorem
Et violare fidem, paciq; iam fœdere fracto
Belli feruor adeſt, dant pugnæ claßica ſignum.
Perſephone regem ſtimulis irritat, & acres
Cum Venere accendit circùm præcordia flammas.
Vritur impatiens cæci Maxentius ignis,
Mens fugit à ſacris, & amata ab imagine raptus
Figit humi frontem & curis immergitur altis,
Abſentemq; animo videt alloquiturq; puellam.
Et furit, vt quoties letali ſaucia telo
Cerua per Idæos quærit medicamina ſaltus
Dictamiq; comam viridem, quæ vulnere ferrum
Manſa fuget, diramq; auertat corpore peſtem.
Cincta ſatellitibus tali nil territa caſu
Ducitur, & dominæ ſequitur veſtigia nutrix.
Perq; vias vrbis perq; omnia compita clamans.

Reddite, quò mitem dominam crudelibus armis
Protrahitis? nutrix ego ſum, cunabula prima
Ipſa gubernaui, noſtris adoleuit in vlnis.
Vbera prima dedi, dulcem mihi reddite natam,
Quam mihi vix bimam mater iam proxima morti
Tradidit, & lachrymans erit hæc tibi filia dixit.
Reddite nutrici dominam, vel pignora matri,
Verte tuos in me vultus ô nata, tuamq;
Altricem conuerſa vide, nihil eſſe ſolebat
Me ſine dulce tibi, noſtros oblita labores,
Non audis lamenta? parum nec lumina flectis?
Lumina quæ tantum Coſtus, quæ mater amabat,
Lumina ſancta domus ſolatia magna relictæ.
Tu ne putas ſine te caput hoc & anilia membra
Poſſe diu ſupereſſe, ſimul moriamur vt vnà
Viximus, & tumulo pariter condamur eodem.
Flebat vt inuadi cernens à vulture nidos
Lactentes imbellis olor, prædator aduncis
Vnguibus & duro diſcerpit viſcera roſtro,
Flet pater, & viridi quæritur proiectus in vlua.
Iamq; propinquabant tectis, cùm regia virgo
Lumine clementer verſo, chariſſima nutrix
Dixit abi, ſolare domum, ſociasq; ſaluta.
Non ego ſum limen poſthac viſura paternum,
Euocor ad ſuperos, vos & terrena valete
Hoſpitia, obſequijs inopum dodrante relicto
Partibus æquatis mihi vos ſuccedere mando.
Sic abiens fatur, luctu domus omnis acerbo

Soluitur,

Soluitur,& mœſto pallet vicinia corde.
Luget inexhauſto lachrymarum flumine nutrix
Anxia,& immotis manet ipſo in limine plantis,
Crudelemq́ vocat regem & crudelia tecta.
Diripiunt aulæa nurus,triſteſq́ miniſtri
Ferrea conuoluunt bifores ad limina valuas,
Deſertæ ſigna atra domus,ſuſpiria totis
Aedibus alta ſonant,æger tenet omnia mœror.
Interea ſancto metuens Catharina pudori
Atq; ſciens quali regum impetuoſa libido
Ferueat affectu,tali prece numina pulſat.
Sancte pater ſancti genitor caſtiſsime nati
Cernis vt abrupto lupus inſidiator ouili
Hanc extorſit ouem,cæcoq́ incluſerit antro.
Iamq́ aderit,iamq́ inuadet Ioue plenus,& omne
Attentarē nefas adiget Venus atq; Cupido.
Nil ſupereſt opis humanæ,via clauſa ſaluti
Vndiq; terrenæ,tua ſola potentia nullis
Clauditur obijcibus,noſtro ſuccurre dolori.
Atq; pudicitiæ,vento rege vela ſecundo,
Audijt orantem cœli regina puellam,
Et ſe qualis erat primi poſt tempora partus
Obtulit,infantem niueis complexa lacertis,
Tecta ſinum biſſo,gradiens in veſtibus albis
Et croceum capiti ſerum de vellere tegmen
Quod viridi premitur ſtrophio,cum virgine fatur
Plena venuſtatis procera iuuencula virgo.
Stant vtrinq; leues animæ,quas Iride veſtit

Multicolor nubes, pingitq́ ſimillima noſtris
Oribus ora, pares decor imbuit aureus alas.
Et ſic orſa loqui. Tua me ſuſpiria virgo
Deduxere polo, ne ſollicitere, pudoris
Sum tutela tui. Sed quò ſecura quieſcas
Tolle manum, ſibi perpetuo te copulat infans
Connubio Chriſtus, nurus es mea, pone timorem.
Sic ait, & fuluo digitum puer induit auro,
Quod moriens ſeruabat adhuc, quod clauſa ſepulcro
Immortale tenet diuini pignus amoris.
Hic neq; Gnoſiacæ ſequimur figmenta coronæ,
Vlla nec in noſtro tegimus mendacia verſu.
Vera ſed amplectensq́; rei miracula geſtæ
Hiſtoriamq́; canens fidei monumenta reuoluo.
Et iam turba Deûm ſacris dimiſſa peractis
Cùm celer Auſonia, pelago delatus, ab vrbe
Nuncius enarrat regi, diademate patrem
Depoſito regni ſceptrum ceßiſſe Galero,
Lucanosq́; lares tacitiq; ſilentia ruris
Et nemorum ſuaues vmbras, vbi mobilis aura
Temperat ardentem placidis afflatibus æſtum,
Præpoſuiſſe graui imperio, & ſplendoribus vrbis.
Aruaq́; & Alcinoi tutam legiſſe quietem.
Atq; per irriguos fontes & florida prata
Murice neglecto triſtem oblectare ſenectam.
Latiliam ſubitus dolor occupat, ora tyranni
Plumbeus inuoluit color, & patuere latentis
Ingentes animi fluctus ſæuiq́; dolores.

His

His curis extincta Venus, furor auctus, & ira
Acri bile tumet, nutritq; in pectore virus
Perſimilis pullo qui dum in conſueta recuſat
Frena pati, rodit morſu indignante lupatum.
Poſt epulas largo paulùm exhilaratus Iaccho
Captiuam iubet adduci, ſpectacula menſis
Rex petulans laſciua volens præbere ſecundis.
Illa ſolo fixis oculis veſtigia lento
Tarda mouens greſſu prono regi annuit ore.
Cuius vt effigiem claram videre, decusq;
Indolis egregiæ tenuere ſilentia cuncti.
Et Triuiam vidiſſe putant aut ora Mineruæ.
Ad quam rex ſolio paucis ita fatur ab alto.
Manè Deûm noſtras tenuerunt orgia mentes,
Nec potuere tuis adhiberi vocibus aures.
Dic age nunc, quando poſitis conuiuia curis
Læta, voluptates animorum & gaudia poſcunt.
Ede genus patriamq; tuam nomenq; paternum.
Illa manum crucis inſtar agens ſic incipit ore.
Non ego iactandi ſtudio primordia gentis
Clara meæ referam, titulosq́ & nomina, quandò
Rex Romane iubes, genus eſt illuſtre meorum,
Maiores etenim ſceptrum geſſere, meaq́;
Sunt reges in ſtirpe decem, Lagus omnibus auctor
Primus Alexandri miles qui condidit vrbem
Et quæ regna vides, & Alexandrea vocauit
Mœnia, poſt celebres pugnas Aſiæq; labores
Huc venit cum rege Lagus, Ptolemæus ab illo

Naſcitur à vili proles generoſa parente,
Sicut ab exigua deſcendit origine flumen
Maius, hic Aegypti, Libyes, Arabumq́; potitus
Imperio quondam, manſitq́; in ſtirpe nepotum
Ducentos quadraginta ſuper (niſi fallimur) annos,
Aſt vbi Romanam ſuperis extollere gentem
Et Libycas viſum bellis ardentibus vrbes
Vertere, mutati reges, tum regia proles
Interijt, tunc arua meus vicina tenebat
Aethiopum, campis atauus præfectus Erembis
Dux animis armisq́; potens, regiq́; propinquus
Sanguine, ſupremi vigilans cuſtodia regni.
Qui poſtquam ſero audiuit ſublata ſuorum
Sceptra dolens longè Aethiopum ſeceßit ad vrbes,
Et perſæpè pater reginæ Candacis, illo
Contriuit ductore vagos Garamanthas, & acres
Maßilum populos, Arabumq́; per æquora claſſem
Duxit, & Indorum ſpolijs remeauit onuſtus.
Quartus ab hoc Coſtus genitor mihi, doctus & ipſe
Militiam, verùm patriæ telluris amore
Ductus, ad antiquos redijt cum prole penates,
Argentiq́; tulit ſecum graue pondus & auri.
Tandem huc aduectus tecum mercatur & agros,
Atq; clientelis clarus famaq́; parentum
Primus in vrbe fuit, Romanaq́; caſtra ſequutus
Semper in Auſonijs ſenuit fortißimus armis.
Hinc genus ipſa traho, patri nata vnica Coſto,
Et generis tanti ſoboles ego ſola ſuperſum,

Multa

Multa dies alios longæuaq; ſuſtulit ætas,
Hac eſt orta patrum ſoboles hac deſinet vrbe.
At poſtquam vita functi cecidere parentes,
Ne laſciua meam macularet inertia mentem
Ad ſtudium duplex curas & pectora verti.
Fonte ſalutares Chriſti ſuſcepimus vndas.
Et mea luſtrali Deus abluit ora lauacro.
Ipſe vir, ipſe pater, caſtum ſacrauimus illi
Corpus, & elabens annis velocibus æuum:
Hæc mihi prima ſalus, teneris me Coſtus ab annis
Tradidit eloquij ſtudijs, & miſit ad vrbes
Cecropias, vidi Thebas, Dircæaq; rura,
Attica regna, ſolum Pelopis, Lacedæmona claram
Legibus, & quondam bellis ac Marte potentem.
Atq; Theramnæos ſaltus Helenæq; penates
Minoiſq; domos, præruptaq; ſaxa Corinthi.
Et Rhodon illuſtrem Phœbo ſtatuaq; ſuperbam
Marmorea, & Lindi ſacris atq; Herculis ara.
Vidimus & delphos, Dodonæaſq; columbas,
Cortinam, Tripodas Phœbi, Pythoniaq; arma.
Cycladas & Thraces, Troianaq; vidimus arua.
Atq; omnem Lycij graia rate legimus oram
Littoris, Auſonijs mox præceptoribus vſa
Facta tuæ gentis didici, totumq; Latinis
Viribus & bellis attritum ingentibus orbem,
Regna Britannorum, Germanorumq; ſuperbam
Progeniem, Scythicas alpes, Hircanaq; longè
Littora, & Euphraten, Nabatheaq; rura, Syenen

Et Lybicas arces, & quà iuga porrigit Athlas
Maximus, inuaſit Romanæ gloria gentis,
Cæſareos proceres & quarti ſæcula regni
Atq; tot illatam crudeli vulnere mortem
Principibus, legi mores & furta Deorum,
Et tandem nihil eſſe dies mutabilis æui,
Dæmonas eſſe Deos & totum ambagibus orbem
Conſtat in errores ductum, nullamq; ſaluti
Eſſe viam niſi per Chriſti documenta fidemq;.
Sic Arabum libri, ſic vult Iudæa vetuſtas,
Sic, quibus & veſtri credunt, cecinere Sibyllæ.
Quò magis admiror vos qui terræq; mariſq;
Regna gubernatis, quorum mutabile vulgus
Ducitur exemplo, tam claro errore teneri.
Et tanta ſimulachra Deûm ambitione tueri,
Et ſtatuas horum diuino extollere cultu
Quorum vita fuit ſcelerum ſentina. Quod Io
Noſtra, quod Ichneumon, & quod latrator Anubis,
Accipiter, Felles, Bos, Oxyrynchus & Ibis
Numen habet? taceo Martem, Phœbumq; Iouemq;
Quorum tanta canunt veſtri miracula vates.
Hi ſtygios ideò metuunt iurare per amnes
Quòd ſtygijs merſi ſtagnis altaq; palude
Dant ſcelerum atroces iuſto ſub iudice pœnas.
Veridicum verò Chriſtum ſine crimine cuius
Vita fuit, nigro manes qui traxit ab orco
Qui cæcas hominum mentes & lucis egena
Lumina reſtituit, ſicciſq; liquentia plantis

Aequora calcauit, fugitis, reuocare memento
Rex Romane pedem, iuſti trans limina, lapſum.
Talibus orantem verbis, mirata ſedentum
Lecta cohors, ciues Pharij, proceresq́; Latini.
Inſpectusq́; magis ſexus dicentis & ætas.
Illa etenim ter ſena fuit ſupremaq́; bruma.
Rex tamen implicitus diuorum ambagibus ægrè
Dicta tulit, mandat vinclis & carcere claudi,
Affligiq́; cibo tenui, vix fluminis vnda,
Vix ſimplex conceſſa Ceres, incluſa tenebris
Orat, & in magna verſatur luce per vmbras.
Sedula Perſephone mendacis imagine ſumpta
Pincernæ Ichthyboli, cui vox obſcura procaxq́;
Ingenium, tumidæ fauces, turgentia labra,
Diffuſæq́; aures & naſi plurima moles,
Signa viri excordis miſſaq́; furentis habena,
Pes breuis, & grandes proceri corporis artus,
Anguſtumq́; caput, frons multo obſcura capillo.
Hic erat in magica regi comes vnicus arte,
Fatur, & obſcuris vocem de naribus haurit.
Virginis vnius quid tanti pendimus ora
Rex Romane, rudes inter facunda videri
Garrulitas indocta poteſt, nos prælia docti
Militiamq́; ſumus, ſi dimicet enſe vel haſta
Nemo ex hoc numero tali fugiturus ab hoſte eſt,
Verùm hoc non ferro bellum, ſed voce gerendum.
Nemo eſt omnis homo, non omnes omnibus artes,
Collige finitimis claros ex vrbibus omnes

Rhetoras, & quibus eſt Romanæ copia linguæ.
Audiat hos mulier de religione loquentes,
Et pudeat carpſiſſe Deos, exploſa Dione
Aeneadum matri & noſtro det thura Quirino.
Si neget, impietas ferro plectetur & igne.
Perſephones omni placuit ſententia menſæ
Et ſimul à toto cœtu laudata ſedentum.
Nam ſoliti ludos celebres inferre theatris
Talia Romani curant ſpectacula ciues.
Mittitur ad Solymos, Idumeos, & Erembos,
Ad claram Zenone Cyprum, licet æquora ventus
Tollat & albentes veniant ad littora fluctus.
Regia contemnit leges & frena libido.
Mittitur ad Schediæ campos, Mendeſiaq; arua,
Hermopoliſq; lares, ad aquoſam Naucratis oram
Necropolim, & claram Menelai claſſe Canopum,
Qui vocet eloquio inſignes fandiq; peritos.
Præmia victori ſtatuit vaſa aſpera gemmis
Aurea, purpuream veſtem, lauriq; coronam.
Interea cupidus regni Maxentius, alto
Corde volutabat Romam, cupit ire per vndas
Nauigio celeri, patriæq; inuadere fines.
Sed piceæ nubes & hyems contraria nautis
Impediunt curſus. Aquilo bacchatur, & Eurus
Importunus agit pluuias, freta concita clamant,
Nec ſpes vlla viæ ſupereſt niſi vere reuerſo.
Nam quamquam hybernis nonnunquam tuta diebus
Aequora ſint, dubio tamen inconſtantia cœlo.

Propte-

Propterea inflatum, rabies abſcondita pectus
Rodit, ab imperio excluſum dum ſe videt, vndas
Execrat, & ventos & ſingula numina ponti,
Doridaq; & natas, cum matre Palæmona Glaucum
Protea, & Oceanum cum coniuge, vela, rateſq;.
Concitus in mitem parat eructare puellam
Conceptum virus, tacitaq; incenditur ira.
Non ſecus ac circumpoſitis haſtilibus ardet
Cæruleus ſerpens, & aperta fauce venenum
Colligit, igniuomiſq; oculis atq; auribus altis
Sibilat, & tetram diffundit in aëra peſtem.
Sic furit impatiens Cæſar, iuuat ignibus ignes
Perſephone, modò Nycteridem, modò Nycticoracem
Fingit & hoc acri premitur Maxentius æſtro
Perdius & pernox, animum quoq; ſomnia vexant.
Arduus Eoi mons eſt Titanis ad ortum,
Mons Aſiæ Libyæq; ſedens confinia iuxta,
Et quaſi communis limes, caput erigit altum
Aſſyrios, Arabeſq; videns Aegyptiaq; arua
Vertice de ſummo, Caſium dixêre, ſepulchro
Romulidæ magni & celebri Iouis inclytus æde,
Huc oblectandæ ſtudio per littora mentis
Fertur equo Cæſar, triduoq; in rupibus altis
Delituit magicis exercens carmina ſignis.
Ichthyboluſq; comes, tenuiq; abſcondita nubæ
Perſephone, & tacito profert mendacia riſu.
Interea coniunx vultu verbiſq; puellæ
Capta moras non fert, ſed mox abſente marito

Opportuna videns data tempora, nocte ſilenti
Cum duce Porphyrio qui præſtantiſſimus armis
Cyrenæ præfectus erat, ſed venerat illis
Milite cum multo ſacrum ad ſolenne diebus,
Tendit ad horrentes obſcuri carceris vmbras,
Et tenui denſam ſuperat vix lumine noctem
Ignis, anus cornu clauſum quem præuia geſtat.
Oſtia claudebant aditum tria ferrea magnis
Vectibus, & ſqualere ſitu locus ante ſolebat
Terrifico, nigra fornix caligine tinctus.
Humidus, & nitrea paries lanugine candens.
Marmoraq́ aßiduum ſemper lachrymantia rorem.
Et iam cardinibus primo de limine verſis
Impulit ignotus nares odor, omnia vincens
Quæ reges vnguenta Syri, Perſæq́ ſolebant
Delitias inter gemmis includere & auro
Talia ſeu mallent proprios ſeponere in vſus
Seu dare natarum muliebri ſcrinia mundo.
Mox rimis illuſtre iubar clareſcere viſum,
Quod duplices abigat noctiſq́ & carceris vmbras.
Attoniti preſſere pedes, & lumine tecto
Auribus arrectis pendent, audire loquentes
Concentumq́ lyræ exilem voceſq́ canentum
Pertenues viſi. Raptæ dulcedine mentes
Per longas immota moras veſtigia figunt.
Talia cœleſtes animis ſolatia caſtis
Indulgere ſolent, terræ contagia poſtquam
Dedidicere, graui ſcelerum de turbine ſanctam

Deducti

Deducti ad mentis requiem atq; ſilentia clauſtra,
Prolata mox luce fores reſerantur, & ipſam
Compedibus vinctam duris, gelidaq; grauatam
Mole catenarum & grauia inter ſaxa iacentem
Ieiunam tremulamq; gelu videre puellam.
Quod neq; Myrmidonum quiſquam Dolopúmue, nec ipſe
Phallaris aut duri miles Buſiridis auſit,
Non Diomedæus ſtabula inter ſæua miniſter,
Hoc ferus infandi ſceleris Maxentius auctor
Indignus qui viuat agit. Clementior ipſo
Crudeli regina viro, chariſſima virgo
Dixit, in has tenebras quæ te fortuna redegit?
Cur tali ærumna tantoq; horrore ſepulta es?
Quis tuus iſte Deus quis te tam triſtia iuſſit
Vincla pati? Cur vis teneræ miſeranda iuuentæ
Perdere fœlices iſtis cruciatibus annos?
Ad quam ſubridens oculis cum voce leuatis
Virgo ait, infectæ fulgenti murice veſtes
Antè cadis rapidos ignes patiuntur ahenis.
Quàm celebres vſus habeant, regumq; ferantur
In thalamos: prius accenſis fornacibus aurum
Soluitur in riuos & multo vapulat ictu
Quàm gremio ſuaues epulas & vina capaci
Accipiat: multo ſubiguntur verbere farra
Antè fatigatis quàm ſint alimenta colonis.
Mens humana ſui ſub inerti pondere preſſa
Carceris & terræ latitans in mole caduca
Non niſi per luctus & lamentabilis æui

Supplicia

Supplicia æternos mundi ſortitur honores.
Non aliter fecis lutea contagia poſſunt
Abradi, imbibitas ſordes animoq; receptas
Hæc reſecant artes, nec te regina voluptas
Si veri tibi cura boni, ſi cura ſalutis
Perpetuæ fallat, blanda ſub imagine ſemper
Ingreditur, nardi ſuccos, vnguenta, ſapores
Mellifluos præfert, vultuq; applaudit amico.
Sed nihil eſt ſine fraude, latent ſub melle venena.
Quæ poſtquam imprudens biberis, fugit illa repente
Læta dolis, manet infixum ſub pectore virus.
Dic vbi nunc illæ, quarum vulgata theatris
Crimina conculcant probitatem, humanaq; corda
Mortiferis adigunt ſtudijs, Briſeis, Eliſſa.
Phyllis, & Oenone, Sappho, Chryſeis, & Helle.
Tyndaris, & mater. Medeaq; Paſiphaëq;
Atq; meæ Cleopatra domus graue dedecus, omnes
Vt duxere breues fœdis in ſordibus annos
Ad ſtygios venere lacus, terraq; ſub vmbras.
Forma, voluptates & opes & gloria regni
Non valuere ſequi dominas, poſt funera nulla eſt
Diſparitas animis, niſi quam dum veſcimur aura
Diſparitas morum inducit, ſi cernere fas ſit
Aethereos regina lares & limina diuum,
Occidet omnis amor vitæ mortalis, & vltra
Nulla dies poſſet curis abducere vanis
Altius afflatam diuino numine mentem.
Nec niſi per multos voluit Deus eſſe labores

Ad

Ad ſua regna viam, nec ſydera ſegnibus offert.
Sic nos ipſe ſuo noſter princepsq́; paterq́;
Admonet exemplo Chriſtus, qui brachia ferro
Transfigenda dedit, plantaſq́; & pectus apertum.
Ipſe videns hominem antiquis erroribus actum
Immerſumq́; altis tenebris non poſſe reuerti
Ad cæleſtis iter patriæ, & ſimulachra Deoſq́;
Marmoreos colere, & vili ſe credere ligno,
Venit in hos artus, & aperto lumine noctem
Abſtulit horrendam, atq; vagos collegit in vnum
Iuſtitiæ & fidei callem, quo ſancta nepotum
Poſteritas adiuta domos intraret Olympi.
Sed tuus hic Cæſar diuûm reſponſa ſequutus
In verum mouet arma Deum, multoſq́; trucidat
Chriſtigenas, qui mox vt deſeruere caducum
Corpus in æthereos ignes & ſydera tendunt.
Ipſe autem infœlix omniq́; miſerrimus æuo
Se grauibus mergit pœnis, & more Gigantum
Pugnat vt excelſos trahat in ſua pectora montes.
Nunc delubra Iouis nocturnaq́; conſulit exta,
Et ſibi promittit ſceptrum, Tarpeiaq́; regna
Ambit, & ignauo ſperat ſuccedere patri.
O fragiles curæ, ô dominandi inſana libido,
Quot Latijs nuribus lachrymas, quot funera Romæ,
Quot cædes dabit illa dies, cum dignior ipſo
Miſſus ab occaſu princeps, inſignia Chriſti
Qui feret omiſſis aquilis, latiſſima ſolus
Regna gubernabit, Chriſtoq́; auctore potitus

Imperio, Chriſti leges extollet ad aſtra.
Vir tuus arma ferox capiet, ſed Marte ſiniſtro
Corruet, & triſtes Erebi rapietur ad vmbras.
Quare age ne noſtros luge regina dolores,
Sed magis ærumnas & formidanda mariti
Damna tui, proliſq; tuæ, ſtragemq; tuorum.
Namq; ego ſi paulum afflicto ſum corpore preſſa
Nil tamen eſt in me flendum mihi, ſydera carcer
Parturit iſte mihi, faciunt tormenta beatam.
Et iam finis adeſt, noctem iam terminat ortus
Lucifer, & clari facies aperitur Olympi.
Sic ait: auditas quaſi quædam oracula voces
Cum duce Porphyrio voluens regina Sibyllam
Cœlitus afflatam nec verba humana ſonantem
Aeſtimat, & paucis ſic eſt affata puellam.
Credimus ô virgo cœli te arcana tenere,
Nec te tanta pati nec te ſine numine fari.
Credimus & Chriſto tecum, volumuſq; ſalutis
Participes tantæ fieri, clareſcere Chriſtus
Incipit, & totum latè regnare per orbem.
Omnia Chriſtus habet, rubet omnis ſanguine tellus
Innocuo, memini Romæ vidiſſe gregatim
Chriſtigenas duci, & quoſdam periiſſe ferarum
Morſibus, & quoſdam gladijs, & in flumine quoſdam.
In mare complures, fodienda ad marmora miſſos.
Flumina, terra, fretum, fuſo ſacrata cruore
Numen habent Chriſti, debentur & omnia Chriſto:
Vidi ego Cæciliæ pœnas, & flebile ſanctæ

Funus

Funus Anaſtaſiæ, vidi Euphemięq́ dolores
Tyburti fratriſq́ necem. Crudelia nobis
Vulnera Chriſogoni veniens narrauit ab Iſtris
Nuncius, & fateor lachrymæ cecidere tepentes.
Hippolytus laniatur equis. Laurentius ardet.
Nec ſuperare virum flammæ neq́ ferrea poſſunt
Verbera, ſic emitur cœlum, ſic inuidus Orcus
Vincitur, & nulla eſſe poteſt victoria maior.
Iam mea terruerant crebræ corda intima mortes.
Et tanta horrebam paßim lamenta, virumq́
Sæpius increpui, verùm furibundus & atrox
Nec ſeruare modum, miſeris neq́ parcere nouit.
Viderit ipſe ſuam ſortem: Nos caſtra ſubimus
Chriſte tua, & poſt hæc tua numina ſola ſequemur.
Pauca pati ſatius, breuibuſq́ æterna parare
Gaudia ſupplicijs, quàm dum fugientia fruſtra
Complexi bona conamur retinere, laborem
Perdere, & infernos demum deſcendere ad amnes
Sic ait, & rubro ſurgebat ab æquore fulgens
Lucifer, & Caſium rutilans aurora cacumen
Luce colorabat crocea, Regina comeſq́
Porphyrius fletu madidi rediere per vmbras.
Nona dies aderat, turba ſtipante tyrannus
Affuit, at decima ſubierunt mœnia luce
Rhetores acciti verborum ambage parata.
Arduus ad læuam portum ſubeuntibus alta
Rupe locus ſurgit Phariæ contrarius arci.
Vnde licet totam claris proſpectibus vrbem

Subiectaſq; rates ſinuoſaq; littora portus
Et procul in Cyprum fluctus ſpectare natantes.
Hic fuit Antoni (cum iam Cicerone perempto
Victus ab Auguſto ciuilia poneret arma)
Regia, mox iterum renouata in littore pugna
Fractus in has fugit latebras, noua mœnia Cęſar,
Nicopolim dicens, ſtatuit, monumentaq; victor
Inclyta Pellæis poſuit contermina portis,
Hic igitur poſitis ampliſsima ſedibus aula
Cingitur aulæis, longo velamina tractu
Accipit, & picto paries veſtitur amictu.
Hic Ninus & coniunx ſexum mentita virilem
Coctilibus muris Babylona Semiramis ambit,
Aſſyrij reges Perſæ, Mædiq; ſequuntur.
Hic Cyri genus & pugnæ funuſq; cruentum.
Et Thamyris vultu Scythiæ regina ſuperbo
Sanguineum regis caput inſertabat in vtrem.
Id quoq; ſubſcriptum Graijs epigramma figuris.
Debita ſanguineo mors ſanguinolenta tyranno.
Hic Iouis & ſemeles Gangetica filius arua
Vaſtat, & imbelles inuoluit cædibus Indos.
Miles Alexandri longinquum nauigat æquor,
Diues & emiſsis petitur Taprobana mergis,
Namq; polus gemina qui circunſcribitur arcto
Occidit, & gelidos illic non porrigit ignes.
Sydera ſunt illi nobis incognita cœlo,
Quæ diuerſa creant illis animantia terris
Diuerſoſq; hominum mores aliumq; colorem.

Quando

Quando dies illis oritur, denſiſsima nobis
Nox ſilet, & medio voluuntur ſydera lapſu:
Huc igitur Romana cohors cum rege latino,
Septaq; multiplici regina ſatellite venit,
Certamen viſura nouum, & ſine nomine turba
Plurima. Subſtratis aurata tapetibus alto
Fulget ſella loco, quam vix Maxentius oſtro
Splendidus & gemmis latè rutilantibus intrat.
Quinquaginta acres animis linguaq; diſerti
Rhetores ad læuam poſitum aſcendere tribunal.
Pellitur è medio vulgus, ſedere latini
Ad dextram proceres, Lagidæ tenuêre ſiniſtram.
Ordinibuſq; ſilent completa ſedilia longis.
Ingreditur virgo tanti certaminis auctor
Quam circum magno Naſamon ſtrepit agmine lictor
Gens fera, gens immanis agens ex æquore prædas
Dum miſeros aquilo iacit in vada Syrtica nautas.
Splendida lucifero ſimilis Catharina, nihilq;
Extenuata fame & roſeo ſpectabilis ore,
(Nam Deus vt ſæui torqueret pectora regis
Illius ambroſia vultum, frontemq;, comaſq;
Tinxerat, & totam cæleſti afflauerat aura)
Iuſſa ſedet, trabs alta ligat pendentia pugnæ
Præmia, ſtant verſis arrecti vultibus omnes.
Cuncta ſilent, regis nutu data copia fandi.
Talia tum primus ſumpſit primordia Rhetor.
Maximè Romulidum Cæſar, quem Iuppiter vnum
Deligit, immenſi cui ſint conſortia regni,

Non ego dicendo laudes æquare Deorum
Poſſe puto, neq; enim fas id mortalibus vllis.
Sed ne tanta leues verboſa licentia linguas
Inflet vt in ſuperos paſſim conuicia iactent,
Pauca loqui ſuáſit pietas, cauſamq; tueri
Cœlicolum, qui te, Cęſar, Romanaq; regna
Præcipuis tollunt ſtudijs, qui barbara tandem
Auſoniæ ſanctis domuerunt legibus arma.
Maximus hic orbis gemino qui nititur axe
Quem decorant æterni ignes, quem circuit ardens
Lumine perpetuo Titan, germanaq; Phœbe,
Nil Ioue maius habet, ſedet alto in vertice mundi,
Tartaraq; & terras complexus & æquor & auram
Imperio æterno regit, omnia Iuppiter implet,
Omnia mente gerens, animo procul aſpicit omne
Tempus, & incumbens cubito vigil excubat, ipſi
Nulla quies & ſumma quies, ab origine factum
Seruat opus, ſemperq; nouis noua corpora formis
Suſcitat, ex aſtris animas vitalibus haurit
Quas in membra pluat, mox vitæ munere functas
Euocat ad cœlos iterum, poſt tempora ſoli
Nota ſibi rurſum emittit rurſumq; reducit.
Hoc opus eſt quod fine caret, ſed ſumma voluptas
Ipſi operi coniuncta quies æterna vocatur.
Ipſe ſibi tantæ molis ne ſolus habenas
Flecteret, vt tanti faceret communia regni
Gaudia, progenuit natos, quos ſuſtulit inter
Sydera, vt ex alto curent mortalia cœlo.

Sic Venus & Pallas ſic Mars, ſerieſq; nepotum
Surgit, vt Aeneas, & Romæ conditor vrbis
Romulus, & claro ſtellatus in æthere Cæſar
Indigeteſq; alij, quorum tutela iacentes
Mittitur in terras. Meritis pro talibus ipſi
Cùm dare nil melius poſſint, fumantibus aris
Thura ferunt homines, onerantq; altaria donis.
Templa locant, tantoq; Deos teſtantur honore,
Hinc Epheſi moles, Dodonææq; columbæ:
Hinc Ammonis opus, Clarijq; oracula Phœbi,
Et Lyciæ ſortes, & Delphica Phocidis antra.
Namq; hominum miſerata graues pia numina curas
Dant varijs reſponſa modis, inſtantia bella,
Inſidias, peſtemq; monent, caſuſq; ſiniſtros
Ingruere, humanis nunquam tacuere vocata
Supplicijs, tumidus Medo cùm milite Graios
Opprimeret Xerxes, miſerantum oracula diuûm
Vincendi docuere viam: Cùm punica bella
Cladibus innumeris Italos, Romanaq; regna
Concuterent, diuûm Phrygio de littore mater
In Latium tranſlata grauem ſedaſſe tumultum
Dicitur, auſpicijſq; Deæ viciſſe Latinos.
Et nedum eieciſſe ſuis de finibus hoſtem,
Sed Libycos etiam ferro flammaq; penates
Vaſtaſſe, atq; armis Byrſam euertiſſe potentem.
Quid referam auxilio Iouis & Iunonis ab arce
Deiectam Senonum gentem? & capitolia forti
Diuorum protecta manu? peſtemq; repulſam

Mæ[illegible]acum Phœbo ſatus atq; Coronyde nympha
Verſus in effigiem colubri Romana petiuit?
Quo ſit vt impietas atq; irreuerentia diuûm
Sit ſcelus horrendum, & nullo delebile ſacro,
Sacrilegas odere manus, odere ſuperbos
Numina. Tantalidis natos Latona peremit.
Iuppiter anguipedes congeſtis montibus auſos
In ſuperos tentare viam, curruq; volanti
Aeolidem agreſſum tonitru ſimulare fragorem
Fulmine deiecit, toruæq; Lycaona regem
Induit ora feræ nudus cute Marſya Phœbum
Repperit vltorem, temeraria ſenſit Arachne
Pallada Cecropiam, mentitæ Pergama Troiæ
Ira tridentiferi perterruit Ennoſigæi.
Sed quid ego annitor Phœbo ſuperaddere lumen?
Iſta ſatis fulgore ſuo ſententia nota eſt.
Et ſcelus à ſuperis habet & ſua præmia virtus,
Quare age conceptum virgo depone furorem,
Nec tentare Deûm genus infeliciter aude.
Eſt thalamis prælata Venus, prælata puellis
Nubilibus, tædas niſi ſis pertæſa iugales
Sit tua cura Venus, quod ſi ſeruare pudorem
Virgineum mauis, tibi ſit tutela Diana.
Numen vtrumq; pium, tua qui iam poßidet orbem
Vota ſecundabit Cæſar. quid pallida mœres?
Pone metum virgo infelix, reſipiſce parumper.
Pro generis ſplendore tui, connubia Cæſar
Clara dabit, nam te Lagidarum à ſanguine ductam

Comme-

Commemorant, proauos, ſemenq́ imitare paternum,
Et cognoſce Deos quos agnouere parentes
Ante tui, quiſnam nugas perſuaſit aniles
Vt genitum obſcura ſegniq́ propagine Chriſtum
Numen habere putes? mundus coniurat in omnes
Chriſtigenas, iam terra rubet, iam ſanguine pontus
Spumat, & ex toto genus hoc exploditur orbe.
Et tu docta bonas artes, ſata ſanguine regum,
Et formæ ſplendore nitens, gratiſſima tantis
Principibus, magnæ Domino gratiſſima Romæ,
Et modò florentes annos ingreſſa iuuentæ,
Sponte tibi mala tanta paras? vis ferre latentes
Carceris obſcuri tenebras, vis ferre catenas
Extremamq́ pati ſæua inter vulnera mortem?
Ah miſerere tui, ſaltem miſerere tuorum,
Deſertæ miſerere domus, lamenta precesq́
Ne contemne tuæ gentis, depone rigorem
Marmoreum virgo, ne contra iura, Deosq́
Fœmineas extende manus, tibi gloria victæ
Maior erit quam victrici, ſpes vnica tanti
Sanguinis, extingui prolem patiere tuorum?
Carminibus tua corda malis poſſeſſa retardat
Chriſtus, & haud compos mentis cognoſcere ſanctos
Non ſineris monitus, ſed mox vt Martis ad aram
Numen adoraris, pulſa caligine tollet
Libera mens oculos, & te tua limina læto
Accipient vultu reducem, quid lenta reſiſtis?
Rumpe moras, nec te clementia Cæſaris vllum

Ad ſcelus inuitat, nec ad importabile pondus
Vrget, opus leue, iucundum, laudabile, ſanctum
Imperat, id proceres optant, id ſupplicat omnis
Vrbs tua, quid tantis & ſola & fœmina votis
Non parere potes? da thura calentia Marti,
Dux tibi Cæſar erit, nos te comitamur euntem.
Sic ait, & Cæſar nutu aſſentitur & ore.

Baptiſtæ

BAPTISTAE MANTVANI CARMELITAE THEOLOGI SECVNDAE Parthenices, Liber Tertius.

Regia progenies fixis immota manebat
Luminibus, turri ſimilis quam ſaxea moles
Suſtinet, atq; omnem fert inconcuſſa procellam,
Et tali aſſurgens ſermone ſilentia rupit.
Si mea mens vllo poterat ſermone moueri,
Hoc fateor compulſa foret, namq; omnia rhetor
Attigit humanum quibus eſt mutabile pectus.
Et factum ſatis eſt arti, ſi inuicta remanſi
Diuinæ hoc virtutis opus, ſi numen abeſſet
Victor erat, grauibus potui ſuccumbere dictis.
Victrices habeat lauros, prolataq; pugnæ
Dona, ferat virtus & non fortuna coronam.
Quoad potuit fecit, potui ſine numine vinci,
Sed mihi numen adeſt, quo mens arrepta moueri
Neſcit, ad Euphratem potius ſua flumina mittet
Eridanus, Tyberim Tagus influet, Abdua Nilum,
Ante & Pyrenes Rhodope iuga mittet ad arces,

Taurus

Taurus ad Athlantem fugiet, Carmelus ad Oſſam,
Quàm mea ſanctus amor Chriſti præcordia linquat.
Quàm Marti & gelidis ponam libamina ſaxis,
Nec ſuperos odi, nec numina ſancta, nec aras
Numinibus ſacras, verùm quæ numina vanum
Vulgus ait, tenebroſa ſequens veſtigia patrum,
Numen habere nego, teneat ſi Iuppiter arcem
Aethercam, quis templa Ioui, quis ſacra negabit?
Sponte ego thura feram. Veneris (ſi numen haberet)
Numen adorarem. Phœbum ſequar atq; ſororem
Si ſoror & Phœbus Dij ſint, venerabimur aram
Palladis, æthereo Pallas ſi nata cerebro.
Impius & mergi dignus Phlegetonte ſub imo,
Sacrilego quicunq; Deum ſermone laceßit.
Sed vetus & toto iam vulgatißimus orbe
Mortales inter miſeros efferbuit error,
Atq; aliter quàm res habeat ſentire coëgit.
Somnia nec refero, ſed quod narramus aperta
Monſtrari ratione poteſt. Dic optime Rhetor
Quis fuit ante Iouem, qui lucida volueret aſtra?
Qui regeret cœli curſum, qui clauderet vndas
Littore, qui læto veſtiret gramine campos?
Mundus enim fuit antè Iouem, qui raptus ab ipſa
Fauce patris Corybantum opera translatus ad Idam
Gnoſiacasq́; domos, Cretęo creuit in antro.
Iuppiter eſt igitur proles humana, propago
Eſt humana Iouis, nullum fecere quod ipſos
Eſſe Deos teſtetur opus, furta, arma, rapinæ,

Stupra,

Stupra, doli, fraudes, opera hæc præclara Deorum.
O inſanæ hominum mentes, quæ credere diuos
Artibus his factos potuêre, ardentis Olympi
Artificem fecere hominem, dementia nulli
Admittenda viro, Deus eſt æternus, & ingens.
Nec comprenſus adhuc, nec quæ comprendere poßit
Mens eſt vlla Deum. Simplex eſſentia, nullis
Intercepta locis, non circumſcripta figuris.
Vnus & in plures nunquam diuiſus, ab omni
Conditione procul noſtra, mortalia nedum
Omnia, verùm etiam vincens cœleſtia longè.
Solus hic immenſum fecit, non Iuppiter, Orbem.
Quicquid habet Phlegeton, quicquid caua viſcera terræ.
Quicquid ineſt pelago, quicquid ſecat aëra pennis
Condidit, & ſolus totum hoc opus ipſe gubernat.
Quæ narras de prole Iouis de ſtirpe Deorum,
Scænica ſunt, leuibus vulgo recitanda poëtis,
Exhibitura iocos populo, plauſumq́; theatro.
Iuppiter & proles ita ſunt in ſydera lati
Vt fera ſyluoſæ Nemees, vt portitor Helles,
Portitor Europes, auriga, & Iaſonis argo.
Pægaſus, Arctophylax, & raptis miluius extis,
Cæſareusq́; thronus, coma regia, Procyon, vrſæ,
Coruus, olor, lepus, ara, canis, lyra, cancer, & vrna,
Atq́; alia cœli formæ, quas Græcia mendax
Finxit, & audaci vatum facundia cantu.
Non ita naturæ ſpeculati arcana ſagaci
Ingenio ſenſere viri, quos Attica tellus,

Quos

Quos Iudæa tulit, Babylonq; antiqua Magorum
Clara rudimentis, Bragmanarumq; repoſto
Ora iacens mundo, nudis vicina ſophiſtis.
Primus Anaxagoras quadam cœleſtia dixit
Mente regi, non ille Iouem, non ille Mineruam
Non Maia, Semeleve ſatum præfecit Olympo,
Non hominum quenquam breuibus qui tanta lacertis
Corpora, perpetuo nequeat conuoluere gyro.
Ethica Cecropias docuit qui primus Athenas
Inſignis virtute ſenex, ſimulacra Deosq;
Riſit, & hic ſophiæ princeps ab Apolline veſtro
Dictus, & iccirco iuſſus potare cicutam.
Matre Perictonia veniens à ſtirpe Solonis
Clarus Ariſtocles, humeris, Plato, dictus ab amplis
Cum comite Eudoxo noſtram peruenit ad vrbem.
Quicquid ab Habraamo noſtri didicere parentes,
Tranſtulit ad Graios, & ab his Academia terris
Orta Deos plures aufert, vnumq; fatetur
Artificem mundi dominatoremq; Deumq;.
Magnus Ariſtoteles hominum figmenta peroſus
Lyncea in æthereos attollens lumina tractus
Vidit in hac vnum mundi teſtudine numen,
Et coluit, patrios ideò fugiſſe penates
Euboicosq; lares fertur petiſſe, diemq;
Chalcide, ſupremum, longa, clauſiſſe ſenecta.
Hic Deus errantes miſerans in imagine noſtra
Venit, & iſtorum fraudem detexit, & artes
Spirituum, ſacros quibus indulgetis honores.

Hic Deus, hunc vnum colimus, vobisq; colendum
Dicimus, at plures luci præferre tenebras
Et cælo Phlegetonta volunt, & funera vitæ:
Huius in aduentu veſter trepidauit Apollo
Squallidus, & vultu radios contraxit opaco.
Tunc cecidere Deûm ſtatuæ, ſimulacraq; miris
Sunt contrita modis, veſtri meminere parentes.
Hunc Solymi vates perhibent veſtræq; Sibyllæ
Secula facturum luſtratis aurea ſeclis.
Huius ob imperium æternum promiſſaq; genti
Regna ſua, nec forma meos, nec ſceptra, nec ætas,
Sollicitant animos, bona nec mortalia tanti
Ducimus, hoc etiam veſtri docuere poëtæ.
Nam quid Lyriopes & Graij filius amnis
Vos aliud docuit, fragilis quam noxia formæ
Blandimenta malis præbere incendia curis,
Et ſibimet nec ſolum alijs inferre venenum?
Et quid opes, aurumq; Midæ monuere? quid auſus
Quid Phaetontis equi? niſi quod vota improba regum
Diuitiæq; abeunt peſſum, ſecumq; ruinis
Inuoluunt grauibus reges, rerumq; miniſtros?
Dicite Plutoni veterum prudentia vatum
Cur ſubiecit opes? forſan quia viderat aurum
Ex ima tellure trahi, ſub montibus altis
Aes latet, argenti decor eſt in viſcere terræ.
Bethica teſtatur regio. Pactolus & Hermus
Aſtipulantur, agunt etenim flauentis arenæ
Diuitias, fuluumq; trahunt cum piſcibus aurum.

Et quia ſub terris Ditem regnare volebant,
Quæ tellure latent Diti attribuere profundo.
Forſitan hæc fuerit ratio quæ mouerit illos,
Altera ſe nobis longè præſtantior offert
Ad mores inuenta bonos, ſtudioſa ſalutis,
Conſona dogmatibus noſtris. Concedimus ergò
Diuitias Orco, quia ſunt fomenta malorum,
Et ſcelerum inſtrumenta, quibus ſubuertitur omne
Iuſtitiæ robur, cæcos quibus itur ad amnes
Sulfureosq; lacus, regnum implacabile Ditis.
Non aliam ob cauſam mundi ſaluator iniquas
Appellauit opes, & lucra ferentia mortem.
Diſtribuenda pios hominum mandauit in vſus,
Diſcite veſtrorum monitis contemnere quicquid
Eſt mortale, omnem regna in cœleſtia curam
Ferte, nec ætati: fluxæ neu fidite vitæ,
Mobile tempus abit, mora nulla fugacibus annis,
Nunc quoq; dum loquimur Cæſar tua præterit ætas
Anxia, nec gelidam tardat tua purpura mortem.
Finis erat verbis, vno cum rhetores ore
Nil veriti regem (res admiranda) ſuperbum
Sacrilegum quiddam ſimulacra Deosq; fatentur,
Inceſtumq; Iouem, ſubitoq; afflata repentè
Numine tota cohors, victorem extollere Chriſtum
Cœpit, & in ſummam fidei prorumpere laudem.
Torua ſupercilio Maxentius ora minaci
Tollit, & accenſus flagranti corda furore
Elata vocat arma manu, citus arma ſatelles

Admouet,

Admouet, accurſu proceres tenuere citato
Talibus ardentem furijs, ſubuerſa tumultu
Omnia præcipiti, poſtquam ſedata parumper
Ira: Leues animos, dixit, quæ mouit Erynnis?
Quis malus inuaſit nutantia pectora dæmon?
Ergò ne fœmineæ potuerunt vertere nugæ
Vos quoq;? vos inquam quos defendenda Deorum
Cauſa peregrinis ad nos contraxit ab oris?
Hoc honor exhibitus vobis, hoc dona merentur
Hoc ſuſpenſa tholo? ſic nos, ſic omnia Romæ
Numina negligitis, quæ tanta ignauia, multos
Vna puella viros ſuperat? proh dedecus, inter
Milia tot præſtantum hominum certaminis huius
Præmia fert mulier? ſic rex, concorditer omnes
Reſpondere viri. Quid nos terrere minando
Niteris? illabi manifeſtum in pectora numen
Senſimus, & rutilare ſacro caput illius igne
Vidimus, & labi flammas ex ore loquentis.
Vincimur à ſuperis, & victi ponimus arma,
Da veniam Cæſar: Chriſti tranſimus ad aras.
Iuppiter & proles & numina falſa valete,
Cæſaris extemplò facies excanduit, ardent
Lumina, labra tremunt, rauco clamore miniſtros
Conuocat, infandum facinus iubet, ore tragœdo,
Atq; Sophocleo ſcelus enarrabile cantu.
Tollite ſacrilegos clamat, iugulate Deorum
Sacra prophanantes, auibusq; epulanda per agros
Exta date, hæc illis ſint præmia, vadat ad vrbes

Fama peregrinas, tantæ victoria pugnæ.
Has habeant lauros, hæc gloria ſegnibus eſto,
Ite rogum ingentem ſtruite, & date corpora flammis,
Et cinis æquoreas vento rapiatur in vndas.
Talia fulmineo iaculans latè intonat ore.
Attoniti tremuere omnes. feralibus armis
Circumfuſa cohors vinctos prætoria ducit
Rhetoras, & magno circumſtrepit agmine miles.
Voce recedentes tali, Catharina monebat,
Ite triumphales animæ ſuperate tyrannum,
Ite alacres, hodie vobis reſerantur Olympi
Limina, momentum mors eſt, vbi tranſijt, æther
Panditur, & liber petit ignea ſpiritus aſtra.
Ite domos cœli ſanctoſq; intrate penates,
Ite, ſequar, nec vos ſacri iactura lauacri
Terreat, abradet ſcelus omne ſalutifer ignis.
Nec mora, comportant alij ſarmenta, trabesq;
Materiam arentem, & ſiluæ virgulta ſalignæ
Et piceas alij pinos & odora Cypreſſi
Robora, iuniperi ramos, campoq; patenti
Conſtruxere pyras, adipem fomentaq; flammis
Plurima ſubijciunt, oleæq; liquoribus addunt
Sulfura certatim, coit omnis turba, viæq;
Eructant hominum turbas, velut aggere fracto
Cùm Padus in virides ſpumanti vortice campos
Inſilit euertens ſegetes, ſpemq; obruit anni.
Subiecere faces, ſalit ardua flamma, comamq;
Spargit, & in nubem fumi glomerantur opacam,

Corripiunt vinctos bini, ſtringuntq́ retorto
Fune manus & fune pedes, iaciuntq́ per altos
Ingenti clamore rogos, furit ignis, & ardor
In mentum ſalit atq́ comas ſtridore coruſco,
Tanta ſacerdotes alacri ſpectacula vultu
Conſpiciunt, tabuliſq́ iuuant incendia iactis
Cæſaris extollunt animos, vrgentq́ miniſtros.
Et rediſſe Deûm libamen & orgia gaudent,
Extinctis mox buſta viris cecidêre, nec artus
In cineres abiêre, togas & corpora lambens
Leniter abſtinuit, vireſq́ coërcuit ignis
Ipſe ſuas, ſanctos veritus tractare, ſepulchro
Chriſtiginæ intrepidi ſublata cadauera ponunt,
Suppliciter flentes, & triſtia funera ducunt.
Cædis adhuc auidus Cæſar, nec crimine tanto
Territus, at multo madidus poſt prandia Baccho
Mandat ab obſcuris foribus cæcoq́ reuulſam
Carcere victricem menſis aſtare puellam.
Illa catenarum ſtrepitu per lata ſonante
Atria, nil pauitans duri ſubit ora tyranni.
Compoſito vultu & frontis feritate parumper
Vix tandem poſita ficto rex pectore fatur.
Regia progenies, virgo, tua maxima virtus
Inſigni nobis hodie certamine nota,
Conciliare poteſt tibi me, niſi noſtra vereri
Sacra negas, verſis igitur palinodia verbis
Eſt dicenda palàm, neu te malè numina perdant
Eſt placanda Deûm dictis melioribus ira.

Illa, quid his iterum nugis me vertere tentas
Cæſar ait? Tu ſaxa colas, ſine numina nobis.
Forſan honoratis lapides, quia creditis olim
Deucalionæis homines de cotibus ortos.
Talibus accenſus dictis Maxentius altum
Ferrea clamabat date verbera, verbera lictor
Expedit, & nudos humeros ac pectus apertum
Virginis inuadens, crebro ferit impius ictu
Innocuum corpus, miti gemit ore, Deumq́;
Alloquitur virgo, noſtri cape ſancte cruoris
Primitias, animum ſerua ſit victima fluxum
Corpus, vt Hebraamus ſeruato pignore ſacrum
Fecit, & illuſtrem pecudis cruor imbuit aram,
Sic mea ſeruata caro concidat hoſtia mente.
Sic ait, ex oculis lachrymæ fluxere tepentes,
Ora genasq́; rigant, largus de vulnere ſanguis
Labitur, & terram cædes effuſa cruentat.
Supplicio affectam tali iubet ire ſub vmbras
Nullaq́; biſſenis præberi alimenta diebus.
Vertitur abſtergens oculos, gemebundaq́; pectus
Velat, & in noctem lachrymans deſcendit opacam.
  Eſt locus Eoos Phœbi naſcentis ad ortus
Arduus attollens vicina cacumina cœlo.
Thraicia maior Rhodope, ſublimior Oſſa,
Pelion Aemonium ſuperans, & culmen Olympi,
Caucaſeasq́; niues vbi ſunt iuga maxima Tauro.
Illic perpetuo vernantia gramine rura,
Perpetui fructus æternaq́; gratia florum,

Vernaq́;

Vernaq́ temperies, ſemper ſine nubibus aër
Limpidus, Auſter abeſt, Boreas non ſibilat, Eurus
Exulat, occidua Zephyrus non murmurat aura.
Hic primæua quies homini, ieiuna priuſquam
Infœlix vetita vitiaſſet guttura fruge.
In medio fons eſt lato pulcherrimus orbe
Quatuor vnde fluunt occulto flumina curſu.
Nam tria ſecretis delapſa meatibus arcton
Verſus eunt, at mox verſo reuocantur in auſtrum
Tramite, ad Aethiopes combuſtaq́ ſolibus arua
Defluit aßiduis quartum, Meroemq́ refuſo
Gurgite complectens Memphitica regna peragrat.
Ad vitrei fontis ripas in margine læto
Sunt oleæ pingues, ſunt Medica mala, Cypreßi,
Et ſemper virides lauri, palmetaq́ longis
Frondibus, & pini pingues, & myrtea ſylua.
Sunt & odoratæ cedri, fœcundaq́ ſemper
Ficus, & vua graui pendens in palmite, pruna
Carea, iuglandes, & amigdala, purpureumq́
Quod tulit arctois pomum Lucullus ab aruis.
Prata ſub arboribus raris, florentia ſemper
Lilia, ſerpillum, narciſſus, amaracus, omne
Gramen odoriferum, violæ, roſa, balſamus, arbor
Thurea, myrrha, thymū, buxus, terebinthus, amomū,
Nardus, & Aiacis frondes, roris q́ marini,
Irriguos circum riuos ſua brachia tendunt.
Innocui vitreo ludunt in gurgite piſces.
Vbera diſtendunt pecudes, hic nulla leonum

Semina, non ſerpens, nec cauda ſcorpius vnca.
Omnia tuta, cubant lepores, nec bella nec vllas
Inſidias metuunt, cantu nemus omne volucrum
Perſonat, & florum per ſumma cacumina nectar
Libat apis, lectumq́; canis opus aggerat antris.
Nuncius antè pater ſumma quem miſerat arce
Virgineo occurrens morbo, caſusq́; futuri
Praſcius, inde fauos illis & mella diebus
Pomaq́; decerpens, dapis inconſueta ferebat
Xenia, deſertæ trans æquora lata puellæ.
Hæc ſunt illa quibus felicem pabula vitam
Helias, & ſocij longæua in ſæcula ducunt.
Omniaq́; infuſo curauit vulnera moly,
Moly, quod omnigenis fecit Deus vtile morbis:
Nigra ſubeſt radix, viridis coma, floribus albet.
Iam viſſena dies ierat, reuocatur ab vmbris
Ambroſium vultu referens Catharina decorem.
Nec tenuata fame nec triſti ſqualida nocte,
Cæſar vt aſpexit ſolitum decus oris honeſti,
Fraude miniſtrorum paſtam putat, æſtuat, ardet
Vociferans, trepidat mugitu regia tanto.
Non ſecus ac nautæ pelago cùm turbidus imber
Ingruit, & rauco volitat cum murmure nubes
Pulſa Notho, tumet vnda, micat pice nigrior aër
Ignibus, & tonitru ingenti tonat altus Olympus.
Perdite cuſtodes clamat vel mergite ponto
Tergore conſutos, Siculis vel adurite tauris.
Iuſſa citi Garamas Naſamen Maurusq́; faceſſunt,
Marmaridæ

Marmaridæ, Pſilli, Numidæ, quibus vna libido
Sanguinis, accenſos miſeri raptantur ad ignes.
Vinculaq; iniiciunt pedibus, terraq; volutos
Verſatosq; luto & fœdatos puluere terga
Ad tormenta trahunt, nihil illis mollia proſunt
Verba precum, lachrymæ nihil inter verba cadentes.
Nil longi labor obſequij, votisq; vocata
Numina nil proſunt, manet implacabile pectus
Regis, & indomitum virus medicamine nullo
Frangitur. O infœlix quæ te inclementia Cæſar
Virgo, ait, innocuos homines torquere coëgit?
Non ego terrenis epulis, ſed ab æthere miſſa
Sum dape paſta dies biſſex, qui pabula genti
Per deſerta dedit Solymæ, cùm vecta per vndas
Aequore ſuſpenſo Pambæos venit in agros
Me quoq; certantem pro relligione, fidemq;
Aſſerere audentem pauit, ſanauit, & ipſa
Parta ſalus opus eſſe docet cœleſte, cicatrix
Nulla per offenſos ferro deprenditur artus.
Incipe ſedata fieri clementior ira,
Et neq; ſanguineo ſimilem te finge Neroni
Sed qualis Traianus erat, vel Iulia proles
Auguſtus, qualesq; tulit gens Flauia reges
Et patrem & natum, quorum veſtigia debes
Sancta ſequi, ſi vis tanto ſuccedere regno.
Dignus eris ſi iuſtus eris, clementia reges
Efficit imperio dignos, pro immanibus actis
Crudeli mercede Deus tibi digna rependet

Præmia, crudeles ſuperi crudeliter vrgent.
Vicit fœmineo facundia iuncta decori,
Sedatusq; parum Cæſar: quò perdita virgo,
Vſq; Ioui differs, inquit, parere? iuuentæ
Nec miſerere tuæ? non te ſeruilibus vtar
Obſequijs, nec enim id patitur tua forma nec ætas.
Aſſentire meis aliquando & ſubde rebelles
Imperijs animos. Quid me, reſpondit, iniquis
Sollicitas verbis? & turpi pectora voto
Fœda geris? cur ſanctum audes violare pudorem,
More ſuum, cœno aſſuetus, ſordeſcere nunquam
Deſinis, & mundæ neſcis aſſueſcere vitæ,
Sic tua te inſtituit Venus, hæc documenta tuorum
Caſta Deûm, ſunt hæc quibus aſſentire iubemur
Imperia? hi monitus? vtrum tua prouida virtus
Conſulit vtilius nobis, humana ne iuſſa
An diuina ſequi? Quod amas Deus odit, & audes
Impugnare Deum, cùm ſis mortalis? ab vrbe
Ciuibus hæc tam vana meis documenta tuliſti?
Erubuit Cæſar, ſceleris mens conſcia non fert
Iurgia, non audet vultus attollere, ſeq;
Vertit in Ichthybolum, & reuehi præcepit ad vmbram
Carceris, atq; nouis tradi cuſtodibus antrum.
Ichthybolus verò, cui mens crudelis, & atrox
Ingenium, regi, quidnam vulgaribus, inquit,
Hanc pœnis terrere paras, ſub ſydere natam
Credimus Helleo, nam frons Marpeſia caute
Taurominitana aſperior, rigidoq; adamante

Durior,

Durior, Auſonios faſces noſtraſq; ſecures
Ridet, & imperio diuûm parere recuſat.
Cedimus? an iuſtis dementem vrgere flagellis
Praſtat? & imperij cauſam diuûmq; tueri?
Mollia non obſtant duris, nec fortia poſſunt
Debilibus vinci, nec ligno ſaxa cauantur,
Nec manibus muri, ſed duro marmora ferro,
Mœnia contortis magno molimine ſaxis
Eruimus. Si auferre paras à virgine Chriſtum,
Finge rotas, magnaſq; aliquot vertiginis orbes,
Et crebris armetur opus mucronibus omne.
Et radij cultros & curuatura rotarum
Ancipites habeant. Orbis contrarius orbi
Currat, & affixos verſo ſecet impetus axe.
Perſephone immanes pœnas & ſæua docebat
Supplicia, occultis voluens corda impia formis,
Aſpera inhumanum flexit ſententia regem.
Quærit vt in tota ſi quis foret vrbe Perillus
Atq; Phereclea quiſquam præſtantior arte
Dædalus, aut auctor Troianæ cladis Epæus;
Nox erat, & medium cœli ſtellata per axem
Cum Ioue ducebant nitidi veſtigia piſces.
Maximus ætherei Chriſtus regnator Olimpi
Agmine cælicolum magno ſtipatus ab aſtris
Labitur, & niuei tranſit per cornua tauri.
Intrat ad humentes vmbras & triſte barathrum,
Fit ſonus, & nigram ſubitò lux aurea noctem
Diſſipat, apparent pulchra ſub imagine diui.

Primus Ioannes, humeros cui lucida veſtit
Pellis, & aurati pendent in tergora villi.
Alter erat ſenior Petrus cui candida mento
Cæſaries, geminaq; micant in pectore claues.
Tertius ardenti Paulus mucrone coruſcans
Igneus ore, ligant intextæ guttura gemmæ.
Quartus Ioannes aquila ſignatus, amictu
Lucet in albenti, mentoq́; & vertice canus.
Hi primi, ſua quemq́; ducem ſtant agmina circum.
Squallor abit, fulget paries, circumfluus aër
Fragrat, & Armenio carcer luſtratur amomo.
Tum vultu diuûm dominus. Sic fatur amico.
Hactenus ex alto pugnam ſpectauimus orbe
Occulteq́; tuis procul aſpirauimus orſis
Fortibus, hæc claræ fuerint præludia pugnæ.
Nunc acie tota pugnatur & omnibus armis.
Macte, & in extremo palmam ne deſere curſu.
Pars ſupereſt tibi parua via, iam proxima palmæ
Curris, & apparet grauium ſuprema laborum
Meta, dies feret optatum tibi craſtina finem.
Dixit, & ambroſia frontem perfudit & armos,
Et ſic fatus abit, dulciq́; adit æthera cantu.
Altera lux aderat, feralis machina cœlo
Erigitur, populiq́; foro concurſus aperto
Cogitur, horreſcunt viſu, & crudele fatentur
Id genus inſolitum pœnæ, de robore querno
Texitur, & biſſex cubitis aſcendit in auras
Pons, vbi voluendos lictor ſe attollat ad axes.

Impulſi magnis ſtrident conatibus orbes,
Roſtratiq; micant gladij, curuiſq; minantur
Dentibus, & paruo inter ſe diſcrimine diſtant
Corpus vt affixum lateri è regione locatum
Diſcerpat latus, atq; vno ſecet omnia curſu
Membra, leues ſubitò procul eiaculanda per auras.
Terrificum incutiens animis ſtructura pauorem,
Aſpectuq; nocens ſolo, ſuper aurea ſedit
Stragula, & à tecto ſpectat Maxentius alto
Coniugis extendens baccata ad colla ſiniſtram.
Protrahitur virgo, quæ poſtquam immania vidit
Currere protenſis armata voluminaroſtris
Subſtitit, & preſſo ſuſpexit ſydera greſſu
Sic memorans. Obſiſte pater crudelibus auſis,
Percute dentatos orbes, oſtende tyranno
Te Ioue contempto cœli, terræq; potentem.
Infœlix videat, contabeſcatq; videndo,
Quanta tuæ virtus & quanta potentia dextræ.
Vix ea finierat, gelida cum erupit ab arcto
Ventus, & ardenti reſonans cum fulgure fulmen,
Grandineq; immixta nimbus caliginis atræ.
Diſrumpitq; rotas, trabibuſq; per aëra pulſis
Maxima conſequitur ſtrages, quò territa vertat
Turba pedem noctis tenebris incluſa profundæ
Neſcit, & attonitos fruſtratim machina labens
Opprimit, auditur clamor, ſonituſq; ruentum
Impete cum magno trabium, periêre miniſtri,
Quattuor, vt fama eſt, rapuit furibunda virorum

Milia

Milia tempeſtas & lapſus ab aëre turbo.
Vtq; dies claro deterſit nubila cælo
Detegitur clades hominum: laniata per omne
Membra forum, facies vſtæ, conuulſaq; labra
Dentibus exertis, laceræq; per ardua veſtes
Culmina tectorum, mixto fluit vnda cruore.
Quæ ſuperant cladi lugent communia matres
Funera Pellææ, lamenta per omnia ſurgunt
Compita, in ingenti tota vrbs ploratur aceruo,
Plebis in occaſu tantæ gauiſa per auras
Perſephone volat, ac ſocios, ac dæmonas omnes
Ad prædam ciet ex aris, adytiſq; Deorum.
Illi præcipites altis è turribus adſunt,
Corripiuntq; vagas animas, ſtygiiſq; coërcent
Funibus in faſces, & in intima tartara voluunt,
Perſimiles aquilis, quoties videre volucres
Dulcibus è ſtagnis tolli, tenuemq; per auram
Nare cateruatim, campiſq; inferre volatum,
Quà rigat effuſis Mantoam greßibus vrbem
Mintius, intexens iuncis & harundine ripas.
Saucia iamdudum cæco regina dolore,
Dißimulare nequit flagrantem pectore flammam,
Sicq; virum alloquitur. Quæ te immanißime, quæ te
Peſtis agit? manifeſta vides miracula, necdum
Irritare Deum ceſſas, tibi me quoq; Chriſtus
Abſtulit, & viuo crines in flumine laui.
Nec tua ſum poſthac, nec me reuerentia Martis
Nec Iouis vlla tenet, tua ſint hæc numina, vincet

Chriſtus,

Chriſtus,& occumbes cum relligione Deorum.
Cæſar ad hæc frendens,contorquet lumina denſò
Torua ſupercilio,& clamans,noua funera lictor
Poſcimus,accipe & hanc,& amaro vulnere truncis
Vberibus cæſa caput à ceruice reuulſum
Aequoreæ volucres habeant,piſcabitur illud
Petrus,& inuentum Chriſti ſuſpendet ad aram.
Nec mora,dum totam magnis vlulatibus vrbem
Dira lues agitat,dum cædibus omnia complet
Perſephone exultans & tanta ſtrage ſuperbit,
Vincta manus ſparſis trahitur regina capillis.
Res indigna nimis,miſſoq́ ad colla capiſtro
Ducitur ad littus lachrymans,& crine ligatam
Arboris ad ramos patulis quæ vmbroſa lacertis
Stabat arenoſæ frondens in margine ripæ,
Afficiunt probris & multo verbere, tandem
Pectore conuulſo Pharias truncatur ad arces.
Exanimes artus nudant,rapiuntur inaures,
Implicitumq́ comis aurum gemmiſq́ monile
Diues,& amiſſo ſæuit fera turba pudore.
Ceu plures cum nocte lupi inuenere relictam
Deſidia paſtoris ouem,ſimul agmine facto
Communem inuadũt prædam, atq́ in vulnera certant.
Dilaniant,caput hic,iecur ille,in clunibus alter
Paſcitur,& fauces implent,rictumq́ cruentant.
Audijt horrendum facinus,veniensq́ repente
Porphyrius multo raptum cum milite corpus
Texit humo lachrymans, meritoſq́ exoluit honores,
Inſcia

Infelix quantum ſors & breuis hora ſinebat.
Iamq; nouas afferte dapes, diſcumbere tempus
Cæſar ait, ſat mane. Ioui ſuperiſq; litatum
Omnibus, & fuſo placati ſanguine manes.
Soluite triſtitiam, curaſq; immergite Baccho,
Debetur noua nupta mihi, namq; impia coniunx
Per noua Iudæo nupſit diuortia Chriſto.
Ferte cados, date Creteo de palmite vina.
Ponite Amyneos latices, Chiumq; liquorem
Et ſi quid Campana ſui vindemia miſit
Nectaris, omnigeno ſpument crateres Iaccho.
Diſcumbunt, celeres volitant, agileſq; miniſtri,
Et menſas epulis onerant, Maxentius ira
Iamdudum exuſtus largo ſe ingurgitat hauſtu
Sæpius, & pergit venas inflare calentes.
Callida Perſephone grauibus conuiuia rixis
Immiſcere volens ſumptis præteruolat alis
Aequoream ſimulans volucrem, petit ardua nubes
Itq; reditq; frequens, ducitq; per aëra gyrum,
Garrituq; ſonat pluuio. Denuntiat, inquit,
Ichthybolus, ventos, tempeſtatemq; futuram.
Iam pelago furor & nautis grauis ingruit imber.
Cæſar vt audiuit pelagus, ſuccurrit imago
Coniugis ad littus cæſæ, iubet ire miniſtros
Necropolimq; trahi, & condi tellure cadauer.
Reſpondere ducem iamdudum funere ducto
Porphyrium veteri regum impoſuiſſe ſepulcro.
Ecce iterum lachrymas, iterum ciet ira furorem,

Lætaq́ ſubuertit præceps conuiuia luctus.
Porphyrium Cæſar tunc è regione ſedentem
Pallidus, & ſtomachum vultu confeſſus opaco
Alloquitur, Quid me inuito violenter ademptum
Corpus humas? quæ relligio, quæ cura meorum?
Prouidus ardorem, mentis ratione gubernat,
Et placidis, mulcet bacchantem vocibus iram
Porphyrius, nobis Cæſar fore dedecus, inquit,
Immortale ratus, ſi perueniſſet ad aures
Vrbis id infandum facinus, quod percitus ira
Incompoſq́ tui mandas, celanda putaui
Corpora defunctæ, & ſceleris monumenta nephandi.
Sed furor, impatiens fræni, miteſcere, nulla
Voce poteſt. ſimiliſq́ Padi torrentibus vndis
Aeſtiuo cùm ſole niues ſaxoſa Gebennæ
Præcipitant iuga, ſi curſus occludere tentas
Obijce, contortis creſcunt ſpumantia terga
Vorticibus, ſemperq́ magis violenta ſuperbit
Congeries, tumidaq́ premit retinacula mole.
Donec iter gurges agat indignatus apertum.
Quid ſcelus excuſas, hominum turpiſſime, Cæſar
Inquit, & ignaua regem grauitate laceſſis?
Omnia Therſitæ ſimilis, quid gutture latras
Sardanapaliaco, Pallenti excanduit ore
Dux animo, dextraq́ potens, claraq́ ſuperbus
Militiæ titulis, voluitq́ inuadere pectus
Cæſaris, & capulum dextra complexus eburnum
Deſtitit, ardentem virtus compeſcuit iram,

Atq́

Atq; ita ſuſpirans fatur. Quid fida tuorum
Pectora Maxenti verbis premis acribus? Et quid
Læta procelloſo turbas conuiuia vultu?
Si tibi cauſa minus placuit recitata, fatebor
Altera cauſa ſubeſt potior. Sepelire iacentem
Relligio Chriſti dominam me iuſſit, & ipſos
Rhetoras antè dedi tumulto. Nam flumine viuo
Me quoq; (ſi neſcis) lauit regnator Olympi
Chriſtus, & abiecto verum Ioue numen adoro.
Saucius incompoſq; animi Maxentius, ergò
Tu quoq; carminibus magicis ſubuerteris? inquit.
Tu magicas artes tu cædem incendiaq; audes
Dux ait, infelix ſequere, & ſcelus omne reuolue.
Ingluuiem nutri, duro rape viſcera ferro.
Sanguine tinge manus, inoxia membra trucida
Numina, Maxenti, iuſtiſſima, numina tantum
Sunt viſura nefas, meritas dabis impie pœnas.
Expectant te Tybris aquæ, calor iſte ſub vndis
Occidet, & tanquam Phaëton temerarius axe
Pulſus ab excelſo vaſtum rapieris in æquor,
Forſan & inuenies extinctæ coniugis ora.
Interea pinguem nutri delphinibus eſcam.
Ira (ſlio) tua me morti iam deſtinat, vltrò
Ibimus, & ſtrictos caput extendemus ad enſes
Intrepidi, nobis nihil eſt in morte timendum
Chriſtigenis, quibus eſt aliud poſt funera longè
Nobilius vitæ genus immortalis Olympo.
Oppetere eſt iterum naſci, tormenta ſubire

Pro

Pro virtute pium, triplex contingit origo
Chriſtiginis, vulgata prior qua naſcimur omnes
Semine concepti patrio; cum ſeptima fœtum
Luna peragrato vel nona peregerit orbe.
Altera ſic natos terris per myſtica transfert
Flumina, & ablutos genetrix eccleſia lacte
Nutrit ad ambroſiæ ſemper viuentis odorem.
Tertia cùm ſuprema dies mortale reſoluit
Corpus, & in cineres opus hoc natura caducum
Traxit, ad æthereos orbes Empyrea regna
Mittit, vbi & reduces animos complectitur vlnis
Dulcibus, & nitida cœli pater accipit aula.
Iſta fides lorica mihi eſt adamantina, nullis
Peruia fortunæ iaculis. Dum talibus orat
Porphyrius, tumido bilem ſub pectore Cæſar
Rodit, & impatiens vultus obſcurat Erinnys.
Et circumpoſitis ſtimulat præcordia flammis.
Dux animum firmante Deo nil territus, atra
Fronte quid atroci dudum concepta venena
Corde premis? dixit, ne pars innoxia vitæ
Vlla tuæ dignum venia te reddere poſsit,
Incipe, rumpe moras, aperi crudelia tandem
Ora, ſatellitibus diris mea funera manda.
Membra iube lanianda feris in littore ſpargi,
Defuncti careamus humo, careamus arena,
Corpora iactentur monſtris laceranda marinis.
Diſcite crudeli proceres ſeruire tyranno.
Rege ſub ingrato ſub iniqui principis vmbra

Seruitijs emitur mors obſcuriſsima longis.
Rumpitur inflatum pectus, mentiſq; ſuperbæ,
Nec frenare poteſt nec diſsimulare furorem,
Cæſar, in extremis ardet iam faucibus ira
Non aliter quàm cùm ſicco ſub fomite dormit
Ignis & afflatu crebro excandeſcit & aura
Exilit, & tremulæ rutilant per nubila flammæ.
Ferte citi procul hinc hominem, date vincula clamat.
Cumq; ſuo totam domino iugulate cohortem,
Quæ ducis infecti traxit contagia. finem
Sacrilegis dabit iſta dies. Per numina iuro,
Per Iouis æternum imperium fulmenq; triſulcum,
Ibitis ad lethen, ſtygiaſq; videbitis vndas.
Dux & tota cohors miſsis ad colla catenis,
(O funeſta dies, ô lamentabile tempus,
O furor, ô rabies, ô deteſtabile virus,
O dolor, ô regum impietas, ô mortua virtus)
Ducitur, & longa properant ad funera pompa.
Ventum erat ad littus, cùm dux fortiſsimus ægros
Alloquitur comites, turbataq; pectora firmat.
O ſocij, mecum terræ pelagiq; labores
Experti toties, longæq; pericula paſsi
Militiæ, quid vos terret præſentia mortis?
Quæ celeri curſu Zephyrum, volucremq; ſagittam
Vincit? vbi fortes animi generoſaq; virtus?
Cordaq; ad horrendos nunquam perterrita caſus?
Ponite triſtitiam, rectos attollite vultus.
Cernite perpetuo fulgentem lumine mundum,

Aethereaſq; domos, animis ea patria noſtris.
Ecquid fœminea pauidæ formidine frontes
Deſpiciunt terras? hodie veniemus in aſtra.
Sic ait; & Chriſto ſacrum Pæana canentes,
Accipiunt altos pronis ceruicibus enſes.
O mors dura, virûm vita præſtantior olim
Noxia cùm rapidæ purgarint ſæcula flammæ
Membra, memor veſtri Deus, immortalia reddet,
Interea gaudete bonis cœleſtibus, inter
Spirituum cœtus alacres, & ſancta precati
Numina, terrigenis Chriſti implorate fauorem.
Pectora trunca iacent, fuſoq; rubeſcit arena
Sanguine, mactata eſt duplex Hecatumba Tonanti.
Cum duce bis centum comites in littore cæſos
Chriſtigenæ effoßis, mœſti impoſuere, ſepulcris:
Et iam prona dies nocti cedebat & vmbris,
Occiduo radians excelſam lumine Calpen.
Cùm furijs Cæſar longis iam feſſus & ira
Sic ſecum. Quæ tanta iſtis conſtantia? quodnam
Robur ineſt animis tantum? quæ pectora virtus
Inconcuſſa regit? quæ ſpes? quæ præmia tanti?
Morte quid expectant obita? neq; credere dignum eſt
Sanctius his numen, quorum reſpublica pauper,
Quàm noſtris qui regna tenent telluris & vndæ.
Illam ego numinibus gentem melioribus vti
Crediderim, cuius terrena potentia maior.
Nam ſi regna Dei arbitrio terrena gubernant
Diſtribuuntq; ſuo, qui dant maiora putandi

Maiores, Libyam Iuno, regna Attica Pallas,
Iliacam Phœbus, Tarpeiam Iuppiter arcem
Conſtituit, regnum regno, ceu numine numen,
Maius erat, ſed Chriſtigenis nec regna nec vrbes.
At fuerit ſatius tantos ſedare tumultus
Vnius interitu, vel ſi mutabitur, eius
Connubio, tantumq; decus ſeruare iugali
Fœdere, & has tandem curas extinguere tædis.
Saturni iam bruma dies & læta reducit
Tempora, quæ nobis patrio celeberrima ritu
Iucundos hyberna ſales & xenia poſcunt,
Ocia nocturnæ poſcunt conuiuia menſæ.
Expediam, triſtis ne ſe inter gaudia luctus
Ingerat, interea placidas mihi Iuppiter vndas
Aequoris, & curſus dabit ad mea regna ſecundos.
His dictis placet, accito lictore, puellam
Duci iterum é tenebris, iterum tentare loquendo,
Virgineumq; nouis pedicis captare pudorem.
Quam ſimul ac vidit ſic eſt aggreſſus. Amyclas
Troius aſſultu ſubito expugnauit adulter.
At tua terdenis nondum eſt mollita diebus
Duricies. Ponti glacies Hircanaq; tandem
Frigora & arctoæ vincuntur ſole pruinæ.
Tu Getico ſopita gelu, vel Gorgone viſa
In ſilicem durata, nequis manſueſcere, quercus
Orpheus, Amphion lapides, delphinas Arion
Mouit, & Orphæos ſenſerunt tartara cantus.
Tu niue frigidior, tibi ferrea corda, ſepulti

Vſq; adeò tibi ſunt ſenſus hebetataq́; mentis
Lumina, vt albenti videare ſimillima ſaxo
Coniugis Aſſyriæ, verſo quæ in marmora vultu
Fluxit & ardentem ſpectat fugitiua Gomorram.
Heu quianam contra genium moremq; iuuentæ
Molliciemq́; tui ſexus, generiſq́; ſuperbi,
Stemma, ſupercilio ſpernis regalia toruo
Imperia, ah demens, tu blandimenta, minaſq́;
Deſpicis, & ſurda perſtas immobilis aure.
Tu populo ſpolias vrbem, tu coniuge regem
Militibuſq́; ducem, duce Cyrenenſia regna.
Et miſeremur adhuc, & te ſeruare parati
Mitibus alloquimur verbis. Genus aſpice quantum
Romanum pietate valet, miteſce parumper.
Si ſeruire pudet, mecum regnabis, habeto
Coniugis extinctæ thalamos. Romana videbis
Mœnia, & incedes Latiam regina per vrbem,
Quod tua gentilis quondam Cleopatra tumultu
Ambijt Actiaco, tu Cæſare digna marito,
Accipe, largimur ſine bello & ſanguine regnum.
Sic ait, & cæco languet Maxentius igne.
Illa, velut dorſum medijs in fluctibus ingens
Vapulat aßiduis & nunquam vincitur vndis,
Deſine plura, nefas iterum me nubere, dixit,
Nupſimus, inſerto nuptam manus indicat auro.
Et mihi nunc alacres nitidis conuiuia menſis
Virq; ſocerq́; parant, hodie ſubitura mariti
Limen, & è tenebris claros aditura penates.

Nec ſum dura,fidem ſeruo.Tu ſanguine gaudes
Non ego,tu tanti ſceleris duriſsimus auctor.
Hæc vbi dicta,videns atrox immota tyrannus
Pectora,nec precibus flecti,nec verbere frangi,
Spe Veneris poſita iubet à lictore necandam
Necropolim duci.Pullo velata cucullo
Atq; capiſtratis manibus de carceris antro,
Truditur ambigua faciente crepuſcula nocte.
Aemonius Chiron media iam parte ſub vmbras
Iuerat,& Ledæ funeſtam pignora noctem
Aëre voluebant piceo,niger Heſperus ore
Pallidulo triſti per cœlum aſcendere vultu
Viſus,ab aſpectu ſceleris noua luna nephandi
Cornua ſubſtraxit,nubes teterrima clauſit
Aethereos ignes & conſcia ſydera morti.
Auditæ Halcyones grauibus lamenta querelis
Spargere per littus,mœſtoſq; ad funera cantus,
Edere,& æquoreæ volucres dare flebile carmen.
Eſt locus ad Boream pelagi porrectus ad vndas,
Denſa vbi ſilueſtrem faciunt ſpineta receſſum.
Areaq; in medio,crebris ibi terra ſepulcris
Surgit,& in tumulos foſſæ cumulantur arenæ,
Sacra cadaueribus tellus, Polyandrion Hellas
Voce vocat patria,nudis paſsim oſsibus albet,
Vrticis vmbroſus ager, grauibuſq; cicutis
Et nigris ebuli baccis & olente Sabuco.
Campus iners & ſepiuagis domus apta colubris.
Hos ingreſſa locos durus dum brachia lictor

Expedit inuertens manicas, dumq́ explicat enſem
Sanguineum, virgo cœlum ſuſpexit & ignes
Aethereos, taliq́ Deum ſermone precata eſt.
O pater, exiguas tanto pro munere grates
Soluimus, ingentes autem debere fatemur.
Tu grauibus preſſam tenebris in clara vocaſti
Lumina, tu manes, tu das ſuperare tyrannum,
Et modò tam vario functam diſcrimine, tandem
Ad palmam regnumq́ vocas. Da numine dextro
Egreſſus animo faciles, rEdituſq́ ſecundos,
In patriam cœliq́ domos hanc accipe mentem,
Et prolem neſperne tuam de fauce reuulſam
Ditis, & oranti famulæ tua limina pande.
Et ſi quando memor quiſquam certaminis huius
Implorabit opem, pater exorabilis eſto.
Finierat, ſubitò cùm vox audita per auras,
Annuimus, ſecura veni. Tum poplite flexo
Et crucis explicita per pectus imagine, lictor
Verberat orantem gladio. Pro cæde cruenta
Lac niueum fluxit, tellus incanduit albo
Sanguine, lingua Deum neruis deluſa reciſis
Perſonat, & moriens verba imperfecta relinquit.
Cæſa ſolo iacet atq́ in cœlum vita receßit.
Affuit extemplò ſuperûm de ſedibus agmen
Spirituum duplex, vnum quod corpore nudam
Suſcipiat mentem, dulciq́ ad ſydera cantu
Transferat, exanimes aliud quod tolleret artus.
Inſolita noua luce dies in nocte refulſit,

Atq; repentinum ſubito cum lumine fulgur
Emicuit, ceu cum frangit caua nubila fulmen
Cum grauis ardentem ſuccendit Iulius æſtum.
Euolat attonitus lictor, trepidiq; miniſtri
Corripuere fugam, toto ſymphonia cælo
Spargitur, & mixta vocum dulcedine carmen
Aſtra petit, ſenſimq; abiens diſcedit ab aure.
Viſaq; per cæli tractus aſcendere nubes
Lucida, perſimilis ſoli, lucentior aſtro
Luciferi, & claro rutilantem lumine caudam
Ducere, & ignifero ferri vltra ſydera curſu.
Et caput inſertare polo. Patuere Tonantis
Atria, curuatus læto Pater obuia vultu
Brachia diffundens reduci dedit oſcula natæ.
Et triplici claram radiauit ſydere frontem.
Altera ſpirituum legio collegit ab hortis
Balſama Iudæis, aloes, myrrhæq; liquorem,
Ablutoſq; vadis artus & odoribus vnctos,
Aëreum per iter rubri trans æquora ponti,
In montes Arabum ſummæq; cacumina Sinæ
Tranſtulit, & corpus Pario clauſere ſepulcro,
Quod ſuperum fecere manus. Opobalſama ſemper
Marmor odoratum ſudat, quibus ægra iuuantur
Corpora, difficiles iſto ceromate morbos
Indigenæ pellunt, ſacros Alabaſtra liquores
Atq; ſalutares lachrymas, oleiq; fluentis
Accipiunt guttas. Membris honor iſte ſepultis.

BAPTISTAE MANTVANI CARMELITAE THEOLOGI TERTIAE PARTHENICES Diuæ Margaritæ, Agon.

AD ILLVSTRISSIMAM ISAbellam Mantuæ Marchioniſſam.

ARGVMENTVM IODOCI BADII Aſcenſij in Diuæ Margaritæ Agonem.

DIuę Margaritę agonem cantaturus poëta ab admiratione quadã vtili auſpicatur, admiratur enim tantam virtutem puellis & ætate & ſexu fragilibus datam, vt Deos veteres olim religioſiſsimè cultos exegerint. Cuius cauſam docet Spiritus ſancti poſt aduentũ Chriſti in corda credentium immiſ-

ſionem. Deinde pollicetur ſe treis virgines, Margaritam, Agathen, & Luciam deſcribere, quibus tamen & quartam additurus eſt, Apolloniam. Incipiens autem docet parentes Diuæ Margaritæ Antiochiæ originem traxiſſe, ab Antiocho illo magno qui vrbem cùm prius Reblata dicerentur, à ſe Antiochiam denominauit. Qui cùm puellæ recens natæ nutricem diſquirerent, nulla eſt (Deo id procurante) in tota vrbe inuenta quę eſſet officio illi ſatis viſa idonea: verùm rure accita mulier honeſta forma & probatis moribus, & à parentibus ſuis, quod illos latebat, in fide Chriſtiana fideliter inſtituta: (licet enim Antiochiæ Petrus primam ſedem, & fideles primam Chriſtiani nominis appellationem habuerint, tamen ſæuiente perſecutione, fides duntaxat in agro permanſit.) Ea ergò ſedulò nutritam, vt primum per ætatem potuit, Chriſtianis ſacris initiauit atq; informauit, vnde ad ſacra Iouis à parentibus vocata, pridie cùm in cubiculum iret priuſquam ſe reclinet, matre obſeruante quidnam ageret, ſe ſigno crucis & tacitis precibus muniuit. Deprenſam autem Chriſtianã,

cùm mater neq; precibus neq; minis auertere valeret, ad patrem detulit, qui furibundus vtramq; tam nutricem quàm alumnam in agros faceſſere coëgit. Vbi diua virgo cum nutrice parcè ac duriter viuens, pecusq; illius cuſtodiens, adoleuit, donec, ſeu caſu, ſeu (vt poëta aſſerit) veterum Deorum, Veneris præcipuè, & Mercurij fraude, ab Olymbrio præfecto vrbis, illac venatum profecto viſa atq; admirata (erat enim egregia forma & honore venerabili prædita) percunctataq; quænã eſſet, & cur in agro viueret, reſpondit ab Antiocho ortam, & ſacris Chriſtianis initiatam, & à patre ob id exactam. Tum ille & forma & lepore eius captus in vrbem trahi iuſsit, vt à fide auerſam ſtupret. Verùm à coniuge illius pellicem rata pudicitia ipſius cuſtodita eſt. Cùm autem inſaniens præfectus à conſtantia dimouere minis nequiret, pollicetur reiecta priore coniuge ſe illam ducturum, quam conditionem cùm virgo deteſtaretur, iuſsit virgis immaniter cæſam, in carcerem teterrimum detrudi, vbi ab angelis curata, ſed à Venere aut alio dæmonio in forma draconis abſorpta

viua,

viua, cùm ſe ſolito crucis ſignaculo muniuiſſet per mediam crepantis aluum incolumis emerſit, moxq́; à Proteo ſeu alio dæmonio nequicquam illuſa, formoſior quam fuerat præfecto ſiſtitur. Qui ne fides augeatur capitalem in illam pronunciauit ſententiam, qua accepta precibusq́; à Deo approbatis triumphanter in cœlos introducta eſt.

QVis nouus iſte furor veteres qui turbine tanto
Expellit (res mira) Deos, potuitq́; puellas
In ſuperos armare? quibus regna omnia, & ipſum
Auguſtum Romæ imperium, quo nulla poteſtas
Sub Ioue maior erat, capita incuruare ſolebant?
Quæ vis tanta? Vnde hæc animis audacia noſtris
Vt mutent impune Deos? Si fortè Gigantes
(Vt perhibent) voluere Iouem detrudere Olympo
Res aliena minus, fretos quia robore & armis
Grandibus, ac membris immanibus, alta Deorum
Tecta polo ſperare minor dementia certè.
At tener hic ſexus natura imbellis & vſu,
Quæ ſperare vnquam de relligione triumphum
Debuit antiqua? non Palladis ægide fultum
Pectus erat tenerum, Siculæ nec in ignibus Aethnæ

Pronus

Pronus in incudem feriendo armauerat illas
Mulciber, vt ſtarent Iouis ignea fulmina contra.
Tanti operis grauitas & magnificentia cauſam
Arguit ingentem, nec in his mortalibus author
Eſſe poteſt, qui molem iſtam vectauerit oris.
Si regno expulſi, fuit vlla potentia diuis
Maior, vt inuitos ſolio exturbaret ab alto.
Illa potens igitur quæ condidit omnia virtus,
Viſa diu mortale genus contemnere, ſeu quod
Id ſcelus exigeret noſtrum, ſeu legibus vllis
Quæ ignorantur adhuc, ſic ire iubentibus orbem.
Poſtquam ſera dies ſæclis labentibus ætas
Intulit extremos, tacitiſq; abſcondita fatis
Tempora, diſrupit diuina potentia cœlos,
Et pluit in terras ignem atq; incendia nullis
Inſpicienda oculis mortalibus, intima tantum
Vis ea corda mouens, homines accendit, & vmbram
Caligantem abigens menti lucem influit almam,
Sic afflatæ auris animæ cœleſtibus audent
Fortibus ire animis contra mala numina, diſcunt
In terris optare nihil, ſed Olympica ſolum
Regna Deum, ſuperos, ac faſtidire caducum
Corpus, & æternis meditando aſſueſcere rebus.
Hæc ea quæ negat ara Deos, quæ ſaxea virtus
Numina contemnit, quæ tot ſimulacra per orbem
Terrarum & veteres ſpreto Ioue ſuſtulit aras.
Hoc aliæ plures quarum certamina longis
Texta voluminibus, ſanctæ docuere puellæ.

Tres

Tres mihi(ſi votis magni regnator Olympi
Fauerit, & menti diuinum infuderit imbrem)
Carmen erunt. Tu ſancta Syro dominata draconi
Margaris, & teneras Agathe lacerata mamillas.
Tuq; Syracuſiam decorans Aretuſias vrbem
Lucia, virginitas eadem tribus, vna puellis
Forma, recens ætas, nec dum benè nubile tempus.

FAma eſt Aſſyriam, pecudum frugumq; feracem,
Nobilium altricem, latè regnaſſe per omnes
Finitimas gentes. Illic Babylonia quondam
Bellipotens, hominumq; parens antiqua Damaſcus,
Arboream ſurgens Parthos attingit Araxem
Armeniosq; petit, Cilices deſcendit ad agros,
Alluiturq; mari, quod nominat inſula quondam
Sacra Dioneæ Veneri, Nilotica regna
Thuriferosq; Arabes & Perſica terminat arua.
Vrbs illic vbi terra cauis eſt humida campis
Reblata, quam magnus ſtrueret dum mœnia, & altis
Latius ambitam muris, extenderet vrbem
Antiochus, dixiſſe ſuo de nomine fertur.
Hic dum ſtaret adhuc veterum vana illa Deorum
Rellgio, claris virgo natalibus orta
Margaris, ingreſſa eſt primæ incunabula vitæ.
Cùm quæſita diu totamq; inuenta per vrbem
Nulla foret, curante Deo, data ruſtica nutrix
Docta Deum, crines abluta fidelibus vndis.
Vt completa ſonum vocalibus organa plectris
Flectere cœperunt, potuitq; infantia fari,

Sancta,

Sancta, Deum & ſacros ritus, ac ſigna puellam
Myſtica ſacrorum diuinaq; nomina, nutrix
Clàm docuit, falſa ne relligione parentes
Impliciti, velut intorto qui ſplendet in aſtris
Angue vir, opprimerent conceptam pectore lucem.
Lacteus vt tenerum liquor inſtillatus in ora
Corpus alit, ſic innocuas infuſa per aures
Sancta fides animum, duplex alimonia totam
Auget, & extendit teneros æqualiter artus.
Dij quibus ingenium ſolers auidumq; nocendi
Semper, & inuidiæ ſtimulis agitantibus ardens,
In primis Athlante ſatus, Venus atq; Cupido,
Ingemuêre, vident atrox ſibi ſurgere bellum,
Inſtare inſidias, tempeſtatemq; moueri.
Tum Venus, ô germane, Iouis ſate ſanguine magni,
Perſea qui armaſti contra Phorcynidos ora,
Qui centum vigilantem oculis interficis Argum.
Aſpicis exiguo quantum ſub pectore nobis
Dedecus exurgat, regnis contraria noſtris
Factio, qua ſenſim nos fraudum indagine claudit?
Nonne tibi tantam hanc terris excludere peſtem
Eſt animus, diuûm interpres? Enitere toto
Ingenio, quo tanta potes, germane, precatur
Te ſoror, atq; Iouis domus, & genus omne Deorum.
Sic Venus, & contra Maiæ ſic filius orſus,
Quod germana rogas magna illa potentia noſtris
Fortior ingenijs fieri vetat, antè notaui
Quæ memoras, & nulla via eſt inuenta nocendi.

Seruitijs emitur mors obſcuriſſima longis.
Rumpitur inflatum pectus, mentiſq́ superbæ,
Nec frenare poteſt nec diſſimulare furorem,
Cæſar, in extremis ardet iam faucibus ira
Non aliter quàm cùm ſicco ſub fomite dormit
Ignis & afflatu crebro excandeſcit & aura
Exilit, & tremulæ rutilant per nubila flammæ.
Ferte citi procul hinc hominem, date vincula clamat.
Cumq́ ſuo totam domino iugulate cohortem,
Quæ ducis infecti traxit contagia. finem
Sacrilegis dabit iſta dies. Per numina iuro,
Per Iouis æternum imperium fulmenq́ triſulcum,
Ibitis ad lethen, ſtygiaſq́ videbitis vndas.
Dux & tota cohors miſſis ad colla catenis,
(O funeſta dies, ô lamentabile tempus,
O furor, ô rabies, ô deteſtabile virus,
O dolor, ô regum impietas, ô mortua virtus)
Ducitur, & longa properant ad funera pompa.
Ventum erat ad littus, cùm dux fortiſſimus ægros
Alloquitur comites, turbataq́ pectora firmat.
O ſocij, mecum terræ pelagiq́ labores
Experti toties, longæq́ pericula paſſi
Militiæ, quid vos terret præſentia mortis?
Quæ celeri curſu Zephyrum, volucremq́ ſagittam
Vincit? vbi fortes animi generoſaq́ virtus?
Cordaq́ ad horrendos nunquam perterrita caſus?
Ponite triſtitiam, rectos attollite vultus.
Cernite perpetuo fulgentem lumine mundum,

Aethereaſq; domos, animis ea patria noſtris.
Ecquid fœminea pauidæ formidine frontes
Deſpiciunt terras? hodie veniemus in aſtra.
Sic ait; & Chriſto ſacrum Pæana canentes,
Accipiunt altos pronis ceruicibus enſes.
O mors dura, virûm vita præſtantior olim
Noxia cùm rapidæ purgarint ſæcula flammæ
Membra, memor veſtri Deus, immortalia reddet,
Interea gaudete bonis cœleſtibus, inter
Spirituum cœtus alacres, & ſancta precati
Numina, terrigenis Chriſti implorate fauorem.
Pectora trunca iacent, fuſoq; rubeſcit arena
Sanguine, mactata eſt duplex Hecatumba Tonanti.
Cum duce bis centum comites in littore cæſos
Chriſtigenæ effoßis, mœſti impoſuere, ſepulcris:
Et iam prona dies nocti cedebat & vmbris,
Occiduo radians excelſam lumine Calpen.
Cùm furijs Cæſar longis iam feſſus & ira
Sic ſecum. Quæ tanta iſtis conſtantia? quodnam
Robur ineſt animis tantum? quæ pectora virtus
Inconcuſſa regit? quæ ſpes? quæ præmia tanti?
Morte quid expectant obita? neq; credere dignum eſt
Sanctius his numen, quorum reſpublica pauper,
Quàm noſtris qui regna tenent telluris & vndæ.
Illam ego numinibus gentem melioribus vti
Crediderim, cuius terrena potentia maior.
Nam ſi regna Dei arbitrio terrena gubernant
Diſtribuuntq; ſuo, qui dant maiora putandi

Maiores,Libyam Iuno,regna Attica Pallas,
Iliacam Phœbus,Tarpeiam Iuppiter arcem
Conſtituit,regnum regno,ceu numine numen,
Maius erat,ſed Chriſtigenis nec regna nec vrbes.
At fuerit ſatius tantos ſedare tumultus
Vnius interitu,vel ſi mutabitur,eius
Connubio,tantumq́; decus ſeruare iugali
Fœdere,& has tandem curas extinguere tædis.
Saturni iam bruma dies & læta reducit
Tempora,quæ nobis patrio celeberrima ritu
Iucundos hyberna ſales & xenia poſcunt,
Ocia nocturnæ poſcunt conuiuia menſæ.
Expediam,triſtis ne ſe inter gaudia luctus
Ingerat,interea placidas mihi Iuppiter vndas
Aequoris,& curſus dabit ad mea regna ſecundos.
His dictis placet, accito lictore, puellam
Duci iterum è tenebris,iterum tentare loquendo,
Virgineumq́ nouis pedicis captare pudorem.
Quam ſimul ac vidit ſic eſt aggreſſus.Amyclas
Troius aſſultu ſubito expugnauit adulter.
At tua terdenis nondum eſt mollita diebus
Duricies.Ponti glacies Hircanaq; tandem
Frigora & arctoæ vincuntur ſole pruinæ.
Tu Getico ſopita gelu, vel Gorgone viſa
In ſilicem durata,nequis manſueſcere,quercus
Orpheus,Amphion lapides, delphinas Arion
Mouit,& Orphæos ſenſerunt tartara cantus.
Tu niue frigidior,tibi ferrea corda,ſepulti

Vſq; adeò tibi ſunt ſenſus hebetataq; mentis
Lumina, vt albenti videare ſimillima ſaxo
Coniugis Aſſyriæ, verſo quæ in marmora vultu
Fluxit & ardentem ſpectat fugitiua Gomorram.
Heu quianam contra genium moremq; iuuentæ
Molliciemq; tui ſexus, generiſq; ſuperbi,
Stemma, ſupercilio ſpernis regalia toruo
Imperia, ah demens, tu blandimenta, minaſq;
Deſpicis, & ſurda perſtas immobilis aure.
Tu populo ſpolias vrbem, tu coniuge regem
Militibuſq; ducem, duce Cyrenenſia regna.
Et miſeremur adhuc, & te ſeruare parati
Mitibus alloquimur verbis. Genus aſpice quantum
Romanum pietate valet, miteſce parumper.
Si ſeruire pudet, mecum regnabis, habeto
Coniugis extinctæ thalamos. Romana videbis
Mœnia, & incedes Latiam regina per vrbem,
Quod tua gentilis quondam Cleopatra tumultu
Ambijt Actiaco, tu Cæſare digna marito,
Accipe, largimur ſine bello & ſanguine regnum.
Sic ait, & cæco languet Maxentius igne.
Illa, velut dorſum medijs in fluctibus ingens
Vapulat aßiduis & nunquam vincitur vndis,
Deſine plura, nefas iterum me nubere, dixit,
Nupſimus, inſerto nuptam manus indicat auro.
Et mihi nunc alacres nitidis conuiuia menſis
Virq; ſocerq; parant, hodie ſubitura mariti
Limen, & è tenebris claros aditura penates.

Nec ſum dura, fidem ſeruo. Tu ſanguine gaudes
Non ego, tu tanti ſceleris durißimus auctor.
Hæc vbi dicta, videns atrox immota tyrannus
Pectora, nec precibus flecti, nec verbere frangi,
Spe Veneris poſita iubet à lictore necandam
Necropolim duci. Pullo velata cucullo
Atq; capiſtratis manibus de carceris antro,
Truditur ambigua faciente crepuſcula nocte.
Aemonius Chiron media iam parte ſub vmbras
Iuerat, & Ledæ funeſtam pignora noctem
Aëre voluebant piceo, niger Heſperus ore
Pallidulo triſti per cœlum aſcendere vultu
Viſus, ab aſpectu ſceleris noua luna nephandi
Cornua ſubſtraxit, nubes teterrima clauſit
Aethereos ignes & conſcia ſydera morti.
Auditæ Halcyones grauibus lamenta querelis
Spargere per littus, mœſtoſq; ad funera cantus,
Edere, & æquoreæ volucres dare flebile carmen.
Eſt locus ad Boream pelagi porrectus ad vndas,
Denſa vbi ſilueſtrem faciunt ſpineta receſſum.
Areaq; in medio, crebris ibi terra ſepulcris
Surgit, & in tumulos foſſæ cumulantur arenæ,
Sacra cadaueribus tellus, Polyandrion Hellas
Voce vocat patria, nudis paßim oßibus albet,
Vrticis vmbroſus ager, grauibuſq; cicutis
Et nigris ebuli baccis & olente Sabuco.
Campus iners & ſepiuagis domus apta colubris.
Hos ingreſſa locos durus dum brachia lictor

Expedit

Expedit inuertens manicas, dumq́; explicat enſem
Sanguineum, virgo cœlum ſuſpexit & ignes
Aethereos, taliq́; Deum ſermone precata eſt.
O pater, exiguas tanto pro munere grates
Soluimus, ingentes autem debere fatemur.
Tu grauibus preſſam tenebris in clara vocaſti
Lumina, tu manes, tu das ſuperare tyrannum,
Et modò tam vario functam diſcrimine, tandem
Ad palmam regnumq́; vocas. Da numine dextro
Egreſſus animo faciles, redituſq́; ſecundos,
In patriam cœliq́; domos hanc accipe mentem,
Et prolem neſperne tuam de fauce reuulſam
Ditis, & oranti famulæ tua limina pande.
Et ſi quando memor quiſquam certaminis huius
Implorabit opem, pater exorabilis eſto.
Finierat, ſubitò cùm vox audita per auras,
Annuimus, ſecura veni. Tum poplite flexo
Et crucis explicita per pectus imagine, lictor
Verberat orantem gladio. Pro cæde cruenta
Lac niueum fluxit, tellus incanduit albo
Sanguine, lingua Deum neruis deluſa reciſis
Perſonat, & moriens verba imperfecta relinquit.
Cæſa ſolo iacet atq́; in cœlum vita receßit.
Affuit extemplò ſuperûm de ſedibus agmen
Spirituum duplex, vnum quod corpore nudam
Suſcipiat mentem, dulciq́; ad ſydera cantu
Transferat, exanimes aliud quod tolleret artus.
Inſolita noua luce dies in nocte refulſit,

Atq; repentinum ſubito cum lumine fulgur
Emicuit, ceu cùm frangit caua nubila fulmen
Cùm grauis ardentem ſuccendit Iulius æſtum.
Euolat attonitus lictor, trepidiq; miniſtri
Corripuere fugam, toto ſymphonia cœlo
Spargitur, & mixta vocum dulcedine carmen
Aſtra petit, ſenſimq; abiens diſcedit ab aure.
Viſaq; per cœli tractus aſcendere nubes
Lucida, perſimilis ſoli, lucentior aſtro
Luciferi, & claro rutilantem lumine caudam
Ducere, & ignifero ferri vltra ſydera curſu.
Et caput inſertare polo. Patuere Tonantis
Atria, curuatus læto Pater obuia vultu
Brachia diffundens reduci dedit oſcula natæ.
Et triplici claram radiauit ſydere frontem.
Altera ſpirituum legio collegit ab hortis
Balſama Iudæis, aloes, myrrhæq; liquorem,
Ablutoſq; vadis artus & odoribus vnctos,
Aëreum per iter rubri trans æquora ponti,
In montes Arabum ſummæq; cacumina Sinæ
Tranſtulit, & corpus Pario clauſere ſepulcro,
Quod ſuperum fecere manus. Opobalſama ſemper
Marmor odoratum ſudat, quibus ægra iuuantur
Corpora, difficiles iſto ceromate morbos
Indigenæ pellunt, ſacros Alabaſtra liquores
Atq; ſalutares lachrymas, oleiq; fluentis
Accipiunt guttas. Membris honor iſte ſepultis.

BAPTI-

BAPTISTAE MANTVANI CARMELITAE THEOLOGI TERTIAE PARTHENICES

Diuæ Margaritæ, Agon.

AD ILLVSTRISSIMAM ISAbellam Mantuæ Marchioniſſam.

ARGVMENTVM IODOCI BADII Aſcenſij in Diuæ Margaritæ Agonem.

Diuę Margaritę agonem cantaturus poëta ab admiratione quadā vtili auſpicatur, admiratur enim tantam virtutem puellis & ætate & ſexu fragilibus datam, vt Deos veteres olim religioſiſsimè cultos exegerint. Cuius cauſam docet Spiritus ſancti poſt aduentū Chriſti in corda credentium immiſ-

ſionem. Deinde pollicetur ſe treis virgines, Margaritam, Agathen, & Luciam deſcribere, quibus tamen & quartam additurus eſt, Apolloniam. Incipiens autem docet parentes Diuæ Margaritæ Antiochiæ originem traxiſſe, ab Antiocho illo magno qui vrbem cùm prius Reblata dicerentur, à ſe Antiochiam denominauit. Qui cùm puellæ recens natæ nutricem diſquirerent, nulla eſt (Deo id procurante) in tota vrbe inuenta quę eſſet officio illi ſatis viſa idonea: verùm rure accita mulier honeſta forma & probâtis moribus, & à parentibus ſuis, quod illos latebat, in fide Chriſtiana fideliter inſtituta: (licet enim Antiochiæ Petrus primam ſedem, & fideles primam Chriſtiani nominis appellationem habuerint, tamen ſæuiente perſecutione, fides duntaxat in agro permanſit.) Ea ergò ſedulò nutritam, vt primum per ætatem potuit, Chriſtianis ſacris initiauit atq; informauit, vnde ad ſacra Iouis à parentibus vocata, pridie cùm in cubiculum iret priuſquàm ſe reclinet, matre obſeruante quidnam ageret, ſe ſigno crucis & tacitis precibus muniuit. Deprenſam autem Chriſtianā,

cùm

cùm materneq; precibus neq; minis auertere valeret, ad patrem detulit, qui furibundus vtramq; tam nutricem quàm alumnam in agros faceſſere coëgit. Vbi diua virgo cum nutrice parcè ac duriter viuens, pecusq; illius cuſtodiens, adoleuit, donec, ſeu caſu, ſeu (vt poëta aſſerit) veterum Deorum, Veneris præcipuè, & Mercurij fraudè, ab Olymbrio præfecto vrbis, illac venatum profecto viſa atq; admirata (erat enim egregia forma & honore venerabili prædita) percunctataq; quænā eſſet, & cur in agro viueret, reſpondit ab Antiocho ortam, & ſacris Chriſtianis initiatam, & à patre ob id exactam. Tum ille & forma & lepore eius captus in vrbem trahi iuſsit, vt à fide auerſam ſtupret. Verùm à coniuge illius pellicem rata pudicitia ipſius cuſtodita eſt. Cùm autem inſaniens præfectus à conſtantia dimouere minis nequiret, pollicetur reiecta priore coniuge ſe illam ducturum, quam conditionem cùm virgo deteſtaretur, iuſsit virgis immaniter cæſam, in carcerem teterrimum detrudi, vbi ab angelis curata, ſed à Venere aut alio dæmonio in forma draconis abſorpta viua,

viua, cùm ſe ſolito crucis ſignaculo muniuiſſet per mediam crepantis aluum incolumis emerſit, moxq́; à Proteo ſeu alio dæmonio nequicquam illuſa, formoſior quam fuerat præfecto ſiſtitur. Qui ne fides augeatur capitalem in illam pronunciauit ſententiam, qua accepta precibusq́; à Deo approbatis triumphanter in cœlos introducta eſt.

QVis nouus iſte furor veteres qui turbine tanto
Expellit (res mira) Deos, potuitq́; puellas
In ſuperos armare? quibus regna omnia, & ipſum
Auguſtum Romæ imperium, quo nulla poteſtas
Sub Ioue maior erat, capita incuruare ſolebant?
Quæ vis tanta? Vnde hæc animis audacia noſtris
Vt mutent impune Deos? Si fortè Gigantes
(Vt perhibent) voluere Iouem detrudere Olympo
Res aliena minus, fretos quia robore & armis
Grandibus, ac membris immanibus, alta Deorum
Tecta polo ſperare minor dementia certè.
At tener hic ſexus natura imbellis & vſu,
Qua ſperare vnquam de relligione triumphum
Debuit antiquæ? non Palladis ægide fultum
Pectus erat tenerum, Siculæ nec in ignibus Aethnæ

Pronus

Pronus in incudem feriendo armauerat illas
Mulciber, vt ſtarent Iouis ignea fulmina contra.
Tanti operis grauitas & magnificentia cauſam
Arguit ingentem, nec in his mortalibus author
Eſſe poteſt, qui molem iſtam vectauerit oris.
Si regno expulſi, fuit vlla potentia diuis
Maior, vt inuitos ſolio exturbaret ab alto.
Illa potens igitur quæ condidit omnia virtus,
Viſa diu mortale genus contemnere, ſeu quod
Id ſcelus exigeret noſtrum, ſeu legibus vllis
Quæ ignorantur adhuc, ſic ire iubentibus orbem.
Poſtquam ſera dies ſæclis labentibus ætas
Intulit extremos, tacitisq́; abſcondita fatis
Tempora, diſrupit diuina potentia cælos,
Et pluit in terras ignem atq; incendia nullis
Inſpicienda oculis mortalibus, intima tantum
Vis ea corda mouens, homines accendit, & vmbram
Caligantem abigens menti lucem influit almam,
Sic afflatæ auris animæ cæleſtibus audent
Fortibus ire animis contra mala numina, diſcunt
In terris optare nihil, ſed Olympica ſolum
Regna Deum, ſuperos, ac faſtidire caducum
Corpus, & æternis meditando aſſueſcere rebus.
Hæc ea quæ negat ara Deos, quæ ſaxea virtus
Numina contemnit, quæ tot ſimulacra per orbem
Terrarum & veteres ſpreto Ioue ſuſtulit aras.
Hoc aliæ plures quarum certamina longis
Texta voluminibus, ſanctæ docuere puellæ.

Tres

Tres mihi(ſi votis magni regnator Olympi
Fauerit,& menti diuinum infuderit imbrem)
Carmen erunt.Tu ſancta Syro dominata draconi
Margaris,& teneras Agathe lacerata mamillas.
Tuq́; Syracuſiam decorans Aretuſias vrbem
Lucia,virginitas eadem tribus,vna puellis
Forma,recens ætas,nec dum bené nubile tempus.

FAma eſt Aſſyriam,pecudum frugumq́,feracem,
Nobilium altricem,laté regnaſſe per omnes
Finitimas gentes.Illic Babylonia quondam
Bellipotens,hominumq́; parens antiqua Damaſcus,
Arboream ſurgens Parthos attingit Araxem
Armeniosq́; petit,Cilices deſcendit ad agros,
Alluiturq́ mari,quod nominat inſula quondam
Sacra Dioneæ Veneri,Nilotica regna
Thuriferosq́; Arabes & Perſica terminat arua.
Vrbs illic vbi terra cauis eſt humida campis
Reblata,quam magnus ſtrueret dum mœnia,& altis
Latius ambitam muris,extenderet vrbem
Antiochus,dixiſſe ſuo de nomine fertur.
Hic dum ſtaret adhuc veterum vana illa Deorum
Religio,claris virgo natalibus orta
Margaris,ingreſſa eſt primæ incunabula vitæ.
Cúm quæſita diu totamq́; inuenta per vrbem
Nulla foret,curante Deo,data ruſtica nutrix
Docta Deum,crines abluta fidelibus vndis.
Vt completa ſonum vocalibus organa plectris
Flectere cœperunt,potuitq́ infantia fari,

Sancta,

Sancta, Deum & ſacros ritus, ac ſigna puellam
Myſtica ſacrorum diuinaq; nomina, nutrix
Clàm docuit, falſa ne relligione parentes
Impliciti, velut intorto qui ſplendet in aſtris
Angue vir, opprimerent conceptam pectore lucem.
Lacteus vt tenerum liquor inſtillatus in ora
Corpus alit, ſic innocuas infuſa per aures
Sancta fides animum, duplex alimonia totam
Auget, & extendit teneros æqualiter artus.
Dij quibus ingenium ſolers auidumq; nocendi
Semper, & inuidiæ ſtimulis agitantibus ardens,
In primis Athlante ſatus, Venus atq; Cupido,
Ingemuêre, vident atrox ſibi ſurgere bellum,
Inſtare inſidias, tempeſtatemq; moueri.
Tum Venus, ô germane, Iouis ſate ſanguine magni,
Perſea qui armaſti contra Phorcynidos ora,
Qui centum vigilantem oculis interficis Argum.
Aſpicis exiguo quantum ſub pectore nobis
Dedecus exurgat, regnis contraria noſtris
Factio, qua ſenſim nos fraudum indagine claudit?
Nonne tibi tantam hanc terris excludere peſtem
Eſt animus, diuûm interpres? Enitere toto
Ingenio, quo tanta potes, germane, precatur
Te ſoror, atq; Iouis domus, & genus omne Deorum.
Sic Venus, & contra Maiæ ſic filius orſus,
Quod germana rogas magna illa potentia noſtris
Fortior ingenijs fieri vetat, antè notaui
Quæ memoras, & nulla via eſt inuenta nocendi.

Sed tu diua ſoror fas hoc tibi, virginis ora
Fac formoſa, oculis infunde Cupidinis ignem,
Et flammis accende genas, candore tumentem
Pinge ſinum, menſura omnes ſua corrigat artus.
Sic dederis graue & acre malum, mortalibus atrox
Supplicium, nulla eſt homini (tuq́ optima teſtis
O germana) lues mulieris imagine maior.
Omnipotens (meminiſſe potes) cùm bellua factus
Iuppiter, Europam tergo tulit, ignea quando
In medijs Neptunus aquis incendia ſenſit.
Cùm rapta eſt Spartana nurus, cùm lumine captus
Iſte puer vicit qui reſpicit omnia Phœbum.
Tanta hæc fœmineæ fecerunt omnia formæ.
Sic ait, inuenta riſit dea Cypria fraude,
Artificesq́ manus teneris doctiſſima formam
Applicuit membris, ſeſeq́ imitata ſuperbum
Finxit opus gaudens, & eris mea dixit imago
Nobilior Coo, Cnidio magis inclyta ſigno.
Tempus erat quo ſacra Ioui celebranda monebant
Faſtorum annales, victos cùm terra Gigantes
Vlta tulit verbis læſuram numina Famam.
Dum cum prole domum parat accerſita reuerti
Serta ligat nutrix, riguo decerpit ab horto
Quicquid olet, ſerpilla, roſas, caſiamq́, thymumq́,
Abrotani, mentæq́ nemus, pictu rat alumnam
Floribus, os nardum ſpirat, ſinus halat amomum, (bit
Pinnat vtrinq́ humeros Amaranthus, Amaracus am-
Brachia, & alba rubro talos tegit inſtita limbo.

Mater vt in reducem conuertit lumina natam
Admirata decus leuat,& premit oribus ora,
Oſculaq; ingeminans oculos,frontemq;,genasq;
Lambit,& admorſa in facie nota manſit amoris.
Sero vbi ſtellatam fecerunt ſydera noctem,
Læta eſt in thalamos lecto accubitura parentum.
Iamq; initura thorum dextram leuat,oraq; primum,
Pectora mox,humeros demum cum murmure paruo
Ter premit,erectos tollens ad ſydera vultus.
Contemplata parens exangui expalluit ore,
Non aliter quàm qui ignorans offenderit anguem.
Nutricemq; vocans,heu quiſnam ritibus iſtis
Sacrilegis natam inſtituit? vidi impia vidi
Signa figurantem dextra,tacitisq; loquentem
Neſcio quid magicum labris,tune iſtius ergò
Cauſa doli? perdisq; genus temeraria noſtrum?
Illa mei dixit ſic me inſtituere parentes
A teneris,& in hac ego relligione adoleui
Hactenus. At genitrix acceptum corde dolorem
Diſſimulans vbi ſole dies noua claruit orto
Ad ſacrum cum prole mouet veſtigia,& alta
Templa ſubit,lucent rapidis altaria flammis,
Quas circum mugire boues,clamare miniſtros
Ante Iouis ſimulacra videns,ſcelus enthea virgo
Horruit,& ritus eſt execrata nefandos.
Ora notans genitrix videt obtenebraſcere frontem,
Et pallere genas,& faſtidire puellam.
Poſt epulas igitur vocat in conclauia ſolam,

Et ſuadere Iouem & genus inſpirare Deorum
Nititur hæc memorans.Ego te,mea nata,vocaui
Vt doceare Deos,ignotaq; numina ruri.
Rura ſciunt curare greges,imponere plauſtra
Bobus,& attrito terram proſcindere aratro.
Vrbs leges,vrbs docta Deos & ſacra Deorum
Imperat agricolis,atq; omnia temperat arua.
Accipe nunc igitur,quæ te,mea nata,docebo.
Dij fecere orbem,terras,mare,& aëra & aſtra,
Nos quoq;,& omne genus pecudum,genus oē animantũ
Ipſi habitant cœlos,ipſi labentia torquent
Sydera,& ex alto nobis mortalibus orbe
Omnia diſpenſant,fruges oriuntur ab ipſis.
Naſcimur arbitrio ſuperûm,morimurq;,nec vlli
Fas ſperare hominum quicquam ſine numine diuûm.
Iuppiter omnipotens cui manè litauimus,ipſe
Eſt Deus atq; Deûm genitor,quæ præſidet aſtris
Luna Iouis proles,proles Iouis altior illa
Mercurius,Venus eſt proles Iouis,ipſe dierum
Sol pater & Mauors illi conterminus orti
Ab Ioue,& artificum Pallas dea vertice ſacro
Nata Iouis.Iouis Alcides eſt inclyta proles,
Et duo Tyndaridæ,quibus inter ſydera tantus
Splendor,& antiquo veniens ab Agenore Bacchus.
Iuno Iouis coniunx,ipſa eſt dea maxima.Pluto
Frater,& alma Ceres ſoror,& regnator aquarum
Frater,& hos omnes qui protulit aurea quondam
Sæcula Saturnus genuit,rerumq; potentes

Fecit,

Fecit, & æthereis totum genus intulit aſtris.
Sunt alij innumeri, quibus vt mortalibus adſint,
Mortales ſua templa locant, ſua ſacra quotannis
Ritè ferunt, hi ſunt quos eſt venerata parentum
Relligio, poſtquam ſoli via facta per aſtra.
Hactenus, hos veniens ætas venerabitur vſq;
Quò telluris onus circumdabit Amphitrite.
Nam diuum immortale genus, vice mobile nulla.
Sunt loca ſub terris quibus eſt graue tartara nomen
In quibus antè alios auſi contemnere cœlum
Perpetuis ardent cæco ſub carcere flammis.
Eſt locus, Elyſium dicunt, ſub ſydere Lunæ
Vt perhibent, vbi certa pijs ſine fine voluptas.
Hæc igitur mea nata tuæ mandata parentis
Conde animo, & diuum genus obſeruare memento;
Sic genitrix, aliter virgo perſuaſa docentem
Riſit, & ore parum moto contemnere viſa eſt.
Propterea mater triſtem recitare marito
Virginis euentum pergit. Pater ocyus enſem
Corripit, & furijs actus iugulare puellam,
Nutricemq; parat, letali inceſſerat igne
Corda viri Alecto, torui fremit Herculis inſtar
Cùm natos ratus eſſe feras ſua pignora dextra
Suſtulit hoſtili, coniunx clamore ſuiq;
Corporis obiectu prohibet, tum tota repentè
Mota domus vetuere nefas. Cum virgine nutrix
Aedibus acta ſuos petijt moribunda penates.
Propterea ignotam, ruri ſtatuere, parenti

Degere, & in campis vitam deducere agreſtem.
Ipſa ergò nutricis oues in paſcua ducens
A paſtore hominum Chriſto dilecta trahebat
Penſa manu, terramq́; habitans viuebat Olympo.
Sæpè boni quibus eſt hominum cuſtodia diui
Et ſuus ipſe oculis ſe ſubiecere videndos,
Et longas traxere moras cum virgine in agris.
Virgineus diuos pudor allicit, æmula nanq;
Virginitas cœlo, diuis cognata, reſiſtit
Senſibus, & viuit cœleſtem in corpore vitam.
Talia perſpiciens curis, Venus, inuida ſanctis
Cùm iam nubilibus pubens adoleſceret annis
Cogitat inſidias, atq́; aſpera bella pudori.
Ruſtica nutricis fingit Iocus ora, ſinumq́;
Vbere turgentem grauido leuat, aſpera multo
Sole cutis, duroq́; manus calloſa labore,
Inſtita laxa caput pannoſo innodat amictu.
Fit pater & poſita blandus feritate cupido;
Non qualis cùm ſæua prius furor arma mouebat,
Paßibus incedit raris, tranquilla ſereno
Temperies animo, facili indulgentia vultu
Spem facit, & raſis fulget toga ſerica villis
Tincta tyri, intorti frons ardua turbine lini,
Ipſa piam dulci mentitur imagine matrem
Læta oculis radians, roſeos tota ignea vultus.
Continuò apparent virides procul ire per agros,
Errantesq́; diu per roſida paſcua tandem
Mollia verſato torquentem vellera buxo,

Paſcentemq́ greges natam inuenere ſub vmbra.
Tum Venus incuruata genis dedit oſcula,& vlnis
Mollibus incluſæ applicuit gremiumq́ ſinumq́.
Continuò illabi ſibi virgo incendia quædam
Suauia & vrentes ſentit præcordia flammas,
Obſcœniſq́ animum curis,ceu nubibus atris
Aura ſolet cùm flante auſtro coit humidus imber,
Inuolui,blandoq́ inuadi ardore medullas.
Per ſenſus quaſi per riuos Venus acre venenum
Influit in mentem,quod ſi malè cauta recepit
Vulnus agit,ſolo diuûm medicabile dextra.
Id metuens afflata Deo corda intima virgo
Excutit,& peſtem prohibet nondum altius hauſtam.
Mens abit ad pœnas Erebi ſine fine manentes,
Morte laborantem Chriſtum videt,aſpicit ora
Afflictata ſiti & crudelem horrentia potum.
Cogitat incumbens & ineuitabile fatum.
Talibus omne ſolet ſanctorum induſtria curis
Declinare nefas,ſenſuſq́ inhibere vagantes.
Tum Venus ô mea progenies dulciſsima ventris
Sarcina,dulce animo pondus,ſuauiſsima cura,
Si fortaſſe patris veterem reminiſceris iram
Et dubitas ne durus,adhuc,depone timorem.
En tuus,en mitis genitor tibi,lumina tolle.
Atq́ agnoſce patrem,cur te rubor antè parentes
Occupat?antè tuam tibi quæ famulamur alumnam?
Sic Venus,ora procax dudum formoſa Cupido
Contemplatus init pluſquam decet oſcula patrem,

Ipſe ſuo calet igne puer, repetitq; puellam,
Ore genas, os ore premens, complectitur omnem,
Inſpiratq; faces, & corripit igne medullas.
Percipit inſidias virgo, mentemq; moueri,
Inflammari animum, gaudet ſimul & dolet, ægram
Dulcibus his curis ſenſumq; inhibere volentem
Aggreditur nutrix, miſſaq; ad pectora dextra
Ecquid alumna, inquit, viſa es trepidare parentes?
Aude animo, tibi nanq; iocos & gaudia portant.
Deſpondere tibi iuuenem florente iuuenta
Conſpicuum, forma inſignem, cui prædia centum
Vberibus glebis, & mille armenta per agros.
O felix virgo ante alias, fruitura marito,
Tot fruitura opibus, tua ſic mirabitur ora,
Oſcula ſic carpet, ſic amplexabitur aluum
Dulcibus hanc natis implebit, & vbera lacte.
Sic tibi blandus erit, vitamq; animumq; vocabit.
Talia proſequitur memorans quæcunq; puellas
Oblectare ſolent, ſegmenta, monilia, inaures,
Interitura breui, fures metuentia ſemper
Blandimenta, leuem bona deluſura iuuentam.
His deprenſa dolis trepidat velut agna luporum
Excepta inſidijs, modò mens, modò ſenſus habenas
Obtinet at tandem, ceu cùm de nubibus ardor
Fulguris erumpit, nitidum iubar ignea virtus
Eliciens tenebras tempeſtatemq; repreßit.
Confeſtim velut ex alto emergentia ſomno
Lumina circumfert, videt emigraſſe figuras.

Et genua incuruans oculis ad ſydera verſis
O ſancti cœlorum animi, quibus omnia (dixit)
Sunt ſubiecta, piæ quanto diſcrimine mentes
Hos habitent artus (non eſt opus indice) noſtis.
Noſtram igitur ſeruate fidem, ſeruate pudorem,
Neu ſinito te animis tantum Iouis arma nocere.
Finierat virgo, cùm ex aëre forma repentè
Gnata ait, hic aderam cùm te Venus atque Cupido
Et Iocus aggreßi longo tenuere duello.
Vt videre operam ſe perdere, Caſpia contra
Littora pergentes ad Phaſidos arua volarunt.
Nanque legunt illic vexare potentia mentes
Gramina, & aëriam tondent ex gramine peſtem
Qua perfuſa labant hominum præcordia, ſed tu
Nunc experta vides molem ſtimulumque veneni.
Tu verò forti eſto animo, victoria poſcit
Hæc cœlo ſibi grande aliquid, ſed gloria maior
Parua triumphato veniet poſt tempora mundo:
Tu fidei factura fidem, domitura tyrannum
Et decus æternum terras habitura per omnes.
Cœlorum viſura domos, vbi rector Olympi
Inter mille choros diuum immortalia partit
Præmia, mortales non admittentia ſenſus.
Tu breue fœlici ſtadium certamine curres,
Tecum ero, nec patiar quicquam crudele videri,
Neglige terreſtrem vitam, morientia in horas
Membra, animæ clauſtrũ immundũ, pondusque moleſtũ,
Excelſo inuictoque animo, mortalia nauci

Omnia pendente, in terris vnde orta, relinque.
Ad cœlos cœleſtem animum ſine læta reuerti.
Sic ait, & tracto diſceßit in aëra vultu.
Luna ter occiderat, totiensq; reuiſerat orbe
Lucida completo, cùm Maia Athlantide natum
Inuentura Venus libani de vertice in omnem
Proſpicit Aſſyriam, leuat ad iuga Taurica viſum,
Armenias verſis legit & Sidonia rura
Luminibus, videt vſq; Paphum, videt vſq; Cythera
Tandem feſſa oculos & faſtidita videndo
Tollitur in ventos & ſe ſuper æquora librat.
Dum feſtinat iter Cretam, fuit obuia caſu
Iuno Samo rediens, cum qua Thaumantias Iris
Dißidiorum author. Tum diua Erycina, dearum
Maxima, cui frater, cui vir dominator Olympi,
Mercurium quæro, cui magna negocia mecum,
Si quibus in terris viſus tibi diua moneto.
Tunc hera Cretæa dum labimur inde, ſub altis
Cum Ioue cupreßis ſpatiantem vidimus Ida.
Vertit eo greſſus, & cum genitore repertum
Talibus alloquitur. Cyllenie tempora perdis,
Chriſtus hic in toto iam paßim pullulat orbe.
Et quantum caput ille leuat, res publica tantum
Noſtra ruit Romam quo pacto amiſimus omnem
Nuper, vt imperium longè Rhodopeia ad arua
Tranſierit, nimium nobis meminiſſe neceſſe eſt.
Sic Venus, interpres diuum, non perdimus inquit
Tempora, num cenſes ea temporo perdita, quando
Immanem

Immanem duraq; ſatum de ſtirpe Tiphœi
Chriſtophorum ſtraui, aut Philemona, Pantaleonta
Dorotheam, theodoram, agapen? cum milia nuper
Occidi ter dena virûm, cùm Gallia vidit,
Rictiouarrano Treueris tot funera ferro?
Sed quid opus noſtro tibi nunc Cytheræa labore,
Poſce operam tibi namq; libens impertiar omnem.
Tunc Venus ô germane potes meminiſſe puellæ
Illius Aſſyriæ, & memini Cyllenius inquit,
Illa ait illa Venus, noſtræ grauis æmula formæ
Creuit, & ad ſedes vacuas aſpirat Olympi,
Impia contemptrix magni Iouis atq; Deorum.
Dedecus hoc abolere paro, tu qui potes harpe,
Qui potes ingenio, fer opem. Noſtra omnia pridem
Arma in eam contrita, nihil profecimus, illa
Nil alios rata poſſe Deos ſine fine ſuperbit.
Nos omnes illi indecores, obſcuraq; turba.
Sic Venus, ille patris nutu talaria plantis
Alligat, & Veneri comes it. Phœnicia cùm iam
Regna ſubintraſſent, Hermes ait ô ſoror ibo,
Præfectumq; vrbis venandi ardore mouebo,
Noſti hominem, noſti ſexum quantum ardet vtrumq;.
Tu vigil obſeruato oculis cùm retia cernes
Atq; canes, tranſi in leporem, damamue fugacem,
Et curſu pete rura quibus pecus illa coëgit.
Cætera ſcis, nec eges alio germana magiſtro.
Sic operas partiti abeunt Cyllenius vrbem
Intrat, & in ſerui formam conuerſus Ariſbæ

Rure reuertentis domino inter prandia denſos
Commemorat ſaltus, vidiſſe armenta ferarum
Ad fluuios potum magnis deſcendere turmis,
Ludere propter aquas, campos tondere virentes
Cum catulis, prædæq; occultum inſpirat amorem,
Ire parat, nam fortè dies erat ille nefaſtus
Quo leges de more ſilent, date retia dixit,
Sternite equos, adhibete canes, venabula ferte.
In virides igitur præfectus Olymbrius agros
Pergit agens ſceleres turmas hominumq; canumq;.
Iam ſaltum propè conſtiterāt, cùm protinus vmbris
In ceruum conuerſa Venus ſe protulit alto
Vertice, cui niueus niueo ſub pectore venter,
Frons ſtellata. Canum cuneos equitumq; videres
Tollere clamorem extemplò, totoſq; per agros
Dilabi, vt quoties vaſto Padus effluit æſtu.
At fera pernici rapitur per deuia curſu
Trans dumeta volans fertur q; per aëra longis
Saltibus, interdum ne deſperare ſequentes
Cogat, iners claudo tardat veſtigia paſſu,
Et tripedem ſimulat, tum ſpes arrecta virorum
Atq; canum vires duplicat, date lora moloßis
Vociferans præfectus ait, date lora, viamq;
Ad nemus oppoſitos confeſtim auferte maniplos.
Fluctuat omnis ager curſu, pars terga ſequuntur
Pars læua dextraq; ruunt & inaniter omnes
Mercurio accingunt animos fallente labori.
Margaris audito longè per rura tumultu

Stat trepidans,& proſpiciens mox vimine longo
Sedula cogit oues.properanſq; ad ouilia tendit
Cum gregibus.Nec adhuc tectis ſucceſſerat,atrox
Cùm præfectus adeſt turma comitatus equeſtri,
Vberius gaudens,etenim per anhela repentè
Ora canum per acuta virûm venabula mittens
Ceruum annoſum alta tollentem cornua fronte
Vmbroſo elicitum ſaltu dea callida prædam
Fecerat,ipſa volans Beliali euaſerat aſtu.
Præteriens igitur faciem ſub ruſtico amictu
Vidit Amyclæam,ciliiſq; ardentia nigris
Lumina,neglectæq; decus mirabile formæ.
Vidit,& exarſit,nec fert incendia,virgo
Pectore proripitur pauido,greſſuq; citato,
Antè gregem,fugit ora virûm,fugit impia corda
Ipſe libidinibus totam ſine lege fruendis
Curam adhibens,mora nulla,domos temerarius intrat
Aſcitamq; iſta compellat voce puellam.
Fare genus nomenq;.ſimul cur ruſtica tecta
Iſta colas,quoniam vrbanæ tibi forma puellæ?
Illa autem ſic orſa loqui nil territa. Dicor
Margaris,antiqua mihi ſunt ab ſtirpe parentes
Antiochi,patriæ fecit qui nomina noſtræ.
Relligio mihi Chriſtus,adhuc dum lactea paſco
Vbera,natales maculas in flumine laui.
Et genus & nomen laudamus,Olymbrius inquit,
Vtpote quæ tanta digna indole,cætera contra
Cæſareas leges opus eſt plecti atq; aboleri.

At

At quoniam ſimplex rerumque ignara iuuentus,
Errores facilè in varios prolabitur, vltrò
Do veniam (dare namque meum) niſi nomina Romæ
Quæ gentes & regna colunt, contemnere pergis.
Sic ait, & miſſis ad colla tenerrima vinclis
Cum nutrice ferox iubet ad prætoria duci,
At Venus obſcœnam præfecti accendere mentem
Non ſinit, & voti compos ignem adijcit igni.
Nam volitans ab equo in menſas ſitibundus Iaccho
Proluitur, flagranſque graui ſe ingurgitat auro.
Tum fortè occurrens conſpecta virgine coniunx
Inter lora genus mox percunctata reſoluit
Vincula, & ingenium petulans medidata mariti
Hæc erit hæc inquit pellex mihi. Vulnerat iſta
Suſpitio exangui muliebria corda pauore,
Dat Venus hos ſtimulos, odiumque immane puellæ
Sic oritur, ſancti cuſtos inimica pudoris
Fœmina fit, cupido dum luxurioſa marito
Gaudia zelotypi negat impatientia amoris.
Et quoniam defenſor abeſt (induſtria diuûm
Tam vigil & conſulta) pudor ſeruatur ab hoſte.
Mens abijt, fera corda viri Venus atque Cupido
Sollicitant, imas Bromio inflammante medullas.
Ergo ſui incompos thalamis prodire trementem
Imperat, & tali aggreditur ſermone puellam.
Si placare Deos & ponere ſacra Tonanti
Non renuis, tibi præſenti conſorte repulſa
Nubere mens, tecumque nouam producere prolem

Sint

Sint tibi vileſcunt ſuperi, dementia perdet
Te tua ſola, feres ſquallentem carceris vmbram.
Compedibus ſuras & inerti oppreſſa cataſta.
Nec ſatis hæc, patiere famem ieiuna, domandum
Hoc tenerum, & tenerum dicens palpare puellam
Tentat inops mentis, referens veſtigia tactum
Margaris euaſit, ſequitur fando ille, domandum
Acribus id tenerum flagris, ac verbere duro
Corpus, ad extremum ferro exercebere & igni.
Sic ait: Illa Deo iam dudum afflata triformi
Nil iam corda tremit, dirum inuaſura tyrannum
Concipit ingentes animos, ac talia fatur.
Quid me immunde tuo cupis inceſtare veneno?
Vxorem mutare nephas, abducere nuptam
Par ſcelus alterius, nupſi iam paruula Chriſto
Cùm laui ſacro amne comam, tum fœdere nunquam
Immutando illi corpuſq́ animumq́ dicaui.
Vincla, famem, ferrum, atq́ ignes deſiſte minari,
Hæc ſunt illa, quibus cœli mihi limen emendum eſt,
Et quibus ad ſuperos iter eſt, in corpora tantum
Ius tibi, tranquilla irarum inſtrumenta tuarum
Mente feram, nec enim de æquabilitate mouebor
Hac animi, præſente Deo, ſuperiſq́ ſecundis.
Margaris hæc, aſt ille odio furioſus acerbo
Ardet, vt iratus coluber quando ore trilingui,
Sibilat, & caput attollens in prælia ſurgit.
Cedit amor furijs, rauco vocat ore miniſtros.
Qui celeres nudatam humeros & pectora ad aluum

Vſq; premunt grauibus flagris. Inuicta reſiſtit
Verberibus, ſublimi animo, iam terga fatiſcunt,
Nec liuent ſed cæde fluunt innoxia membra.
Sæuit adhuc crudi nondum ſatiata tyranni
Impietas, vinctam loris ſub inane barathrum
Carceris ire iubet, tenebris vbi cæca profundis
Nox ſilet. Hic ieiuna ſedet: fluidumq; cruorem
Crinibus abſtergit membris, animoſa virago
Nil metuens, nec enim denſas conſiderat vmbras
Sed cæleſte iubar, mentemq; in ſydera tollit
Diuorumq; ingreſſa choros ſpaciatur Olympo.
Tum pater omnipotens ſumma de ſede miniſtrum
Cui nomen Paracletus erat, deſcendere mandat.
Qui ferat æthereo radios de lumine ſeptem,
Somniferaſq; fuget tenebras, & vulnera moly
Tergeat applicito, læſoſq; refrigeret artus.
Ille per hydrophorum veniens iam verberat alis
Frigora Saturni, iam ſub Iouis ambulat igne
Marte calens, iam ſolis equos tellure ſub alta
Ire videt, Nemeeſq; graui ſudare ſub aſtro.
Labitur in Venerem, Cyllenia tecta ſubintrat,
Anguſtoſq; lares triuiæ, quæ ſydera fratris
Accipiens totos implebat lumine vultus.
Iam ſubit vmbroſum terræ chaos. Igne relicto
Permeat aëream noctem, ſuper æquora tranſit
Carpathia, Aſſyriaq; cauos iam proſpicit agros
Proximus Antiochi muris, ſe in mœnibus altis
Condit, vbi extinctis nox intempeſta ſilebat

Ignibus, & ſurdo voluebat ſydera lapſu,
Mox abſtruſa ſolo penetrans vmbracula nigri
Carceris extemplò radijs effulſit apertis.
Virgo inter ſilices recubans vt lumina vertit
Ad iubar, aſtantem Paracletum agnouit, & ora
Eſurie confecta leuans & neſcia ſomni
Lumina conatur ter ſurgere, ter cadit ægrum
Corpus, & accedens gutto Paracletus eburno
Ambroſiæ liquidis irrorat odoribus omnem,
Et moly aſpergens humentes ſanguine plagas
Oblinit, heſternæ veſtigia protinus iræ.
Officio mox functus abit, ſalientia corda
Continuò accipiunt vires, & in omnia fundunt
Membra, cutem pulſat meliori arteria vento.
At Venus inſidias meditans vexare puellam
Aggreditur trucibus formis, & imagine fœda.
Grandibus horrentem ſquammis & tergore durum
Cæruleo Pythona ſubit, cui faucibus amplis
Guttur hiat, cui frons oculis flagrantibus ardens.
Venter iners lateq́ fluens boue grandior Indo.
Tam inſolitum viſu tam formidabile monſtrum,
Scindere humum ſubitò, terræq́ voragine ab alta
Surgere in immenſum cum flamma & turbine viſum
Perſtrepit, & lato exanguem petit ore puellam,
Ac viuam ſolidamq́ vorans deglutit in aluum.
Illa ſui compos ſanctas confugit ad artes.
Nam crucis elicito Pythonica viſcera ſigno
Rupit, vt æſtiuas incluſa tonitrua nubes

Diſcu-

Diſcutiunt, ſonus ad vigiles quos cura tenebat
Carceris aſcendit, totaſq; exterruit ædes:
Non aliter quàm cùm magno irritata vaporum
Terra paroxyſmo labat, & quatit alta domorum
Fundamenta, tremunt motis laquearia tectis.
Indignata Venus tantum potuiſſe puellam
Inſidias molita nouas, ad Protea doctum
Fingere mendaci ſimulacra immania vultu
Vertit iter. Tripolis vidit per littora ſolum
Ire ſenem ballenarum pelagiq; potentem
Carpathij quondam, modò maieſtate carentem
Aequorea, quem ſic animis affatur amaris.
Scis Proteu (Proteus viſa fronte annuit illa)
Scis Proteu quæ ſim, mea quanta potentia in omne
Quod cœlo genus & terris, quod viuit in vndis.
Et tamen à pueris (quæ ſors mea) temporis huius
Ludor, & impunes abeunt, immò impia ſummum
Facta decus laudemq; putant opprobria diuûm.
Maximè perſonarum opifex ne deſere tanto
In mœrore tuam Venerem, ſuccurre ruenti
Imperio Iouis & ſuperum, leuiora Gigantum
Bella fuere, vides vt nunc ingloria diui
Turba ſumus, templa incipiunt ſordeſcere, & aræ
Frigidæ & exangues, iter ad delubra Deorum
Pube latet viridi, via redditur inuia nato
Gramine, fer, Proteu, fer opem, miſerere tuorum:
Proteus, ô germana Iouis Saturnia proles
Alma Venus, dixit, grauis eſt iactura Deorum.

Et niſi me fallunt priſcorum oracula vatum
Hic finis Iouis imperio, iam ſæcula currunt
Altera & à cœlo in terras noua labitur ætas.
Ne tamen à nobis diuum deſerta videri
Cauſa queat, neu me fruſtra imploraueris, adſum.
Tum dea conſilio ſeniorem inducit aperto
Carceris in tenebras ad ſollicitanda puellæ
Corda metu. Criptam ſubit alta nocte ſilentem
Lumen & os Cyclopis habens, pigmæaq; membra,
Flammam oculis ſpirans & naribus, illa figuram
Intuita immanem, tanto neq; territa monſtro
Indignata magis, curuo inuolat vngue capillos,
Herculeaſq; Deo vires animumq; ferente
Sternit humi, genibuſq; vterum ferientibus ora
Cote premit, miſſoq; implet caua guttura & orbem
Puluere. Mox Proteus diuina in virgine numen
Experiens, verſa diſceſſit in aëra forma,
Diua latens quamquam dolet, attamen ore ſereno
Riſit, vt immunda vidit tellure volutum
Protea, nudari ſublatis inguina plantis.
Summa dies aderat cùm factus in æthera liber
Tranſitus innocuæ per ahenea vulnera menti.
Nam metuens ne ſi longas ſeruata fuiſſet
In pœnas manifeſta fidem miracula ferrent
Latius, & tali fieret celeberrima pacto
Relligio, indixit fatum crudele tyrannus.
Et cædi iubet enſe caput, ſua funera virgo
Vt cognouit agens, grates ſic orſa Tonanti.

O pater, vnde fluit rerum immutabilis ordo.
Cui fas eſt quodcunq; libet, cui lege voluntas
Libera, cui præſens quod præterit atq; futurum eſt,
Quòd tua me pietas tali velit ire triumpho
Ad ſuperos, fieriq; tuis de ciuibus vnam
Tam celebri ingreſſu, non ſum tam grandibus æquas
Vna ſatis grates meritis perſoluere, quantum
Tu me poſſe facis refero, mea membra litari
Atq; tibi noſtro fieri de ſanguine ſacrum
Inſtituo, venioq; tuas noua victima ad aras.
Accipe virgineos artus æterne ſacerdos,
Ac flammis accende tuis, mens ſola ſuperſtes
Ad tua mortali veniat ſine pondere tecta,
O mundi præclare opifex dignare precantem
Antè obitum dono hoc animam, bonitatis ab alto
Aequore, ab ingenti pelago pietatis in orbem
Aeternis fluat hic ſcatebris curſuq; perenni
Riuus, vt ad noſtrum quiſquis confugerit olim
Subſidium votis ſemper fœlicibus oret,
Atq; meis vacua nunquam prece ſurgat ab aris.
Margaris hæc, ſonus æthereo deſcendit ab axe
Audita es, ſecura veni, te expectat Olympus:
Gaudia reſponſo tali concepta furorem
Exciuere pium, cupit ire in fata, ſuumq;
Carnificem ſtricto aſtantem crudeliter enſe
Prouocat, & poſito iugulum ſupponit amictu,
Nil cunctata. Graui tum protinus ille lacerto
Colla ſecat, ſanctumq; haurit romphea cruorem.

Spiritus

Spiritus è clauſtris fugiens mortalibus inter
Agmina cœlituum victor migrauit in altum
Aethera, & extremo ſedem ſortitus in orbe
Gaudia cum magnis habet immortalia diuis.

BAPTISTAE MANTVANI CARMELITAE THEOLOGI PARTHENICES Quartæ, Agathæ, Agon.

ARGVMENTVM IODOCI BADII Aſcenſij in Diuæ Agathes Agonem.

POST diuæ Margaritæ Agonem, ſecundum propoſita proſequitur diuæ Agathes certamen, inuocatóq; primnm diuinum auxilium, vt ſine quo nullum ritè fundatur exordium. Deinde partem executiuam ingrediens commemorat monſtra quę in Sicilia antè fidei Chriſtianæ lucem orta ſunt. Illic enim Gigantes Ventrimani & Cyclopes fuiſſe perhibentur, ſed poſt fidem Chriſtianam cœperunt cum religione mores immutari, præſertim diuæ Agathes exemplo, quæ Catanæ vrbe Siciliæ non lōgè ab Aethna claris natalibus genita, forma quoq; corporis & virtute animi cæteris prænituit. Cuius amore Quītius præfectus, à Decio Imperatore Romano etiam Tyranno, miſſus, tandem exarſit inſtigantibus eum ad hoc dijs gentilium. Verùm virgo veri Dei munita præſidio nulla via ad conſenſum illicitorum amorum pertrahi potuit. Vndè ille (vt fit) tantò acrius, quantò minus erat ſpei, inflammatus, cum illi vim ob parentum claritatem inferre non

non auderet, animaduertit in eam nouæ religionis genus, dixitq́ magica arte deluſam, nec melius reduci quàm Scortorũ commercio poſſe. Itaq́ Aphrodiſiæ cuidam lenæ ac meretriculæ vetulæ quæ natarum ſtupro iam pridem victitabat, eius ſeducendæ partes committit. Veruntamen abfuit vt virginem à ſancto propoſito auerteret, vt etiam ipſa amplius tentare verita, eius conſtantiæ virtutem miſero amatori prædicaret. Vnde inſanus amans conuertit amorem in crudele odium, iuſsitq́ omnia ſuppliciorum inſtrumenta afferri vt minis cogeretur deos adorare, verùm illa idola deos eſſe negans & dęmonia proteſtans, in carcerem detruditur, vndè poſtridie cùm eadem conſtanti animo aſſereret flagellis cæſa, candentibuſq́ laminis ad ilia appoſitis exuſta, mamilarum abſciſsionem patitur, quam rem indignam generoſus eius animus ægrè tulit, exprobrauitq́ Tyranno ea membra abſcindi eius iuſſu quæ in materno ſuxerat pectore. Sicq́ ſaucia & mutila rurſus in carcerem detruditur. Verùm Petrus Apoſtolus medicis cæleſtibus, Luca, Coſma, & Damiano comitatus cum multo lumine carceris tenebras ingreditur. Cumq́ illa medicas refugeret opes, edocta à Deo miſſos humiliter cum ſanitate recepit lætiores animos. Quam quatriduo poſt eductam miratus Tyrannus dixit à dijs ſanatam, vt grauioribus torqueatur ſupplicijs. At illa contra prudenter aſſeruit nihil boni à malignis ſpiritibus, quos pro dijs tyrannus coluit, ſed omnem quam poſſent perniciem

 inferri.

inferri. Quo audito inſaniens Tyrãnus iubet per teſtas acutas & candentes carbones immaniter trahi. Inter quæ immaniſsima tormenta Deo miſerante, maximus terręmotus excitatur, vnde etiam conſulares viri obruti, totaq́ʒ ciuitas exitium timuit. Vndè territus Quintius in carcerem retrahi iuſsit, vbi poſitis genibus ſtatim fœlicem animam ad ſydera miſit. Corpus autem à Chriſticolis ſepelitur, veloq́ʒ tegitur, quod poſtea vrbi imminens extinxit incendium.

POSTQVAM Margaritæ celebrauimus acta, ſuperſunt
Diuæ Agathæ memoranda nouo præconia cantu.
Illo igitur ſancto igne meas accende medullas
Magne pater, non quem rapuiſſe Promethea fama eſt
In communem hominum interitum, ſed quod tua proles
Abſtulit antiquam faciens noua ſæcula noctem.
Ingenioq; abſterge ſitum, quem longa reliquit
Ira Erebi molita necem, languore ſemeſtri
Pingue vber depaſta animi, populata vigorem
Mentis, & in ſenſus bacchata hoſtiliter omnes.
Antè deos regno pulſos Trinacria quondam
Italiæ coniuncta, graues enixa tyrannos
Languit, ipſa ſuo periens vt vipera partu.
Protulit & vaſtos immania monſtra Gigantes
Ventrimanos olim, manibus quia pabula ventri

Quæſierint, & Cyclopes à luminis orbe
Grandi appellatos, iuga per nebuloſa Pachynni,
Per Lilybæa antra errantes, per ſaxa Pelori,
Et per Acragantis latera, igniferamq; per Aethnam.
Aethnam vbi Titanis ſobolem dixere ſepultum
Enceladum veteres ſpirare incendia, & atrum
Cum nebulis cinerem, & lapides impellere ad auras
Ore procelloſo, tempeſtateſq; fragoſas
Voluere, & in campos ardens effundere ſulfur.
At poſtquam patrio ſoboles deſcendit Olympo
Sancta patris ſummi, cœpit melioribus aſtris
Aſpirare poli regnis mortalibus ardor,
Et fœtus proferre alios, manſuetaq; corda
Gignere, & imbibitum redolentia pectora numen
Imprimis Catanæam Agathen ſplendore parentum,
Forma, ætate, opibus, claram, cui rector auerni
Ille per Aethnæam qui ſe cratera volanti
Suſtulit in cœlum curru, rapuitq; parentis
Theſmophoræ natam flores in ſerta legentem,
Ille, inquam, fœdo ore niger crudelia bella
Mouit in æternas cupiens auferre tenebras.
Conſul erat Siculis vir deteſtabilis, ora
Sola ferens hominis, morem ingeniumq; ferarum
Quintius à Decio miſſus, ſceleratior ipſo
Barbaro & immani domino, ſine numine mundum
Eſſe putans, fieri incerto ratus omnia caſu:
Iſte videns Agathen Trinacridas antè puellas
Ire, Venuſtate, ingenio, & natalibus altis,

Arſit eam, iaculis armatus & igne Cupido
Ictu hominem duplici dum vult inuadere, telum
Cuſpidis auratæ Cocytide lauit in vnda
Sæpius, in Phlegethonte facem ſuccendit, & vno
Impete percuſsit plagis fera corda duabus.
At Deus aſtrorum dominus præcordia ſancta
Virginis afflatu ſtudia in contraria vertit.
Et quantò ad facinus magis ille hortatur & vrget,
Hæc armata Deo, ſcelus id tantò amplius horret.
Aeger amans bacchatur, vti cùm taurus Aſilo
Concitus erecta circumuolat inuia cauda
Paſcua, collectaſq́; cauis vomit acriter auras
Naribus, irarumq́; ſonantem proijcit æſtum,
Verſat mille dolos, varias excogitat artes
Ingenioſus amor: Venerisq́; aſtuta libido.
Relligio tandem noua contemptuſq́; Deorum
Cauſa fit, his fretus titulis crudele tyrannus
Aggreditur facinus, pietas via facta nocendi.
Iudice ſub vitio virtus rea ſiſtitur, actor
Impietas, patrona Venus, mendacia teſtes.
Scortum illuſtre fuit Catanæ, iuuenumq́; vorago
Publica natarum ſtupris Aphrodiſia ſeptem
Diues, agens luſas Circæo carmine mentes
Quò libuit, genus omne mali maga docta veneni.
Iſtius in ludum diſciplinamq́; procacem
Miſſa Agathe, cæleſte animo poſitura ſeuero
Propoſitum, lenocinijs vicianda ſubintrat
Turpe magiſterium. Talem fleuere rapinam

Acturi æterno vitam in ſqualore parentes.
Sed velut incaſſum tumidis mare verberat vndis
Littoream cautem, meretrix ita pectora fruſtra
Virginis attentat, fruſtraq; annititur altum
Demoliri animum, ſtant fortia pectora contra
Blanditias omnemq; metum, deuota Tonanti
Corda immota manent, quid tempora perditis, inquit
Virgo, infœlices animæ? quid pergitis ore
Flectere, vi nulla, nulla arte domabile pectus?
Flumina terrores, nimbi promiſſa, fugaces
Verba noti, moles ego ferrea, ſaxea ſupra
Fundamenta ſedens, ventos & flumina & imbres
Contra ſtare valens, caſuq; potentior omni.
Sic virgo, admirans virtutem in virgine tantam
Horruit, & diuinum aliquid confeſſa, pepercit
Irritare Deum meretrix, nec adire puellam
Amplius auſa refert veſano hæc omnia amanti
Sic memorans. Fruſtra, conſul Romane, laboras,
Quicquid id eſt, humano animo conſtantia maior.
Res miranda, vllis neſcit manſueſcere verbis,
Saxa ferunt ſenſiſſe lyram cùm mœnia Thebis
Poneret Amphion, portauit Ariona delphin
Carmine lenitus, citharam, ſyluasq;, ferasq;,
Thraiciam memorant & plectra Orphæa ſequutas.
Sæuior iſta feris, & marmore durior, æquè
Ferre inuicta minas & blandimenta virago.
Sic meretrix inſanus amans conuertit amorem
In crudele odium, furit indignata repulſam

Mens obſcœna, truces vocat ad tormenta miniſtros
Infligenda, trahi iubet à lictore puellam
Ingenuam, ſimul afferri clamoribus altis
Imperat inſtrumenta, quibus ſæuire tyranni
Sunt ſoliti, latamq; implet cruciatibus aulam.
Inſontem ferus aggrediens quid ſacra Deorum
Quid contemni s ait ſuperos? animoſa virago,
Non ego contemno ſuperes, neq; ſacra Deorum
Reſpondit, ſed quos ſuperos tu inſane Deosq;
Appellare audes ſunt cum Plutone ſepulti
Sub Phlegethonte, illic Venus eſt tua, Iuppiter illic,
Et tota cum prole miſer Saturnus, Olympo
Gens indigna, ſolumq; infra, non æthera ſupra
Dijs domus eſt, ſuperos ideò appellare nefandum.
Vos lemurum conſueti vmbris, perferre nequitis
Chriſti ſolem oculis, iubar impia lumina ſanctum
Auerſata ſuæ noctis caligine gaudent.
Talia dicentem conſul Ioue plenus & ira
Cædi alapis flagriſq; diu crudeliter vſq;
Imperat, ad ſacro manantia ſanguine terga.
Mox iubet ad tormenta oculos conuertere, fœdo
Sic minitans vultu, linguax, temeraria, diuûm
Impia contemptrix, poſtquam te inſania vexat
Tanta, alijs exempla feres, cruciabere donec
Vel melius ſapias ac dijs libamina ponas,
Vel moriens ſontem hanc animam ſub tartara mittas.
Illa nihil titubans & mente æquabilis alta,
Subriſit pœnas atq; inſtrumenta dolorum.

Læta ergò & gaudens ac ſperabunda latentes
Mittitur in tenebras, & carcere conditur atro.
Altera lux poſitis celebrabat prandia menſis,
Cùm è tenebris educta iterum conſiſtere ad auras
Cogitur, & diuis Panchæum accendere odorem.
Illa negans, quæ veſtra, inquit, dementia, ſaxis
Incuruare caput? lignum Themeſæaq; ſigna
Appellare Deos? Deus eſt qui condidit orbem
Cælorum, terræq; opifex, qui ſydera torquens
Suſtinet, & figit cælis elementa citatis,
Huic vni mortale genus libamina debet.
Sed manuum veſtrarum operi putri atq; caduco
Sacra dari turpe, abſurdum, puerile, nefandum.
Propterea neq; ſacra dabo, neq; thure litabo,
Talibus ardentes in pectore conſulis iras
Concitat eloquijs, terrenæ prodiga vitæ
Nil timet, & pœnis occurrit atrocibus vltrô.
Conſul ad aſtantes magno clamore miniſtros
Vociferat, ſpoliate magam, ſuſpendite nudam
Pubetenus, ferro laniate, & adurite flammis
Sacrilegam, noſtrarum hoſtem legum atq; Deorum.
Extemplò, velut in leporem toto agmine pardus,
Fertur inhumanus lictor, nudataq; duris
Membra catenarum complexibus ambit, & alta
A trabe ſuſpenſam flagris domat, Ilia candens
Lamina mordaci tactu premit, igne ſoluta
Iam cute liquuntur ſtridenti viſcera ferro.
Et ſacer in cælum rapitur vapor, vndiq; feruens

Sudat adeps,mixtusq́; adipi pendentia inundat
Pallia,& in terram largo cruor æſtuat imbre.
Nec furor eſt ſedatus adhuc,cùm gaudia virgo
In pœnis confeſſa foret, iubet vbera duro
Forcipe comprendi,niucoq; à pectore velli.
Iuſſa capeſſentes correpto ex igne metallo
Scintillante ſinum inuadunt lacerantq́; miniſtri
Alitis in morem,Tytio quæ infeſta giganti
Exta rapit,vel quæ ſine fine Promethea roſtro
Fligit,in æternos ſemper redeunte dolores.
Tum virgo.Non te immanis feræ & impie,non te
Ergò pudet quæ in matre infans haurire ſolebas
Fœmineo in ſexu tam atrocibus vbera plagis
Cædere,& altrices hominum violare mamillas?
Sed mihi ſat,nulli quod mens obnoxia ferro,
Nil membris fraudata ſuis ſyncera ſuperſit.
Corpus eat,mole hac tandem exonerata recedam
Ad ſuperos,rapientq; tui te in Tartara diui.
Talia dicentem vultuq́; animoq́; ferentem
Supplicium læto,iubet in Chaos ire profundi
Carceris,inferri prohibens alimenta Tyrannus,
Vulneribusq́; negans vſum medicaminis omnem.
Sola in nocte graui reſidens in codice duro
Conuerſis in cœlum oculis immobilis orat.
Dum faceret medio nox alta ſilentia curſu
Et niger Heſperias iret caſurus in vndas
Scorpius,illuſtri geminis ſurgentibus ore,
Ecce ſenex celeri lapſus per nubila curſu

Petrus

Petrus adeſt,& cæca altis abſcondita in vmbris
Clauſtra ſubit, Petroq́ comes medicamina portans
Aſſyrius Lucas in nube abſconditus alba,
It funale gerens pueri ſub imagine Coſmas,
Pæonios ambo ſuccos, Aſclepidas ambo
Syntheſes edocti, fomenta Machaonis ambo,
Tum virgo inſolitam lucem formamq́ virilem
Paſtillos & vaſa manu chirurga ferentem
Admirata, quid hæc (inquit) medicamina portas
Quiſquis es? vlla meis nunquã cataplaſmata membris
Aut emplaſtra tuli. Placido tum Ianitor ore
Nil Agathe dubitandum inquit, cùm vulnera paſſa es
Iſta aderam, corpusq́ videns curabile veni
Allaturus opem medicam. Tum vulnera tangens
Vnguine vitali totam inſtaurauit, & omni
Corpore deterſo rediuiuis pectora mammis
Impleuere ſinum, roſeoq́ reuixit in ore
Cum candore rubor, manibus coma vulſa proteruis
In nodum legemq́ redit, compeſcitur omnis
Eſuries, liquidum teneros corroborat artus
Nectar, & Ambroſiæ potis alimonia ſuccis.
Quarta dies alium Titana ferebat in Axem
Cùm grauibus ſpirans odijs letale venenum
E latebris conſul iubet ad tormenta puellam
Reſtitui, ſi viuit adhuc: ieiunia paſſam
Longa, laborantem plagis, ac verbere tanto
Protritam, fato iam conceßiſſe putabat.
Illa autem nedum viuens ſed ſplendida vultu
Purpureo

Purpureo redit in bellum, quam corpore toto
Incolumem miratus ait. Dij prima ferentes
Vulnera, fecerunt alijs loca, ſacra Tonanti
Redde Ioui, vel ferre para genus omne dolorum.
Illa, quid ad nugas inſane recurris eaſdem?
Sat mea nota tibi, tua mî ſententia, diuis
Quos hominum fecere manus libamina non ſum
Oblatura, potes cruciare, infligere mortem,
Non potes hoc ſuadere nefas, vitam atq; ſalutem
Non ſtygiæ, dij veſtri, animæ tribuere, ſed orbis
Omnipotens regnis qui præſidet omnibus author.
Diuorum natura procax, dira, inuida, mendax,
At Deus humanum, clemens & amabile numen.
Officium, prodeſſe, Dei eſt, offendere diuûm,
Sulfuris ardenti quoties deſcendit ab Aethna
Impetus in campos, veſtrorum eſt ira Deorum
Læta malis hominum, ſed quando coërcita fluxum
Siſtit inundantem, Deus eſt ſeruare labores
Sollicitus noſtros, & nos defendere ab orco.
Vix ea finierat cùm percitus igne Megæræ
Conſul ait, teſtis tellurem inſternite acutis,
Addite flagrantes prunas, hæc mollia ferte
Strata ſuper nudam, & ferro verſate tridenti
Ocyus, accelerant famuli & mandata capeſſunt.
Ipſa togam lætis animis exuta propinquat
Ignibus, atq; moras lictorum accuſat inertes.
Illi iraſcentes indignatiq; rapaces
Inijciunt furcas, correptaq; dentibus vncis

Membra foco infligunt, & per fragmenta iacentem
Nunc prono ore trahunt laniantibus vbera teſtis,
Nunc in terga vnco graſſante per ilia conto.
Inſtaurant alij flammas, & follibus actis
Vndiq; perflantes animant incendia vento.
Interea immanes dum fert innoxia pœnas,
Ecce ſoli horrendo concuſſa palatia motu
Vrbe tremunt tota, fractis compagibus alta
Tecta ruunt, paries abiens finit ire lacunar
In miſeras hominum cædes, fragor vndiq; & ingens
Murmur, & auditæ voces per nubila longe.
Per fora deſertis domibus, per compita turbæ
Errant attonitæ, vt pauidi ſine matribus agni.
Pes titubat ſaliente ſolo, malefida dehiſcit
Præcipitesq; aperit terra vſq; in tartara rimas.
Conſulis extemplò ruit ad prætoria vulgus
Turmatim quà viſa magis via tuta, tumultu
Vociferante omnem euerti cum ciuibus vrbem,
Cæleſtesq; Deos offendi immanibus iſtis
Supplicijs, & rectorem maris Ennoſigæum
Oppugnare ſuis poſitas in finibus oras,
Et Catanæ iraſci, mox tempeſtate futurum
Vt vicina graui vomat Aethna incendia, longè
Vulcano ſpargente ignes cineremq; per agros.
Talia ſuſpenſo conſul dum cogitat ore,
Ecce duo ex primis tecto illabente necati
Os laceri, totos fracti crudeliter artus,
Iudicibus vix tracti alta de mole ruinæ

Expor-

Exportantur, eunt pondus lugubre ferentes
Cum lachrymis famuli, nec longè à limine ponunt
Attoniti, non audentes in tecta reuerti,
Nec proferre gradum vlterius, neq; ducere funus,
Ac veriti plantis titubantem inſiſtere campum.
Territus & gelida victus formidine conſul
Puluerulentam Agathen reuocari in vincula mandat:
Quò ſimul ac ventum genibus ſuper aſpera flexis
Saxa orans animam ingenti clamore profudit.
Chriſtigenæ extemplò irrumpunt durante tumultu,
Raptaq; marmoreo membra impoſuere ſepulcro.
Et ſuperiniecto clauſerunt marmora velo.
Iamq; oriens octaua dies horrenda ferebat
Et ſpectanda metu Siculis miracula magno.
Aethna cauernoſis quæ tanta incendia nutrit
Viſceribus, vento inflari & mugire per omnem
Trinacriam, ac ſtrepitu reſonare tonitrua magno
Cœpit, & accenſis flammam eructare caminis.
Continuò pauefactæ vrbes, ad ſydera iunctas
Attollunt cum voce manus, & ſacra frequentant
Placatura Deos atq; occurſura periclis.
Nec mora, de ſummis Aethnæ crateribus ingens
Flammarum globus erumpens in flumina ſeſe
Ignea diffundit, Cataneaq; mœnia verſus
Labitur ardenti per culta virentia curſu.
Attoniti ciues quo ſe molimine ſeruent
Ignari, curuant genua ante altaria votis
Supplicibus flentes, vrbi magis ac magis inſtat

Ignea tempeſtas,flammisq́ ſonantibus ardor.
Vt vidêre Deum fruſtra implorata ſuorum
Auxilia,accurrunt Agathes ad buſta,leuantq́
Confeſtim velum à tumulo,quo incendia contra
Illato,vapor extemplò (mirabile viſu)
Territus aſpectu ſacri velaminis vndam
Traxit,& ardentem cohibens à mœnibus æſtum
In nebulas abijt tenuesq́ receſsit in auras.
Vrbs opus admirans aras, & ſacra Tonanti
Inſtituit Chriſto,Saturnigenamq́ reliquit
Cum Iunone Iouem,noua teſtamenta fidemq́
Docta,ſalutiferis priſcum ſcelus abluit vndis.

Q Baptiſta

BAPTISTAE MAN-TVANI CARMELITAE THEOLOGI: PARTHENICE Tertia, Lucia.

ARGVMENTVM IODOCI BADII Aſcenſij in Diuæ Luciæ Agonem.

TErtio loco celebraturus Diuæ Luciæ agonem, vt eius fauorem captet, dicit à multis mortalib. & præcipuè à Venetis, etiam ſub brumali tempore viſitari eius monumenta. Nam feſtum eius agitur vigeſimo kalend. Ianuar. quo nunc ferè lux dierum augeri incipit, vnde ab luce Luciam meritò vocatã innuit. Deinde rem aggrediens docet hanc quoq; nobili proſapia Syracuſis ortam, & à teneris vnguiculis Chriſtianis ſacris initiatam. poſt obitum patris caſtè & pudicè cum matre vixiſſe, & patrimonium pauperibus erogaſſe, refragante matr, edonec graui febre correpta perſuaſione filiæ ad ſepulcrum Diuæ Agathes, Catanam eſt profecta, vbi cum filia ardentius pro matre precaretur, immiſſo ſopore Diuam Agathen vidit, audiuitq; in hæc verba dicentem. Quid tantoperè pro matre me precaris ſoror Lucia, cùm ipſa non ſolùm matri, ſed & omnibus Syracuſanis opem præſtare poſsis? Nam vt ego, Catanæ, ita tu

tu futura es præſes Syracuſis, moxq́ experrecta matrem offendit incolumem, quæ parcius deinde filiæ refragata eſt eleemoſynis. Verùm Paſcaſius tyrannus, vir perditiſsima nequitia & petulantia, nec minus rapinis & exactionibus intentus, eius forma incenſus, amorum conciliatricem ad eam cum muneribus & pollicitis ampliſsimis, ſollicitaturam eius pudicitiam mittit, iubens illi perſuadeat, ſe oculorũ eius ſplendore ſic captum, vt ab alio quám ab ea nequeat liberari. Qua re intellecta, reiectis muneribus, ſpretaq́ conditione, animoſa virago, ſciens illud euangelicum, ſi oculus tuus ſcandalizat te, erue eum, non ad literam debere intelligi, vt tamen oſtendat quàm nihili faciat corporis ſpecimen, vtq́ tyranni irrideat impudicam concupiſcentiam, oculos ſibi eruit, & ad amatorem miſit. Verùm Deus pater tantam virtutem præſenti munere donauit, nam Raphaëlem olim Thobiæ medicũ, qui eius oculos inſtauret demiſit. At præfectus prius ex oculorũ euulſione amens effectus, & nunc ex inſtauratione attonitus, noluit anui fidem adhibere, donec ablato velo aſpexit oculos longè quàm priores fuerant decẽtiores, quamobrẽ cùm veritatem agnoſcere nollet Magiæ imputat. Interea autem acceſsit ad eum ſpõſus virginis, cui pater antequam obierat cum totó patrimonio virginem deſponderat, accuſans virginem prodigalitatis, & hæreſeos nouæ falſæq́ Chriſtianorum (vt mentiebatur) perſuaſionis, qua re intellecta tyrannus abnegare Chriſtum cogendo, cùm

verbis nihil proficeret, conuocatis lenonibus & ſatellitibus iuſsit ad lupanar trahi. Verùm cùm nulla aut hominum aut boum vi loco dimoueri poſſet, ingentem pyram circa eam extrui eueſtigio iubet, ſed neq; igni conſumi potuit, angelis innoxiã præſeruantibus, & cùm inter flammas tyranno fatum prædiceret, vnus ſatellitum gladio iugulum eius petijt, quo vulnere non ſtatim, ſed vt fuſis precibus iuſſerat illic templum extrui, ad cœlos migrauit.

Diua Syracuſiæ celeberrima gloria gentis
Lucia, cui tracti ſulcant vada frigida et vndam
Brumalem Veneti, & fluctus aquilone coactos,
Lumina quæ promis, volucrem quæ diuidis annum,
Quæ frenas Titanis equos, Phaëtontia retrò
Lora trahens, gelido capri pluuialis ab aſtro,
Da mihi te facilem, dignoq; extollere cantu
Certamen concede tuum, quo tartara & ipſum
Tartareo regnantem Erebo Plutona Deoſq;
Viciſti, Encelado maior, patrioq; Typhœo
Fortior, & Ioue terrigenûm domitore gigantum.
Lucia nobilium ſoboles generoſa parentum,
A teneris edocta Deum, perfuſa lauacro
Quod facit inſontes animas, nutrita ſuperbas
Inter opes, in delitijs, in murice & auro

Nata,

Nata, maritales poſtquàm peruenit ad annos
Exuit extemplò ſtudium leuis omne iuuentæ.
Quando ſolent aliæ genio inclinante pudorem
Soluere, picturare genas & more Agathyrſo
Ire coloratis, iuuenesq́; accendere membris:
Ipſa animo complexa Deum, veſtigia torſit
Ad ſuperos, curis terræ indignata teneri.
Orbatam genitore domum cum matre gubernans
Quicquid opum ſupra victum reſtabat, aperto
In miſerum genus omne penu conferre ſolebat.
Idq́; ſemel genitrix damnans, quid prodiga tantas
Nata facultates, inquit, ſine fine profuſis
Sumptibus exhauris, nihil in ventura recondens
Tempora, nil ſenio ſeruans, grauis immemor æui.
Tempeſtiua ſat eſt inopum poſt funera cura.
Interea in trabibus ſine farra ſeneſcere noſtris,
Pinguibus in campis teneras adoleſcere cau as.
Atq; graues annare cados, & vina decembres
Quæ ſeptem de more vident, pertingere ſaltem
Sydus ad Icarium, quando ſitibundior æſtas,
Cùm pretioſa ſitis, deuotaq́; tempora Baccho,
Ne ſine fruge gregum fœtura, & adorea meſſis,
Ne ſine fruge ferax abeat vindemia & auro.
In tabulis, inopum memores, legabimus ædes,
Nominaq́; & magnis virides prouentibus agros.
Sic genitrix, animo meditans bona fluxa tenaci.
Filia ſublimi voluens cœleſtia corde,
Quid meriti mater poſſeſſa relinquere, dixit,

Cùm retinere oculis fato incumbente vetamur?
Res ſeruata perit, miſeris data porrigit alas
Ad ſuperos, alæ duplices, argentea læua,
Aurea dextra, viamq; datori ad ſydera pandit.
Certa præit viuos pietas, incerta ſepultos
Conſequitur, nam quod noſtri eſt dum vita ſuperſtes
Arbitrij, mox eſt alieni, vt vita receßit.
Scilicet id gelidæ vitium commune ſenectæ
Diuitias curare nimis, capularibus annis
Ingruit iſta fames, hæc diffidentia feræ
Iuncta ſenectuti, frigentia pectora curuat
Ad telluris opes, ſtudiumq; accendit habendi.
Pone metum genitrix, locuples Deus omnia paſcit
Ipſe homines alit atq; feras, cùm areſcere campos
Viderit eſuriemq; pati ſub ſydere cancri
Gramina, ab extremis humentem finibus auſtrum
Aduocat, & nimbis ſitientia proluit arua,
Succurritq; ſolo pecudes miſeratus & herbas.
Tu ne igitur trepidas cunctis alimenta ferentem
Deſerturum homines? & qui ſpiracula vitæ
Flauit in hos artus hoſtem fortaſſe futurum?
Lucia ſic referens, matrem placabat auaram.
Cùm ſenior genitrix morbo ægrotaret acerbo,
Ad Catanæ Agathes tumulum proſtrata, parenti
Auxilium flebat, ſubitò tum lumina ſomnus
Claudit, & alta quies feſſos perlabitur artus.
Nec mora, cincta choris ſuperûm Catanæa virago
Argenti, gemmarum, auri ſplendore coruſco

Fulgida, ſopitæ viſa eſt aſtare, manumq́;
Iungere, & his animum dictis mulcere dolentem,
Chara ſoror tanta quid ſollicitudine poſcis
Quod præſtare tuæ paruo poſt tempore matri
Fas tibi mox? ſicut dominor Zanclæa per arua,
Per Catanæorum populos, quibus imminet ardens
Aethna, Syracuſiæ ſic tu dominaberis vrbi.
Et poteris ſanare nurus Arethuſidas omnes.
Sic eſt viſa loqui, fracto virgo excita ſommo
Et vertens in matrem acies, videt ora colorem
Concepiſſe nouum, corpusq́; habitudine totum
Incolumi ſubitò antiquum repetiſſe vigorem.
Gaudet agens grates, Agathę; ac cœlo omnipotenti,
Atq; ait, ô genitrix, poſtquam tibi cognita virtus
Tam miris diuina modis, ac munere tanto.
Deſine me ſolitis poſthac vrgere querelis,
Et ſuadere virum: Sine me cœleſtibus vti
Connubijs, & centeno coaleſcere partu.
Præſes erat Siculis atrox Paſcaſius oris
Vir ganeæ, vir deſidiæ, vir deditus auro,
Ac Veneri, ſcelere inſignis ſine numine, monſtrum
Illaudatum omni cœloq́; odioſus & Orco.
Hunc, vbi virgineos vultus & lumina pulchris
Aemula ſyderibus diro omine & alite læua
Vidit, amor ſubita rapuit face, fulminis inſtar,
Nimbifera montes cùm tempeſtate per altos
Mugit, & vmbroſam flammis complectitur ornum.
Ardet & ardori non eſt modus, inſtat acutis

Semper amor ſtimulis, vt quando ad præmia palmæ
Curſor Olympiacæ fuſis contendit habenis.
Vrget equum crebrò ferientibus ilia plantis,
Verbereq́ intorto, cùm ſibilat aër & armos
Sudat anhelantes, volucri ferus acrior igne.
Iſte viam ſceleri monſtrante Cupidine, doctam
Mittit anum, quæ ſyderee ſe lumine captum
Nunciet ægrotare animo, atq; incendia ferre
Qualia flagranti patitur Vulcanus in Aethna,
Et ſubitam ſe poſcere opem, quam forte negari
Si audierit non poſſe ſibi niſi morte mederi.
Attalicas promittit opes, promittit honores
Cæſareos, minimumq́ deeſt quin ſpondeat orbis
Imperium, tam vana inſani audacia amantis.
Dona dat, in fuluo rutilans carbunculus auro,
Vnioq́ ingenti candens Gangeticus orbe,
Munera prima. Quibus virgo generoſa repulſis,
Lumina, vt audiuit bellum hoc inferre pudori,
Nil cunctata oculos (opus admirabile ſæclis
Omnibus) ancipiti cultro de fronte reuulſos
Proÿcit in patinam, mittensq́ ea munera amanti,
Accipe reſpondit quod amas, & deſine poſthac
Talibus inſidÿs ſanctas inuadere mentes,
Dixit, & ex alto factum miratus Olympo
Cum ſuperis pater omnipotens, duo lumina primis
Splendidiora cauis ſcrobibus concreſcere iuſſit.
Tum Raphael ſubitò celerem per nubila curſum
Traxit, & infundens orbæ medicamina fronti

Elicit

Elicit ardentes oculos, inſtaurat honorem
Deformati oris, faciemq; decorat amœnam.
Rector vt accepit caſus miracula tanti,
Riſit anum maiora fide neq; digna relatu
Talia commemorans, & anilia pondus habere
Dicta negat, ſed cùm velo reſoluta cruento
Lumina conſpexit, ſtetit & manifeſta negari
Cùm nequeat facti nouitas, opus omne relatum eſt
In magicos cantus, damnataq; carmina Circes.
Inſanoq; odium maius ſucceſsit amori.
Interea ſponſus (genitor namq; ante ſepulcrum
Ingenuo cum ſpe dotis deſponderat amplæ
Progeniem iuueni) iam decoxiſſe puellam
Admonitus, furia inuectus, rectoris ad aures
Detulit vxorem illicitos patrimonia in vſus
Diſtraxiſſe, deos veteres contemnere, & aram
Numinibus feciſſe nouis, quendamq; triformem
Appellare Deum, diuumq; hominumq; parentem.
Ergò accerſitam nubes adolere Sabæas
Vulcano, Cereri & natæ, Veneriq; Erycinæ
Mandat, & antè aras genibus procumbere flexis.
Illa animis ſexu longè maioribus, vni
Debita ſacra Deo, ſaxis offerre nefandum
Dixit, at incenſo melius thure atq; iuuencis
Eſt holocauſtum aliud quo delectatur Olympus,
Sollicitudo inopum, curam quibus hactenus omnem
Quoad potui impendi, ſacris vbi talibus antè
Res data, ne quicquam in terris quod in æthera poſſim

Ferre, relinquatur, ſanctis altaribus, ipſam}
Me quoq; do, & mitto hanc animam quò cætera miſi.
Conſul ad hæc, potes has nugas, hæc ſomnia, dixit,
Chriſtigenis narrare tuis, mihi talia fruſtra
Ingeris, imperij placida & decreta ſequenti.
Tum virgo irritans hominem, tibi Cæſarianæ,
Diuinæ retinenda mihi cuſtodia legis.
Ex re igitur quodcunq; tua eſt amplectere, noſtro
Et nos arbitrio nobis potiora ſequemur.
Res vbi in infames conſumpta procaciter vſus
Conſul ait, ſcelus vt meretrix abſcondere lingua
Niteris, excuſans audaci crimina vultu.
Res mea prouentu centeni fœnoris aucta
In tuto eſt, dixit, neq; corruptoribus vnquam
Corporis aut animi (ſcit qui videt omnia ab alta
Cælorum arce Deus) patui, tum pectore conſul
Scintillante animum, quoſnam corrumpere, quoſnam
Arbitraris ait? virgo nihil ore morata
Vos inquit, quotcunq; deos ſeruatis ahenos,
Saxicolaſq; lares, & dæmonas ære latentes.
Namq; animis rudibus vero pro numine manes
Obijcitis ſtygios, ac ſi quærentibus aurum
Inſidians aliquis, mendacia porrigat æra.
Hæc tua garrulitas intempeſtiua faceſſet
Conſul ait, quando euadent in verbera verba.
Lucia reſponſis crucians immania corda
Conſulis adiecit. Nequeunt diuina teneri,
Verba, per innocuas hominum reſonantia fauces.
Ante

Antè tui ſimiles quoties aſtare tyrannos
Contigitè noſtris aliquem, Deus ora mouendo
Fatur, & humanis aperit ſua ſenſa loquelis.
Conſul ad hæc. Deus in te igitur? Deus illa piorum
Corda habitat dixit, perq; ora innoxia fatur.
Trux vultu frendens verbis & pectore anhelo
Flammigerans conſul ſtupris expoſta lupanar
Ibis ad immundum, perdas vbi numina dixit.
Non niſi conſenſu mentis vitiabile corpus
Virgo ait, inuitam ſi me violaueris, aucta
Virginitas alio duplicem feret orbe coronam.
Neve tuum verbis odium mora differat vlla,
Diſce ſuis Aethnam, tam immenſa mole ſedentem
Transferri poſſe antè locis, quàm immobile mutem
Propoſitum, ſurge, & quicquid ſata nocte profunda
Conſulit Alecto, vome, totum effunde furorem,
Inſani, bacchare, tuos imitare Sathanas.
Ferte citi tormenta, ignes animate miniſtri
Pellite ab his animam membris, reddamus Olympo
Aethereàm mentem, veſtris me mittite ad aſtra
Supplicijs, crudelem Orco ſeruate Tyrannum.
Talia magnanimo vulgi clamabat ad aures
Pectore nil pœnas metuens, nil fata virago,
Cùm ſubitò, miſſis conſul lictoribus, omnem
Inuitat Lenonum aciem, magnoq; tumultu
Mittit ad obſcœna Veneris ſordentia luſtra
Innocuam ſuperiſq; parem pietate puellam.
Accipiunt victam loris, mediamq; per vrbem

Scortorum

Scortorum ſtipata choris infamibus ibat,
Cùm ſubitò celeres labuntur ab æthere diui
Tam indignum facinus tam deteſtabile adorti
Perturbare nefas, miris veſtigia ſiſtunt
Fixa modis, hæret plantis immota virago
Robore par ſaxo ingenti, par turribus altis.
Extemplò mirati omnes tractare verentur
Corpora ſancta manu immunda, ſequiturq́ repentè
Relligio, manifeſta vident miracula & ore
Attonito, circum magno ſtant agmine turbæ,
Murmure compreſſo, ſacer ad ſpectacula diuum
Stat chorus, & fruſtrata hominum molimina ridet.
Interea audito caſu Paſcaſius infert
Præcipiti ſe ex arce gradu, comitantur euntem
Diræ Erebi, Venus, atq́ Ceres, Proſerpina, & atro
Mulciber atq́ Sterops vultu, & fuliginæ Brontes
Illitus Aethnæa, rapidoq́ accendere pergunt
Igne hominem, ruit in medios, accuſat inertem
Segniciem, iubet intortos ad colla rudentes
Ad femora, ad ſuras, ad clunem, ad terga ligari.
Mille viros adhibet magnis qui viribus auſint
Voluere in Aegæos Athon atq́ Caphærea fluctus.
Sed cùm conatu inualido nil numina contra
Proficerent, ad mille viros fortiſſima iungunt
Mille boum iuga, loratis qui cornibus ipſam
Trinacriam valeant Calabris adiungere ripis.
Nec ſic mota loco, nouitas tam mira per vrbem
Diuulgata ciet populum. ſpectacula nunquam

Viſa

Viſa prius,proceres adeunt,Paſcaſius amens
Aeſtuat,ingenium plebis mutabile & iras
Vulgares animo voluens,& dedecus omnes
Ante patrum populiq; oculos,heu quanta venenis
Quantaq; Chaldæo molitur fœmina cantu;
Dixit,& illatis extemplò incendia lignis
Suſcitat,& rapidæ cingunt Arethuſida flammæ.
Subijciunt picis & reſinæ liquamina in ignes.
Atq; leues paleas,oleiq; fluentis amurcam
Lictores,pyra conflagrans ad ſydera longis
Fluctibus it,magnoq; furens ardore puellam
Circuit,& lambens tunicas,colla,ora,comaſq;
Virginis,applaudit ſanctis innoxia membris.
Neu quid inexpertum rabies veſana relinquat
Imperat aſpergi,lotio,quòd fama lauacro
Tali,artes reprimi vetitas,& carmina vinci.
Acciti venêre magi,tacitiſq; ſuſurris
Monſtrificos fruſtra nixi diſſoluêre cantus,
Id fieri tandem nullo,didicere,veneno.
Lucia flammarum iam decreſcente tumultu,
In cinereſq; abeunte rogo ſic orſa.Tyranne,
Iam ſatis expertus diuina potentia quæ ſit,
Quàm inualidas habeat tua tanta ſuperbia vires:
Quando nec hinc tolli potui,nec in ignibus arſi
Vt rebare miſer,nunc vel feritate repulſa
Verum agnoſce Deum,qui te populumq; videntem
Talibus exemplis voluit monuiſſe,vel ira
Impatiente alijs ſæui cruciatibus,omnem

Tolle moram, dum turba frequens ſpectare parata eſt:
Talia clamantem veniens à conſule lictor
Inuadit gladio, mergitq́; in guttura ferrum.
Altius infodiens, animæ penetralia & exta
Ancipiti lacerans acie, diaphragmate foſſo
Inteſtina ſecans, necdum ſublata facultas
Eloquij, fatur plenis vt & antè loquelis,
Sic referens. Catanæ veluti mea præſidet vrbi
Diua Agathe, ſic ipſa meæ cuſtodia gentis
Facta Syracuſiæ, noſtris ego nuncia pacis
Cæſaribus pulſis, vno vitalibus auris
Vrbe alio, pœnasq́; nouo ſub principe conſul
Sanguinolente dabis, vix facta ſilentia, quandò
Nuncia Cæſarei peruenit epiſtola fati.
Diuitiarum auceps Siculas Paſcaſius vrbes
Hauſerat, inſudans cumulando immaniter auro;
Inſidiansq́; opibus, ſcelerumq́; infamia Romam
Venerat, atq́; ideò tentus mandante Senatu
Ducitur in Latium ſubitò, furta atq́; rapinas
Vix confeſſus erat, cùm mox capitale recepit
Supplicium patiens cædem pro cædibus vnam
Innumeris, in prædam atris data manibus vmbra.
Diua ſuo vitam nutu poſitura manebat
Sublatis erecta oculis, ac talia fata eſt:
Mors mihi iamdudum clauſiſſet lumina, ſi non
A ſuperis conceſſa foret mihi copia fandi
Pauca prius, cœlos adiens mea membra relinquo
His tumulanda locis, vbi me conſiſtere & hoſtem

Vincere

Vincere conceſſit genitor diuûmq́ hominum,
Hoc æterna ſolo noſtri monumenta triumphi
Sunt ponenda, quibus moniti poſt longa nepotes
Sæcla recordentur quos pro pietate labores,
Quæ tormenta tuli pro relligione, meamq́
Poſteritas imitata fidem per ſancta priorum
Ducat in Elyſios animas veſtigia campos.
O patria, ô ciues, in ſæcula longa valete.
Sic ait, at niuea gradiens in veſte ſacerdos
Cum face, & ex auro diuina viatica promens
Virginis ora petit, quæ lætior hoſpite Chriſto
Rettulit in cælum vultus, & gutture hiulco
Miſit in æthereos animam cum vocibus ignes.
Templa, Syracuſij paruo poſt tempore ciues,
Nequaquam immemores, dictis, mandata ſecundùm
Impoſuere locis, peregrino à littore vecto
Marmore, ducentes ſacrum vſq́ in nubila culmen.

BAPTI-

BAPTISTAE MAN-TVANI CARMELITAE THEOLOGI: PARTHENICE Sexta; Apolonia.

Ad Ptolomæum fratrem.

IN D. APOLONIAE AGONEM Iodoci Badij Aſcenſij Argumentum.

APOLONIAE Agonem auſpicaturus, poſt inuocationem commemorat perſecutiones eccleſiæ Chriſtianæ ab imperatoribus Romanis factas, Nerone, Domitiano, Traiano, Vero, Seuero, Maximino, Decio, Valeriano, Aureliano & Diocletiano. Deinde inſtitutum exequens, dicit tempore Decij Imperatoris qui dæmoniorum inſpiratione maximè in Chriſtianos ſæuijt, fuiſſe apud Aegyptios virginem regali progenie exortam, Apoloniam nomine, quæ cum matre Chriſtiana ſanctiſsimè vixit & Chriſtum in ſacello quod domi habebant, coluit; donec Proconſule ad Aegyptum à Decio miſſo, iuſſa illi ſiſti, & Chriſtianæ fidei accuſata & idolis ſacrificare iuſſa recuſauit, illiuſq; temeritatem acriter coarguit, ob quam rem à ſatellitibus iuſſu Tyranni

eius

eius dentes immaniſsimè excuſsi ſunt. Verùm cùm ob indignum facinus parum abeſſet, quin ſeditio oboriretur, iuſsit in carcerem detrudi, vbi ab angelis ſanata & confortata, poſtridie Tyranno ſiſtitur qui cùm omnia reuoluiſſet tormenta nullum aptius ratus, decreuit igni abolendá, ideoq; ne tumultus fieret in populo, ſubitò ad littus eductam in ingentem pyram conijci iubet, vbi (quod ab angelis futurum didicerat) flammis quidem ſuffocata, ſed penitus incombuſta permanſit, vſq; adeò vt ne veſtes quidem eius læſæ ſint. Chriſticolæ autem poſt multam trepidationem, fide animos ſuppeditante egreſſi, corpus per ſcalas in vrbem referunt, & honeſta ſepultura afficiunt, mens autem ab angelis in cœlũ nobili cum triumpho deducitur. Verùm ſicut vbiq; poëta iucundis digreſsiunculis & argutis fictionibus & Deorum conſpirationibus poëma ſuum decorat, ita hic quoq; non inutili fictione animam ſeu mentem diuæ virginis ac martyris inter ducendum multa de ſecretis naturæ, ac pœnis inferorum, quas ſecundum Lucretium, Macrobium & alios multos in corpore iſto patimur, de mortis contemptu, cùm non tantum habeat doloris aut amaritudinis, quantum ab imperitis creditur, & cœlorũ orbibus alijsq; multis, quæ ſeparata à corpore perfectè agnouit, cũ angelis locutam inducit, miratam, videlicet tantam mortalium cœcitatem, cùm trepident vbi non ſit timor, reſq; contemnendas tam miſerè ament. Poſt quorum narrationem, docet in beatorum patriam

perductã vbi eo perfruetur gaudio, quod nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec cor hominis aſcendit. His itaq; viſis explanationem operis facili pede aggrediamur. Eſt enim compoſitio dilucida, qualitas heroicæ proxima. Libri totius tertiæ Parthenices, aut duo aut ſi malumus quattuor, tot enim ſunt virginum vitæ. Titulus autem operis eſt ex prima Parthenice notus, ſicut & authoris vita.

TV quoq; Cœleſtes imitans Apolonia nymphas
Includi Heroo non indignabere cantu.
Et quanquam noſtro maior tua gloria plectro
Miſſa ſit in terras omnes & in omnia longè
Aequora, ſtellatos etiam vulgata per axes,
Non vanus tamen iſte labor, nec enim tibi famam
Cogitat, eſt aliud quod nos in carmina traxit.
Nam tua maieſtas nobis mortalibus ingens
Præſidium, celebri veneranda in ſæcula cultu,
Obſequium ſibi noſtri operis, ſibi vendicat oris.
Virtuti debetur honor, licet inclyta & expers
Noctis & vmbrarum per totum effulgeat orbem.
Antè Deum lychni in templis, funalia ad aras,
Non vt clara dies fiat lucentior, ardent:
Verum vt cœlitum patriam ſplendore nitentem
Aethereo, & ſemper verſari in lumine diuos

Signifi-

Significent, vbi nulla diem contaminat vmbra.
Diua, vides animum ſublimem, & grandia corda,
Ingenium verò tenebroſum, exangue, ſepultum
Segnicie, & lentum vitio torporis & oci.
Ergò ades, & caligantem ſacro affice ſenſum
Lumine, quod diuorum oculis clareſcere nunquam
Ceſſat, & æterni retegit penetralia mundi.
Roma potens rerum varijs, & adultera coniunx
Dum natura recens creſcentes adiuuat annos,
Principibus nupſit, quorum ſine numine & omni
Pars maior pietate fuit. Rariſſima virtus
Semper, vt hybernis Hyperionis aura diebus,
Cùm niger inualuit Boreas, cùm nubila regnant.
Hi ſimulac ſceptrum aggreſſi regnoq; potiti,
Exibant de ſede Erebi teterrima monſtra,
Tiſiphone, furiæq; aliæ multo angue comantes
Afflanteſq; ſuis illos nidoribus intra
Intima tartareum ſpirabant corda furorem.
Quippe quibus dominabantur Plutonides vmbræ.
Sic malè perſuaſi cœlos attollere contra
Non poterant vultus, & nil perpendere ſanctum.
Sed verſi in terras oculos, & more ferarum
Præcipites quorſum legem indignata libido
Oſtendiſſet iter (tam nil penſi atq; pudoris
Menti inerat) ſuperis ſcelus admirantibus ibant.
Quum primum in terris pietatem exurgere, & ortam
Cognouere Dei ſobolem, ne perderet orcus
Imperium vſurpatum annis tot milibus, arma

Arma exclamarunt, Chriſtiq; imbellia regna
Perdere conatum nil deteſtabile & atrox
Prætermiſit inops lucis genus. Ecce ſuperbus
Aeneadum de gente Nero. Viden ora cruenta?
Atq; odium truculentæ animæ per lumina rumpens?
Primus hic addictam cœlo diſperdere gentem
Auſus, & infauſto diuos inuadere bello.
Obiectare feris homines, accendere viua
Corpora conſueuit, nocturni ad luminis vſum.
At poſtquam in ſanctos longas exercuit iras,
Ipſe ſua ſibi fata manu conſciſcere adortus
Tranſtulit afflictæ mœrorem in gaudia Romæ.
Altera, contemptor diuûm, dominumq; Deumq;
Imprudenter agens, crudelia protulit arma,
Germanus, Tite ſancte, tuus, neq; te neq; patrem
Iuſtitia referens, ideò lacer atq; cruentus
Cæde ſua Stygias tandem raptatus ad vmbras.
O ſtulta impietas, incauta audacia, præceps
Iudicium, imprudens & vana ſuperbia regum
Romanorum. Audet ſuperos inceſſere & aſtra,
Cui graue muſcarum eſt & formidabile roſtrum:
Hic etenim ſi vera ferunt æſtate volantes
Per thalamum muſcas (manifeſta inſania) ferro
Zetus vt Harpyias, eſt inſectatus & arcu.
Ite animæ peſſum, indignæ quibus almus Apollo
Oſtendat vitale iubar, quibus ignea mundi
Ornamenta ferant nocturnam ſydera lucem.
Indignæ, quas dicat opus moderator Olympi

Eſſe ſuum, dignæ hoſpicio Phlegethontis & orci.
Tu quoq; cenſeris (verùm illa iniuria longè
Deteſtanda minus) Traiane in crimine tanto.
Iuſſiſti cohiberi enſes parciq; piorum
Relliquijs, ſanctæ exhorrens tot funera gentis.
Sed maior Veri impietas & acerbior ira,
Atq; immane magis facinus, tunc orta repentè
Fulgura, Romanas cùm Marcomanica caſtra
Cinxiſſent acies. Veri extinxere furentem
Sæuitiam, & flagrans odium minuere parumper,
Opportunè alto radiantia fulmina cœlo.
Sed furor inſanus, rabieſq; infrena Seueri
Intumuit, velut excitum mare flantibus auſtris,
Cùm fremitu horrifico ſpumans procul æſtuat vnda.
Et tua caſtrenſi properans ad regna tumultu
Maximine, genus Gothicum, dira illa libido,
Virus olens canis inferni, graſſata per omnes
Chriſtigenas velut inter oues ieiuna luporum
Ingluuies. Poſt te paulùm regnante Philippo
Relligio ſecura fuit, milleſimus vrbis
Annus erat renouata decem poſt ſæcula Romæ.
Mox velut è latebris ſinuoſa volumina ſoluens,
Vmbroſus coluber Decius, furiale venenum
Expuit in ſanctos: ignes extinxit ad aras.
Templa cruentauit, tormenta immania paſſim
Protulit, & membratim homines in fruſta ſecauit,
Durior Euryſthæo, Buſiride crudior ipſo.
Quid memorē te Auguſte ſenex, qui præda fuiſti

Bellica, Perſarum regi, quia ſanguine ſacro
Fœdaſti fora, templa, vias, & numina contra
Nil veritus bellare, Deos ſimulacra putaſti?
Sed nil proficiens tua cæca proteruia tandem
(Nimirum vt caderes tantò grauiore ruina)
Deſplendore pari ſuperis, de culmine celſo
Imperij, tanta de maieſtate redacta
Extemplò ad ſeruile iugum, ſquallente ſenecta,
In pedore, ſituq́; iacens grauibuſq́; catenis
Tabuit, antè obitum æternas depulſa ſub vmbras.
Non læſura minus furor Aurelianicus arma
Protulit, indicto cùm facta licentia bello
Prædandi plebem inſontem, paßimq́; necandi
Cæleſtes impunè viros, & fantia nondum
Ora trucidandi, atq́; Deum ludibrio habendi.
Ecce alius mihi ſeſe offert tuus ille cruentus
Maximiane comes, cui poſtquam polluit orbem
Cædibus innumeris, Romani purpura regni
Viſa grauis, riguos ideò ſeceßit ad hortos
Littore in Adriaco, rapidos vbi temperat æſtus
Aura frequens, gelidos vbi mitigat vnda decembres,
Vnda maris tepidi non conſentanea Brumæ.
Sed veluti decimus, quoties iraſcitur æquor,
Irruit in nautas maiori turbine, fluctus:
Sic decimi vis illa ingens & longa tyranni
Altius intorquens telum exitiale, miniſtros
Sacrorum enecuit, templa & ſacraria flammis
Abſtulit, ex adytis diuina volumina in ignes
Corripuit,

Corripuit, lunaq; uno bis dena recurſu
Milia Chriſtigenum, tanta inclementia, tantùm
Irarum pelagus, Roma indignante peremit.
Et tandem gelido vitæ inſidiante veneno
Iam ſenior, iam defectus, iam ſanguine adempto
Frigidus, hiberno qualis iacet anguis in antro,
Vita eiectus apud Proauos ſepelitur in orco.
Quo rapior mea diua? Rotis errantibus vltra
Metam agor, & longo in gyrum præteruehor actu.
Ad Decium torquendi axes, ea tempora cœlum
Impleuere animis illuſtribus, aula Tonantis
Facta frequens, auctæ in campis cœleſtibus vrbes.
Nam cœlum veluti tellus habitatur, & amplas
Rerum opifex diuum populos diſtinxit in vrbes.
Hi iuga ſumma colunt, illi depreßius ortum
Verſus & occaſum retinent ſua mœnia longè
Et latè ſparſi ad fines Aquilonis & auſtri.
Cùm venit è terris aliquis ſuper æthera, conſul
Temporis illius reducem cui deſtinet vrbi
Explicat, & ciuem æternum decernit in illa.
Certa magiſtratus illis vt & vrbibus iſtis
Iura ferunt certi, nec enim ſine lege putandum
Eſſe polos, leges patiuntur, & ordine regnant.
Mundus hic exemplum mundi cœleſtis, in illo
Exactum eſt, quicquid fragili modò nitimur orſu.
Diſcimus hic artis documenta, implebimus illic.
Ergo laborantem Decio ſub principe mundum
Dum regeret ſtygius proles Saturnia Pluto,

Dij ſcelerum quibus eſt ſtudium, coiêre frequenti
Concilio. Venus antè alios maga docta, iuuentæ
Et leuibus præfecta annis. Faber antè Deorum
Vulcano cui nomen erat, Cyllenius Hermes
Ingenio ac ſermone potens, & maxima frugum
Mater, Eleuſinis olim celebrata colonis.
Aeolus, & Tethys, & ſplendidus ora Cupido.
Tu quoq; quem Graij veteres dixêre bimatrem
Bacche; Mimallonides fuſis in terga capillis,
Mænades & Satyri tecum, temulentaq; turba
Baſſaridum, quibus officium tentare bibaces,
Atq; ciere ſitim, Veneremq; accendere potu.
Eſt ſpecus in campis Libyæ, Carthaginis altæ
Non procul à pelago, ſpecus intra viſcera terræ
Miſſus, opaca nemus denſum facit oſtia, magno
It longè ſpelunca ſinu, domus apta colubris,
Sole per æſtatem Libycos torrente colonos.
Hic, vt fama refert, quondam Sidonia Dido
Et pius Aeneas, declinauere procellam.
Hæc Venus antiquæ fraudis memor eligit antra
Texendis bona viſa dolis, ac talibus inſit.
Dij conſanguinei, dij quos ego ſemper amaui,
Ac colui, ſiue quis mihi nil fœliciter vnquam
Fas fuit ordiri, dudum deprenditis orbem
Terrarum à nobis dilabi, & quærere Chriſtum.
Hæc noua credulitas quaſi quædam incendia ventis
Flantibus, it flagrans, ſemperq; adoleſcit eundo.
Veſter honor paßim, veſtri reuerentia peſſum

Labitur, indecores ſine maieſtate, ſine aris
Mox eritis, niſi contra hoſtes attollimus arma.
Quòd ſi fortè aliquis contra obiectauerit, actum
De nobis ſine ſpe, nec eundum ſydera contra,
Dicite, num nuper, ne tempora priſca reuoluam,
Num licuit caſo Decium præferre Philippo?
Num licuit nobis ipſa intra mœnia Romæ
Principe Alexandro, cuius contraria nobis
Mater erat, tanti reſidens in culmine regni,
Cæciliæ vexare domos? ipſamq; virumq;
Cum Tyburte, licet claris natalibus omnes
Prodierint, gladijs inuito extinguere Chriſto?
Num regnante Pio, cuius clementia noſtro
Eſt æquata Ioui, duce me Ptolemæus ad aram
Iſidis, vt ſacros diuis accenderet ignes
Tractus? & vt ſpreuit Chriſtum abiurare, peremptus?
Hoc noſtræ potuere manus. Matertera Iuno
Mecum erat, & coniunx, & cum Mauorte Mineruа,
Coniurati omnes opus id concorditer auſi.
Vos quoq; Dij magni, Chriſtum vexare potentes.
Quid ſopita iacent corda illa ingentia, quondam
Cœlo, Erebo, terræ, & pelago dominantia, cur nunc
Sic oblita ſui? longa fortaſſe ſenecta
Genua labant? æuo forſan cecidere lacerti?
In venis cruor intepuit? cum tempore corda
Defecere? graues animi minuere cerebrum?
Tollite præſtantes animos, non omnia Chriſtus
Eripuit, noſtri ſupereſt pars maxima regni.

Nec plus ille poteſt,ſed vos,vt cernere promptum,
Degeneri ignauoq́; animo timidi atq; fugaces
Terga datis,ſuperaturi ſi vertitis ora,
Si in commune bonum noſtra omnia mittimus arma.
Titanes genus illud atrox quia fortiter auſi,
Terrorem incuſſere Ioui,ſi Iuppiter illo
Tempore ſegnis erat(ſcit qui ſtridentia in Aethna
Pro diuûm imperio cudebat fulmina coniunx)
Iſſet in æternum exilium:Quia fortia contra
Agmina,terribili contorſit tela lacerto,
Vicit,& oppreſſi bello iacuere gigantes.
Nos quoq; dum ſomnum ſectamur & ocia inertes,
Nil mirum ſi deſerimur,ſi noſtra per orbem
Regna infirma labant,ſi ſurripere omnia Chriſtus
Audeat,& fragiles in nos armare puellas.
Vincimur à ſcortis,pudor eſt tam grande fateri
Dedecus,illudunt nobis puerió;,nurusq́;
Cauſa mali vſq; adeò abſurdi atq; ignominioſi
Nil niſi de noſtro veniens ignauia ſomno.
Quo pacto Romani orbem,niſi grandibus auſis
Edomuere?tenax curæ ſententia & alti
Propoſiti,Senones Capitoli à vertice Gallos
Truſit:& obſeſſæ Pœnos à limine Romæ.
Non erat Alcides Antæo fortior,artus
Cernenti,aut Turno Aeneas,aut Hectore Achilles,
Aut Tydeus Lycophonte,animo veniebat ab acri
Illa potens virtus & inexpugnabile robur.
Vis igitur reuocanda animi.Victoria pendet
Ex

Ex animo, maiora facit qui fortius audet.
Sic Venus, accenſi comites ſermonibus iſtis
Obſequium ſpondent alacres, animosq́ reſumunt.
Ite omnes Venus, ite, inquit, dum in cardine res eſt,
Ite, magiſtratus Deciumq́ inuadite noctu,
Atq́ opportunis componite ſomnia formis.
Me in primis, me nanq́ putant (quod ſapius vnà
Riſimus) Aeneadum matrem, Veſtamq́ iugales
Horrentem thalamos, & cum genitore Quirinum
Indigitesq́ alios, ac tutelaria Romæ
Numina, quæ nulli fas eſt audire profano,
Fingite præſenti de tempeſtate dolentes
Multa queri, ingratis multa exprobrare latinis,
Multaq́ pro cultu promittere, multa minari
Pro impietate, Deos recolant poſſe omnia in omnes.
Et ſtudeant ritus veteres, & templa Deorum
Antiquo de more coli, Chriſtum orbe fugari.
Vtpote qui terrarum orbem ſubuertere, & ipſum
Romanum imperium velit extirpare, Deosq́,
Et ſe pro cunctis vnum regnare, ſuosq́
Neſcio quos de ſorte hominum turpi atq; nefanda
Collectos pro conſulibus, pro patribus vrbis
Ingerat, extinguens nomenq́ decusq́ latinum.
Pontifices etiam paribus regemq́ ſacrorum,
Præfectosq́ epulis, Salios, Titiosq́ ſodales
Irritate modis, & idonea tempora nacti
Inuigilate operi, rebusq́ vacate gerendis.
Mox vbi concluſi fuerint, indagine & aſtu

Capti homines veſtro, cœptis adhibete Megæram,
Et ſocias, quæ ſollicitent Deciana ſuperbo
Corda odio, & faciant ira excandeſcere atroci.
Hæc via, & his dictis ad res abiere gerendas.
Nona dies aderat, cùm tota excita repentè
Factio pontificum ſeſe longo agmine ad aulam
Proripit, alituum linguas & ſomnia docti
Conueniunt, & qui fumantia conſulit exta.
Qui rimatur aquas, & qui conſiderat ignes,
Qui pluuias, ſpecula, & pelues, nitidasq; ſecures
Inſpicit, & temerè deſcripta in puluere ſigna
A tellure trahens nomen, qui intelligit auras.
Qui lemures orco ciet, & genus omne magorum,
Cogitur, ac Decio intenti ſua ſomnia narrant
Commendantq; Deos patrios, & numina auita,
Quæ pater Aeneas poſt diruta Pergama ſecum
Vexit in Italiam, quæ obſeruauere Latini
Albaniq; patres, quæ antiquæ mœnia Romæ
Fundauere, quibus domuere authoribus orbem.
At Decius cui corda pari tumefacta veneno,
Quanquam animum cohibere velit, tamen æſtuat intus
Incompoſq; ſui, dum vult componere vultum
Fingereq; æquanimem, toruam truculentia frontem
Aſperat. & ſimilis tauro cum murmure rauco
Ire in bella parat, premit alta mente Philippi
Regna inuiſa, nouos ritus, quibus ille ſolebat
Obſeruare Deum, veroq; litare Tonanti.
Cogitat illius placita & ſancita refigi,

In

In nihilum redigi decora, & monumenta, minatur
Et cineri, delere ipſam delibèrat vrnam.
Frænari vlterius neſcit furor, imperat omnes
Chriſtigenas ad ſacra trahi Romana, negantes
Aere catenatos, cruciari, in fruſta ſecari,
Ablegari, vri flammis, & in æquora mergi.
Nuncius ad Gallos, ad Iberi fluminis arua
Vltima, ad Hybernos, Neptuniculasq́; Britannos,
Ad Graios, ad Cappadoces, ad Caſpia regna,
Vſq; Melanchlænos, vſq; ad pictos Agathyrſos,
Vſq; ad Amaſonias vrbes, Aſiamq́; per omnem
Cis Taurum, Romanus vbi coniungitur Indo,
Ad Maurûm, Numidumq́; domos, Getulaq́; rura,
Ad Libyæ campos, ad areniuagos Garamantas
Peruolat, ad Nili demum flagrantia rura,
Et Memphitis agros, vbi regna antiqua Deorum.
Hîc erat, vt fama eſt, atauis ſata regibus inter
Niligenas forma præſtans Apolonia Nymphas,
Splendida maiorum titulis, in murice & auro
Et magnis nutrita opibus, clara inclyta fama,
Docta nouas leges, hominem ſotera Deumq́;
A teneris confeſſa annis, ſyncera, viriles
Nunquam paſſa manus, nunquam paſſura, pudorem
Perpetuum ſummo cuſtoditura Tonanti.
Clauſa domi cum matre viam præcluſerat omnem
Delitijs, viduali habitu contenta, lauari
Neſcia, nil thermis debens, nec odoribus vllis.
Non capiti nardum, non inſtillabat amomum,

Nec Hierichuntinæ redolebat balſama ſiluæ.
Menſa breuis, condita fame, vulgare legumen
Eſca, vel hortenſes herbæ, frigentia lymphis
Pocula, producta inſeram ieiunia noctem
Sæpius, & ſemper victus ſine viſcere ſimplex.
Lucifer auroræ ſocius, qui cætera vincit
Sydera, iurauit nunquam vidiſſe iacentem.
Luce labor tota, noctu labor, ocia quantum
Ad vitam naturæ opus eſt, implumia ſtrata,
Et duris tormenta toris. patientia rebus
Optima in aduerſis, ſemper comes, innuba ſemper
Virginitas, nec non mater prudentia morum, &
Regula virtutum pietas, ancilla Tonantis
Religio, quæ templa colit, quæ præſidet aris.
In lare ſecreto mater, regnante Philippo,
Exiguam curuo ſub fornice fecerat aram,
Cum labro luſtralis aquæ, cum lampade, & igne
Perpetuo, diuos vbi ſola orarē ſolebat.
Hic ſuperūm ſimulacra, quibus cuſtodia gentis
Et tutela domus. Puer aureus, aurea virgo
Aurea lactenti quæ porrigit vbera nato.
Aureus ad læuam Simon, Romana futuras
Signa tenet claues, fuluum leuat aureus enſem
Paulus, & ad dextram ſtat miſſa in pectora barba.
  Huc veniens manè antè diem, ſero antè cubile,
Terreſtres animo curas, ceu nubila quædam
Importune aciem mentis prohibentia ſurſum
Cernere, paulatim meditando abigebat, & vltrà
Sydera

*Sydera proſpectum attollens, videt alta polorum
Culmina, in excelſo diuumq́; hominumq́; parentem
Contemplata throno cum maieſtate ſedentem
Illa infinita, quam circunfuſus, adorat,
Ingens ſpirituum populus, cui tartara curuant
Tam longinqua genu, mira dulcedine languet.
Ambroſiam nectarq́; bibit, terrena voluptas
His collata epulis taxum ſapit, atq; aconitum.
Nec iam viuit, eunt omnes in ſydera ſenſus,
Viſus abit, fugit auditus, trahit omnia ſecum
Mens ſublime volans, fugiunt ſuper æthera vires.
Et fit iners animi appendix & inutile corpus,
Terrigenum cœlo quorum eſt ſuccedere, multi
Serta manu formata Dei lauro atq; Amarantho
Texta gerunt, ſed in his ardet roſa, lactea in illis
Lilia reſplendent, violis vernantia quadam.
Laureolas dicunt, veterum monumenta laborum,
Horum autem genus eſt triplex, qui fortiter hoſtem
Et tormenta ferunt, primi: quos nulla voluptas
Inquinat, & Veneris furias domuêre, ſecundi.
Tertius aut grauibus ſcriptis aut ore docendo
Surgit honos. Alij quanquam ſine fine fruantur
Elyſio, nullis decorati inſignibus errant
Aetheris in campis, vt plebs ſine purpura & auro.
Sicut enim Romæ quondam, dum antiqua manebant
Regna, ſenatores primis, equitesq́; ſecundis
Stabant in gradibus, poſt quos ignobile vulgus
Immodicam lateq́; patentem implebat arenam,*

Sic amplas cœlorum vrbes populosq́ frequentes
Ordinibus varijs pater omnipotentis Olympi
Digerit,& proprios meritis diſpenſat honores.
Ex tribus his igitur duo prima inſignia virgo
Perceptura breui, turbam non ceſſat egentem
Paſcere diuitibus donis,& prodigit æra.
Seminat in terris quod in æthere colligat aurum:
Sedula, vicatimq́, inopes explorat & ægros.
Iamq́ propinquabant magno fatalia motu
Tempora, Nile tuas celerans Proconſul ad vrbes,
In quibus, vt fama eſt, priſcus regnabat Amaſis,
Nauigat Ionium ſenis cum faſcibus æquor.
Iamq́ ſuperba tenet victo quæ condidit orbe
Mœnia Alexander, graditur Ioue plenus,& alto
Lumina circumfert Pellæa per agmina vultu,
Martis equo ſimilis quoties per Thracia rura
Sub Domino greſſum moderans incedit,& ore
Terrifico accenſus, populos iubet ære canoro
Cogere,& hortari ciues ad ſacra Deorum.
Chriſtigenas verò Romani nominis hoſtes
Clamari, ſi ſacra negent Romana Tonanti,
Atq; rebellantes candenti ardere camino.
Vt ſolet obſcuros laqueis circundare ſaltus
Venator, canibusq́ feras excire latentes,
Ac premere excitas latratu in retia magno:
Sic ad templa pios miſſis qui lora ferebant
Vrget,& exorto fremit inclementia bello.
Ipſe ſedet celſo in ſolio ſtipatus vtrinq;

Fuſtibus,

Fuſtibus,& gladijs,& habet pro legibus arma.
Plebs leuis & rerum ſemper ſtudioſa nouarum
In fora turmatim rapitur,cupidumq́; videndi
Triſtia per vicos ruit ad ſpectacula vulgus.
Ecce catenarum nodis onerata cruentis
Truditur ex laribus patrijs Apolonia,regum
Progenies,lugente domo,ſub pondere aheno
Vix graditur,longæua parens in flumina ſoluit
Larga genas,totum in gemitus conſumitur ægrum
Pectus,inardeſcens dolor inteſtina piamq́;
Crudeli laniatu animam diſcerpit,euntem
Nata oculis ſequitur,quantum licet,vtq́; recedens
Paulatim ex oculis elabitur,eleuat ora
Cum clamore vocans natam,ſuſpiria natam
Ingeminant,querulo nihil eſt niſi filia in ore.
At poſtquam eſt penitus ſublata ambage viarum,
Ac ſi animam maternam abiens ſecum ipſa tuliſſet,
Concidit,& gelidos pallor ſuperinduit artus.
Commiſerans caſum luctu vicinia magno
Soluitur,& totis reſonat querimonia tectis.
Sola ſatellitibus truculentæ innoxia turbæ
Præda datur virgo. Tandem venit ante tyrannum
Romano faſtu inflatum,totoq́; tumentem
Dite.Puellari poterant præcordia forma
Iudicis accendi,tantus fulgebat in ore
Virgineo ſplendoris honor,niſi dira Megæra
Et Venus,& Veneris proles verſuta Cupido
Id veriti contra inſanos medicamen amores
S *Feciſſent*

Feciſſent ſtygio corda implacata veneno.
Continuò intorquens flammantia lumina conſul
Vociferat torvum, & vultu ſacra imperat atro.
Quid faciat populo in tanto ſub iudice tali
Certa mori virgo viridi vix nubilis æuo?
Stat veluti tepidis errans ab ouilibus agna
Inter mille lupos, aut inter mille leones
Caprea, quæ tenera producere cornua fronte
Incipit, aut aquilas inter philomena rapaces:
Cælicolæ qui rem ſcierant longè antè futuram,
Tempus adeſſe vident quanquam ſine tempore degant,
Mobilitas vbi nulla, dies quæ fecit & annos.
Curritur ad cæli ſpeculas, aperitur Olympus,
Et ſuperi ex alto ſcelus id tam immane tuentes
Horreſcunt animis, ſtratiq; antè ora Tonantis
Auxilium teneræ ætati concorditer orant.
Tunc oculis diuûm pater indulgentibus, ægram
Proſpiciens, quæ noſtra, inquit, clementia diui,
Quæ fuerit pietas, ſi, dum ſeruare puellam
Nitimur, & vitæ paucos adiungimus annos,
Non dubitamus eam gemina fraudare corona,
Et duplex auferre decus: Reſecabimus ergò
Quem fecit natura metum, natura beatos
Ignorans poſt fata dies, ſatis iſta ſuperq;
Auxilia in caſu tanto, nam pœna dolorq;
Non, vt cæca hominum putat ignorantia, mors eſt,
Quam modò falcatam fingunt modò arundine & arcu
Terribilem, metus eſt mortem qui fecit acerbam.

Sic

Sic ait, & magnos animos inſpirat ab alto,
Qui ferre arma queant, & contra ſtare tyrannum.
Extemplò aduertit mentem coaleſcere Virgo,
Luſtrari ingenium, rediuiua caleſcere corda,
Et ſua neſcio quid diuinum in pectora labi.
Fit facunda nihil trepidans, ſicq; ore locuta eſt.
Perdere nos fruſtra, conſul Romane, laboras,
Nam velut in ſyluis deciſa repullulat arbor,
Et multi ex vna veniunt radice nepotes,
Sic noſtrorum vno centum de funere ſurgunt.
Mors mea natalis multis ex agmine tanto,
Quos mihi ſufficiet pater, & me in regna ſequentur
Tranſmundana breui. Terrena colonia cœlum eſt.
Dijs verò, Romane, tuis de marmore ductis
Ponere ſacra nego, quia ponere ſacra nefandum.
Hæc vbi dicta, fremens conſul pertundite, clamat
Impia præduris pertundite cotibus ora.
Ne irritare deos Romanaq; numina pergat,
Nec mora, corripiunt ſilices, manibusq; leuatis
Virginis audaces caput inuaſere miniſtri.
Vt viſi excuſſo labi cum ſanguine dentes,
Fit clamor populo inſignem miſerante puellam.
Vimq; inferre parat lictoribus ore minaci
Turba ferens grauiter tundi tam immaniter ora
Virginis, & tanto impietatis turbine ciuem
Innocuam perdi. Serpit latè orta repentè
Seditio, & tanquam ſubitò freta concita cauro
Fluctuat iratum magno cum murmure vulgus.

Vt flagrare animo, pugnæq; accingere totam
Pene vrbem, ſtrictosq; enſes rutilare per auras
Proſpicit, infectis rebus ſubit atria conſul.
Et glomerata cohors raptatam in tecta puellam
Detruſere caui horrentem ſub carceris vmbram.
Nox erat, & magna cœlum vertigine quædam
Sydera tollebat, quædam inclinabat in vndas
Oceani, & pleno lucebat Cynthia cornu,
Cùm celer à ſummo cœlorum elabitur axe
Nuncius, ingrediensq; locos vbi ſaucia virgo
Orabat gelidi reſidens ſuper aſpera ſaxi
Dorſa, repentina humentem luce abſtulit vmbram
Atq; ait. O ſtudium ſuperorum, ò cura Tonantis
Vnica, cœlitunm ſedes habitura ſuperbas,
Fer magno tormenta animo, tibi craſtina palmam
Eſt latura dies, flammis abolebitur omne
Quod mortale geris, nec erit tibi flamma dolori.
Impete nanq; vno vitalem incendia ſenſum
Surripient, animam membris labentibus ipſe
Protinus educam, veniesq; in ſydera mecum.
Atq; triumphato capies noua regna tyranno,
Neu dubites membra hæc, quæ nil niſi teſtea quædam
Sunt animi vaſa æterni, deponere mentem
Scito reuerſuram nunquam ad ſancta illa piorum
Concilia & cœtus ſuperûm, niſi pondus & vmbram
Diluat, ac fiat ſine mole eſſentia ſimplex.
Nunc ſe oblita graui cubat in tellure ſepulto
Ingenio, atq; alienato velut ebria ſenſu.

Res mira, vt fuerit tandem ſibi reddita, ſurget
Tota oculus, tota ingenium, pertaſa cloacam
Corporis, exhorrens tam obſcura obſcœnaq; clauſtra.
Functa paroxyſmis curarum, exuta proteruos
Omnino affectus, læta, & nihil indiga rerum
Terrenarum, igni leuior, pernicior Euro,
Et ſemper ſine nocte vigil, ſine lumine lumen
Semper habens, ſine luce videns, impunè per ignes,
Subter aquas impunè means, ignota, nec vlli
Viſa, die noctuq; vias, fora, templa, peragrans
Pro arbitrio, ſubiens etiam penetralia tecta,
Et quæcunq; putent homines arcana ſubintrans,
Nil mortale timens, hominum quoq; fallere ſenſus
Et mutare potens, & perſuadere quod optat.
Deniq; ſufficiens ſibi ſola, ſimillima diuis,
Sic ait, & placidis afflatam leniter auris
Integrat excutiens heſternam à pectore cædem.
Continuò apparent varijs ſub vultibus ora
Plurima diuorum in vacuo pendentia cælo.
Multaq; de ſuperûm patria, de principe diuûm
Fantur, & hoc languentem animant ſermone puellã.
Conſulis heſterno rabies perterrita caſu
Roditur, & ſimilis colubro, qui vulnere tardus
Hæret humi ſeſe intorquens, iram atq; dolorem
Concipit, & duplici corda irritata veneno
Nec frenare poteſt, nec opus differre nefandum.
Egerat inſomnis noctem mala plurima voluens
Quæ ſanctis inferre parat, mens perdita languet

*Quòd nequeant peiora dari. Conſiderat ignes,
Vincla, cruces, gladios, & verbera, concipit omne
Quod torquere poteſt, Siculorum antiqua reuoluit
Geſta Tyrannorum, nunquam intellecta deorum
Callidus interpres meditanti Athlantius offert.
Mille modos graſſandi aperit, Aphrodiſia mille
Progenies, totidem Mars & Tritonia, diro
Nil ſatis eſt odio, de tot cruciatibus iram
Nil explere poteſt, bilem nihil æquat acerbam.
Dumq; animos agit in gyrum veſana libido,
Surgit, aceruariq; iubet propè littora ponti
Ligna ſtrue ingenti, mox de ſquallente barathro
Per poſtica trahi facit ad tormenta puellam,
Mœnibus occluſis, ne ſeditione cruentum
Perderet excita rurſum, velut antè, laborem.
Ipſe ſatellitibus properat ſtipatus, & armis,
Et Meleagræo quam mox furibundior apro
Atq; Calydonij facie truculentior vrſi
Imperat accendi porrectam in ſydera miſſo
Igne pyram, fraudum artifices ſcelerumq; magiſtri
Diui adſunt, iram ſtimulis odiumq; cientes.
Ventipotens ſubitò lictoris imagine ſumpta
Aeolus adductis correptam follibus auram
Comprimit, & fauces adiungit follibus amplas
Pronus humi, bucceisq; tumentibus incitat ignem.
Mulciber in ſpeciem prunarum euadit, & ardens
Ligna ſubit, flammamq; leuat per inane volantem.
Tu, fœdos vertens oculos, & in ora puellæ*

Conſul

Conſuliens cilio adducto, ſemel elige clamat
Aut vri, aut noſtris libamina ponere diuis.
Illa autem ſurſum verſo paulùm ore morata eſt
Oranti ſimilis, mox ſe conuertit ad ignes
Subridens, vultuq; hilari diſſoluite, dixit,
Vincla pedum, manuumq; graues auferte catenas,
Conſulis vt mandata ſequar, tum protinus illam
Expediunt læti properare ad ſacra putantes.
Ipſa nihil dubitans poſtquam veſtigia ſenſit
Libera, prærapido ſubit alta incendia curſu.
Flammarum ſubitò circum ora volubilis vnda
Fluctuat, & bibito ceſſauit anhelitus æſtu.
Exanimum corpus veriti conſumere numen
Aßiſtens ſenſere ignes, circumfluus ardor
Lambere contentus tanquam daret oſcula ſacra
Relligioſa cuti, membra inuiolata reliquit.
Chriſtigenæ noctu dubitant inferre ſepulcro
Relliquias, vario inter ſe ſermone loquentes.
Ambiguum tandem pietas animoſa timorem
Vicit, & egreßi in littus rapuere cadauer
Syncerum, quod nulla auium, quod nulla ferarum
Attigerat morſu, ſine ſigno ardoris, amomum
Ad cyprum redolens vultu venerabile pulchro.
Illatumq; vrbi ſcalis ad mœnia mißis,
Fonte lauant tepido, myrrhæq; liquoribus vnctum
Dant tumulo gemebundi omnes, multoq; rubentes
Fletu oculos, totamq; trahunt in funere noctem.
Mens ſuſcepta choris ſuperûm tranare volatu

Incipit excelſo rubri ſuper æquora ponti
Alitis in morem, Riphæa cacumina læua,
Aethiopes dextra videt, oceanumq́; calentem.
Trans Arabes fugit, & Perſas, Carmanica regna
Tranſit, & Indorum fines, vbi labitur Indus
In mare multiuado curſu, procul aſpicit amnem
Gangis, & in tumulũ veniũt, vbi magnus Hiarchas
Dicitur agreſtes olim docuiſſe ſophiſtas.
Hic intermiſſo paulùm requieſcere curſu
Dijs viſum, gelida palmæ reſidere ſub vmbra.
Tum veteres animo voluens Apolonia curas
Sic fatur. Quæ mortales amentia diui
Tanta premit, quæ lux oculos perſtringere, quæ nox
Vſq; adeò obcæcare poteſt, vt cernere non ſit
Fas longos quæ ærumna dies, quæ damna ſequantur.
Tempora nec videant ſibi noxia, corpora olentes
Eſſe ſepulturas, terrena negocia ſaxum
Siſiphia ceruice cadens, vndamq́; ſororum
Pertuſis labentem vrnis. Ixionis orbem,
Eſſe metus, eſſe inſidias, eſſe anxietates,
Quæ torquent roduntq́; animos fallacia, poma
Et mendacis aquæ fluuium quem Tantalus ore
Inſequitur, ſpes inualidas, ſudataq́; fruſtra
Vota hominum temerè audentum, cum corpore vinctã
Ferre animam, quicquid pœnarum aſcribitur orco
Proſequitur, mirans itidem mortalia corda
Sic horrere necem, quam ſi dignoſcere fas ſit,
Sponte ſibi aſciſcant, naturæ arcana videndo

Gaudet, & exultans oculis circumlegit orbem
Terrarum, pelagi ſtagna alta, volubile cœlum.
Vnde lacus amneſq; fluant, quæ fontibus vndam
Suppeditent cauſæ, cur terræ immobile pondus
Pendeat, & cur tot ſæclis flagrauerit Aethna.
Cur careat ſemper pluuijs, cur flumine tanto
Aeſtuet Aegyptus, Niliq; intelligit ortum.
Quid moueat molem vndarum, qua lege ferantur
Aequora, qua volucres veniant ab origine venti.
Quas maculas luna ore gerat, quid ſydera verſet.
Quot cœli, quot eorum axes, an in omnibus vnus,
Num ſint corporei, num ſint ſine corpore diui.
An mundus ſine fine capax, an limite certo
Clauſus, & an viuant, & ſint animantia cœli,
Omnia mente capit, nihil eſt quod ſcire volentem
Effugiat, nihil eſt rurſum quod habere volenti
Deficiat, ſecura necis, ſecura dolorum.
Taliter affectæ ſuperi quid perdimus, aiunt,
Tempora? diuinorum operum ſi tanta voluptas
Scire genus, quid ſcire Deum? præſentiaq; ora
Cernere? nil aliud potis eſt ſperare voluntas
Altius. Huc curſus, noſtris hæc vltima votis
Meta, quid hic terimus verba inter plurima tempus?
Ergò iter ingreſſi ſeq; in ſublime leuantes
Prætereunt Indos, iam nil niſi pontus & auræ
Sub pedibus, ſuperant ignes, in aperta feruntur
Atria cœlorum, tenebrarum expertia, nocti
Inuia, vix tellus (tam paruo includitur orbe)

In medijs apparet aquis, iam ſydera gaudent
Contrectare manu, vadunt quà tempora veris
Incboat & gelida Titan deſcendit ab vrna.
Aſtra ſupergreßi iuga ſumma ardentis Olympi
Tandem ineunt, vbi diuorum domus atq; Tonantis
Curia, & noſtro requies non cognita mundo.

Baptiſtæ

BAPTISTAE MAN=TVANI CARMELITAE, THEOLOGI, PARTHENICE Septima, Cæcilia.

Ad Illuſt. Eliſabellam Mantuæ Marchioniſſam.

ARGVMENTVM IN NATALEM, Vitam & Agonem diuæ Cæciliæ, ab Aſcenſio collectum,

CÆCILIA clariſsimis natalibus vtpotè in Gracchorum ſtemmate Romæ edita, nobilitate animi & virtutum præſtantia omnes virgines ac matronas Romanas longè ſuperauit, à nullis autẽ in conſtantia paſsionis pro Chriſti nomine facilè ſuperata, at triplicis aureolæ virginis videlicet prædicantis & martyris contendiſſe viſa eſt brauium. Nam virginitatem quidem non modico tutata eſt ſudore, nec exiguo decorauit fructu. Nã Deo authore, Valeriano iuueni, adeò nobili & è Corneliorum (vt poëta aſſerit) familia, eo nupſit animo, vt ille nõ florem virginitatis ſuæ libaret, ſed ſecum ad Chriſti religionem perduceret, quod haud ſegniter effecit, Nam & Tyburtium illius fratrem paulopoſt

ad eandem fidem & martyrij coronam vocauit. Nec eos modò ſed ſexcentos quoq; alios miraculo rerum victos. In quo facto, declamatoris ſeu prędicatoris nō oſcitabundi munus obijt. Martyrij verò, id eſt, teſtimonij de Chriſto partes, nemo fortius, nemoq; animoſius depleuit, ſecundum poëtę noſtri luculentiſsimum de ea re poëma. In quo hæc ferè narrandi ſeries obſeruata eſt. Cæcilia Gracchorum proles Caio patre & Tyberio patruo non priſcis illis ſed recentioribus Gracchis nata, à teneris vnguiculis Chriſtianam pietatem didicit, coluit & obſeruauit, & ab Vrbano ſummo pontifice in Chriſtiano dogmate erudita & baptiſata, admirabili morū probitate prædita, in paternis ædibus delituit. Vrbano in cryptis & ſubterraneis locis vitam agente. Ad quem clanculum miſsitauit munuſcula, & quos ad fidem propenſos nouit, vt ab eo confirmati baptiſarentur, direxit non paucos, cuius ſanctitati & occultis fidei incrementis, Iuno, Venus, Mars, Mercurius & Romanę ſuperſtitionis dij cæteri, inuidētes, parentes excitarunt vt iam maturam viro nuptum darent, ſperantes amorum illecebris pietatem illi minorem fore, & virginitatis gloriam periturā. Sed Deus piarum mentium protector, angelum miſit qui doceret illam non virginitatem per matrimonium amiſſuram, ſed ſponſum cum eius fratre Chriſto lucraturā. Quæ res ſic euenit. Quum in cubiculum ſponſi introducta eſſet & ſecluſis arbitris inter ſe, vt fit, amanter confabularentur, eſt, inquit ſpon-

ſponſa, quod te ſcire velim arcanum, vix cuiquam mortalium adhuc cognitũ. Eſt etenim mihi à Deo ſummo datus cœleſtis miles, de illorũ exercitu qui ſemper antè faciem optimi maximi Dei perſiſtunt. Is zelator eſt pudicitię meę, vſq; adeò vt ſi per impudicitiã me attigeris, illico perieris. Quo audito, nũ, inquit, me ludis Cæcilia, periculum factura an muliebri ſim animo qui id tibi credam, & tam leui argumento ab optato amplexu arcear? Non, inquit, ludo. At caue temerè quicquã faxis. Tum ille, fac igitur iſtum amatorem tui videam, & verbis tuis fidem habebo. At illa, Nõ omnibus, inquit, datum cœleſtes videre, id etenim ſolius purgati animi eſt munus, verum ſi fidẽ mihi habes & ſacris iuſtis initiari vis, inueniàm tibi viam, qua militem hunc cœleſtẽ quẽ angelum vocamus inſpicias, & particeps præmiorũ nobis propoſitorum fias. Ille fac, inquit, amabo experiar, paratus ſum quę iuſſeris exequi, modò deluſum me nõ cognouero. At illa, vade, inquit, ad cryptas extra Capenam portam antè lucẽ, inuenieſq; pauperes ad ſacra properantes, quibus vbi te dixeris à Cæcilia ad Vrbanum miſſum ſtatim ad ſenem ſanctitate & canicie venerabilẽ pduceris. Credidit, abijt, perductus eſt, fidem didicit, baptiſmum ſuſcepit, & in diluculo ad ſponſam reuerſus, offendit angelum miro ſplendore coruſcum, qui duo ex paradiſiacis roſis ſerta in brumali tempore apportauerat & qui altera ſponſi, altera ſponſæ impoſuit capiti, multaq; de cœleſti gloria, de virginitatis corona, de fidei

ſidei merito, de Chriſti in genus humanū dilectione locutus, cum mira fragrantia in cœlos ſeſe recepit, Tyburtius autem Valeriani qui ſponſus erat frater, florum fragrantia attractus, in cubiculum fratris irrupit, & nouitate rei ſtupefactus, ab eis fidei didicit myſteria, & quæ ipſis contigerant cognouit, cœpitq́ꝫ orare, vt ſibi ſimilia ſperare liceret, Miſſus itaq́ꝫ nocte ſequente ad Vrbanum pontificem & ab eo fidem edoctus & baptiſmo purificatus in thalamū nuptialē rediit, & ab angelo, qui ad hoc venerat, roſaceū ſertū accepit. Quem fidei ſucceſſum ægerrimè ferentes ſupra dicti dæmones, Almachium præfectum vrbis noctu adeunt, multaq́ꝫ minitantur & ipſi & imperio niſi nouam ſectam Chriſtianorum nimia incremēta accipientem, deleret, qui edoctus Valerianum & Tyburtium in ea eſſe hereſi, ad tribunal accitos & fidem palàm profeſſos, ſecuri percutiendos iudicauit, Cæciliamq́ꝫ, aut vt eius rei authorem, aut ꝙ diuitem norat, eius patrimonio inhians ad tribunal ſiſti iuſſit. Cuius forma captus ſtatim blandiri cœpit, at cùm nihil proficeret in furorem verſus, nudam in bullientis aquæ labrum inijci iuſsit dictitans vi aquarum eius duritiem ſe emollitarum. Sed ne ſic quidē voti compos euaſit. Verum cùm triduum tenta in feruētiſsimo aheno, læta & ſpei plena fidem doceret, nihilq́ꝫ mali ſentiret, quam plurimi aſsiſtentium & rei nouitate ſtupentium, ad Chriſtum cōuerſi Chriſto nomina ſua dedere, & martyrij coronam paulò poſt recepere. Amens igitur & conſilij animiq́ꝫ inops

Alma-

Almachius,ſpiculatorem miſit qui virginem ſecuri percuteret, ſciens illud ſemper letale vulnus compertum. Virgo tamen vt res ſuas in pios vſus diſtribueret, & in fide adhuc dubios per Vrbanum confirmaret, orauit vt percuſſa nondum expiraret, quapropter ſecundum plurimos triduum ſuperuixit,demumq́ cum ſolenni triumpho in cœlum aſſumpta eſt. Hanc autem triduanam poſt percuſsionem vitam,conſultò vt non ſatis veriſimilem, præteribit author noſter, Cætera tam graphicè tamq́ diſertè conſecuturus, vt multum veræ laudis vel in hoc vno libello meruerit.

LABITVR ecce nouus furor in præcordia, numen
Sentio, & vt Zephyrus veniens ad vela rudentes
Excitat, atq́ ſinus inflans ad carbaſa ludit,
Inuitatq́ ratem, ſic me diuina ſilentem
Vis mouet, & mulcens animos in carmina ſenſum
Prouocat, ac ſegnes animat dulci igne medullas.

Cæciliæ

Ceciliæ partos, victo Plutone, triumphos,
Me fide, qua vates memorant heroica regum
Geſta, Deus narrare iubet, mandata capeſſo,
Iamq́; viam ingredior, nec enim fas numina contra
Stare hominem, fluctus igitur ſulcabimus iſtos.
Atq́; breui magnum curſu tentabimus æquor.
Roma tot illuſtres animos enixa, quot ingens
Enumerare labor, nihil hac præſtantius vnquam
Virgine ad hoc æuum, ſeu qui Mauortia bella
Geſſere inſpicias, ſeu quos facundia & artes
Ingenuæ exornant, primis produxit ab annis.
Nota domus Veſtæ, nota eſt Lucretia ferro
Vlta ſcelus, proramq́; trahens per Tybridis amnem
Fœmina, & exiguo ſecuit qui grandia cultro
Marmora, & ambuſtæ victrix conſtantia dextræ.
Et Reguli vulgata fides, patientia Quinti
Et Curti, & Fabiæ pietas altiſſima gentis.
Ac quicquid foris atq́; domi Romana peregit
Vis hominum domitrix, dijs immortalibus æqua,
Omne opus hac virtute minus, terram illa ſubegit,
Iſta deos, qui cœli arcem, qui inferna tenebant
Flumina, tartareoſq́; lacus, vt fama ferebat.
Hæc ſata ſublimi Gracchorum ſanguine virgo
Clara atauis, opibuſq́; potens, pulcherrima forma,
Nubilis, ac tenero, florens & amabilis, æuo,
Concepit diuinum ignem, cœleſtibus auris
Eſt afflata, Deum labentem in corda recepit.
Sic affecta Deos, Capitolinumq́; Tonantem

Reppulit ex adytis animi, rituſq; nefandos
Deteſtata, nihil niſi vatum oracula, & ipſum
Quem Iudæa Deum faciunt præſagia, Chriſtum
Mente gerit, Chriſtũ ora ſonant, Chriſtũ intima voluũt
Pectora, & his ſanctis cedunt mortalia curis;
Omnia, nil niſi cœleſtem voto expetit aulam.
Vrbanus pater Vrbis erat, quo tempore primum
Attollente caput iam relligione parumper
Accumulari opibus varijs eccleſia cœpit.
Tunc conflari aurum in calices, tum ſacra ſupellex
Quæ fuerat lutea antè illos & fictilis annos,
Eſt data ab aurificum noſtris incudibus æris.
Hic docilem ſacros ritus vt viſa puellam
Percepiſſe animo, verbis luſtrauit & vnda.
Et bona fœlicem dedit ad cœleſtia curſum.
Stabat clauſa domi, vitamq; ignota ſub vmbra
Cœlibe, congreſſus iuuenum pertæſa, trahebat.
Aßiduus teneris manibus labor, ocia nunquam,
Sobria, & exili dape delectata, decorem
Et figmenta odio mundi muliebris habebat.
Fœmineis cum luce operis defuncta legebat
Ad multam vigilans, diuina volumina, noctem.
Sicut ad ignotum Phryxi ſub ſydere fontem
Roſida in aprica vernant violaria ripa,
Sic pia in occulto floret Cæcilia tecto
Secretis contenta bonis, ſub numine Chriſti.
Sed nulla eſt diuturna quies, ſecura ſub aſtris
Proſperitas (terram & pelagus circũſpice) nunquã eſt.

Dÿ veteres quibus eſt virtus inimica, latentẽ
Inuenêre, dolis probitatem extinguere adorti.
Nam Venus & Veneris (ſi fabula vera) Cupido
Filius, ardeſcente æſtu liuoris & iræ
Aggreßi mollire animos, ſubuertere ſanctam
Cæciliæ fultam diuis & numine mentem,
Confeſtim Iunonem adeunt, & in arce Monetæ
Qua, Torquate, tibi ſteterat domus antè, repertam
Sic affata Venus nato aſtipulante loquenti
Nutibus, & pondus verbis vultu adÿciente.
O germana Iouis, quæ pronuba diceris, ecce
Quo ſors noſtra loco, totum qui reximus orbem
Et Romam maiorem olim toto orbe, fugamur
Vndiq; & armati Chriſto hoc pueri quoq; noſtros
Subſannare audent ritus, & in ora Deorum
Expuere, in te etiam diuûm regina Tonanti
Connubio iunctam fanda atq; infanda loquentes
Idq; impunè. Quid hoc fati? fugere columbæ
Chaoniæ. Dodona ſilet, non hiſcit Apollo
Delphicus, in Libycis Hammon malè tutus arenis.
Nam loca ſyluicolæ quidam deſerta peragrant
Illa, viri Maria elati, Chriſtoq; ſuperbi,
Qui nos antiquis extrudunt ædibus. Ergò
Fugit hyperboreum verſus mare ad arua Dianæ
Tauricæ, & ignotus montana perambulat antra.
De noſtris propè iam rebus tam turpiter actum
Heu pudet. Aduerſum Chriſti hoc ignobile vulgus
Nil audere, quid eſt aliud quàm cedere regnum

Dijs alijs, & inire fugam & ſemel omnia labi?
Cur tam ſegni animo ſumus, ô marterteraꝰ cur non
Si vi fortè minus niti licet, arte, doliſq́;
Aggredimurꝰ nuper iuuennem Chriſti omnia doctum
Somnia, nocturnas ſacrum dum ſoluit ad aras
Antè oculos mulierum adigens, tanto igne repentè
Corripui, vt neq́; maiori flamma ardeat Aethna.
Corripui, teneoq́; hærentem faucibus hamum
Nec niſi compreſſa ceſſabit flamma puella.
Mox vbi reddiderit grauidam, ſcelus antè parentum
Ora ferens armabo odijs flagrantibus, omnes
In furias atq́; arma traham, ſceleri ſcelus addam.
Nil plus Chriſtigenæ reliquis mortalibus (ipſa
Experior) quanquam lotos ſe flumine iactent
Neſcio quo (ſcit natus) habent, æquè ignibus ardent
Fœmineis, æquè argento capiuntur & auro.
Cur genus hoc, ſi fas non eſt euertere, ſaltem
Non vexamus, eum quem iniuſtè vſurpat honorem
Commaculandoꝰ habeant hoſtes, ſi ferre recuſant
Nos dominos, ſonet aßiduo ſub verbere tergum.
Seruiles plectendi animi ſeruilibus armis.
Qui procul à Chriſti gregibus mala vota ſequuntur
Hi dum vita comes, quò tutius omnia vadant
Per ſcelera, audaces ſine ſuſpitione pericli
Dißimulato odio ſunt in ſua damna iuuandi,
Donec ſorduerint penitus, poſt fata trahendi
Per chaos obſcurum noſtri Plutonis ad vmbras.
Qui nequeunt flecti, Chriſtoq́; tenacius hærent

Cogendi ſtimulis, vt colla rebellia tandem
Vel iuga noſtra ferant, vel non impunè recedant.
Quôd ſi fortè roges quid in has modó, diua, querelas
Me impulerit, cauſam irarum, iuſtumq́; dolorem
Accipe. Cæciliam veteres quæ in ſtemmate Gracchos
(Scis genus elatum Gracchos agrariaq́; arma)
Cenſet, ab aſtrorum curſu deprendimus ortam
Sub fato quo nata ſoror Pollucis, & ora
Significant, habet os Helenæ, ſi pectora cernas
Et iugulum, te, Lede, Helenam vidiſſe putabis.
Sic cilium, ſic illa comas, ſic membra ferebat.
Et quæ nuda patent, & quæ velata feruntur.
Vt facies ita mens Helenam ſapit, inſita cordi
Virgineo mea ſunt, quod in æthere ſydera lucent.
Hac poteram reſides, & ſegnia pectora, & ipſum
Flectere Saturnum, patrem quoq́; teſtibus orbum.
O mihi perpetuo iacturam ardore dolendam
Surripuit Chriſtus mihi, tam bona præda repentè
Caſsibus effractis euanuit, vna relicta eſt
Spes mihi ſi poſsim patri ſuadere hymenæum,
Fortè pedem referet, ſi gaudia noſtra parumper
Hauſerit. inſinuabo illi me protinus ipſam
Et puer iſte meus, quo non præſtantius vllum
Numen, ad euertendum animos, & in omne trahendũ
Corda humana nefas, mecum inſidiabitur illi.
Aſtra reuiuiſcent, quæ ſunt ſopita lauacri
Relligione noui, præcordia Pleias intra
Influet illecebras, tetriciq́; obliuia Chriſti.

Tutha-

Tu thalamis præfecta, tuum, matertera, munus
Id fuerit, miſerere animi in mœrore iacentis.
Sic Venus: at Iuno paucis ita fata, deorum
Quam Venus intulerat, longa illa ambage relicta
Semper ego à teneris, etſi contraria quondam
Aeneæ ſunt viſa tuo, Venus alma, Dione
Et Ioue nata, tamen (teſtis mihi Iuppiter & Mars)
Te colui ſemper, tua lumina ſemper amaui,
Lumina peta, genas roſeas, & eburnea colla
Marmoreaſq; manus, & pectora luſibus apta,
Cunctaq; ſub molli latitantia cyclade membra.
Et quid opus multis? per te ſum pronuba, per te
Sum thalamis præfecta, meus labor irritus omnis
Ni Venus affuerit, mea quid connubia proſint
Si tua defuerit, quæ procreat omnia, virtus?
Vtere me, tua ſum, quocunq; vocaueris, ibo.
His ſubito dictis latum Saturnia clauum
Induit, & canos effingit & ora Tyberi.
Huic Caius germanus erat. Cæcilia Caio
Vnica nata, igitur Caium propè roſtra repertum
Poſt capitolini ſublimia templa Tonantis
Aggreſſa eſt Iuno tali ſermone: Tuarum
O germane, decet curam me aſſumere rerum
Et te (ſic pietas monet, & natura) mearum.
Eſt tibi nata, viro iamiam matura, nepotum
Quæ ferat egregiam ſobolem, laſciuia noſtræ
Tanta iuuentutis, Romæq; licentia in horas
Turpior euadens, patres monet, eſſe verendum

Ne indecoret linguoſa domos infamia claras.
Hoc iamdudum alta mecum dum mente reuoluo
Sæpius, occurrit iuuenis mihi ſemper imago,
Et mihi ſæpè etiam in ſomnis, vt credere veri
Sit ſimile à diuis hoc emanare, recurſat.
Hic eſt vt paucis tibi me, germane, reſoluam
Hic eſt Corneliæ priſco de ſanguine gentis
Vallerianus, opum diues, Romana iuuentus
Tota minor, ſeu rem ſpectes, ſeu ſtemmata patrum.
Seu mores, ſiue ingenium, quam corpore mendam
Veſtigare potes? quis ſic animoſus in armis?
Indole quis tanta veteri reſpondet auorum
Maieſtati? animo ſi rem amplexabere, Magno
Hic gener eſt, iuuenem cautè explorare memento.
Non opus hic longa verborum ambage, paratum
Et iuuenem inuenies & vtrunq; in vota parentem.
Non loquor in ventos, non eſt modò copia fandi
Omnia, quæ noſtras egit bonos author ad aures.
Tolle moras, dum ſe præbet fortuna ſecundam,
Res patranda dies cùm venit idonea, qualem
Hanc tibi polliceor, ſuſcepta negocia currunt
Sponte ſua, velut acta ratis fœlicibus auris.
Talibus inflexit patrem Saturnia dictis.
Nuncius interea, nec enim ſine numine poſſunt
Res hominum (ſic ſunt fragiles) ſubſiſtere, ab aſtris
Labitur, & nympham thalamo interiore latentem
Talibus affatur dictis, aperitq; futura.
Quod cupis ô dilecta deo Romana virago

Accipies, alti de ſedibus ætheris vnam
Inſignem, claram, æterno ſplendore micantem,
Iam dudum omnipotens rerum tibi deſtinat author.
At caue, nam Lemures qui cum Plutone ſuperbo
In ſtygijs habitant vmbris, tibi retia tendunt,
Retia nos illis, ſic arte repellimus artem.
Si te fortè pater mandarit nubere, nube.
Ne dubita, tua virginitas, vt poſcis & optas,
In tuto eſt, dormi noſtra ſecura ſub vmbra.
Sed grandes ad magna animos certamina tolle.
Neue Tyrannorum vultus horreſce, minasve.
Nam quò clara magis venias, pugnare neceſſe eſt,
Et duplicem palmam accipies, duplicemq; coronam.
Tecum erimus, quodcunq; oculis mortalibus infert
Horrorem noſtro obſequio puerile & inane
Experière, animum compone, & pectora firma.
Vir tuus & frater (cœlo res cognita dudum)
Ad ſuperos tecum venient, & in æthera prædam
Magnificam ducens magno excipiere triumpho,
Maiori quàm Roma vnquam decreuerit vlli,
Qui patriam victo ſpolijs ditauerit hoſte.
Sic ait, & tenuem rediens ſe traxit in auram.
Continuò afflari ſenſit præcordia magno
Numine, & à terris penitus diſcedere totum
Pectus in æternam lucem Omnipotentis Olimpi,
Excitaq; in magnos auſus euadere corda,
Atq; recentatos ſenſus exurgere longè
Fœmineum ſuprà ſexum, atq; aſſumere vires

Suprà hominem, ſuprà omne quod eſt mortale, caducũ,
Mobile, diuinum viſa eſt euadere numen.
Interea iunctis coëunt in fœdera dextris
Vtraq; gens, magnoq; ineunt conuiuia luxu,
Ductaq; priſcorum decora & præconia laudum.
Hos verò ad gentis titulos vtriuſq; trahuntur
Geſta antiqua patrum, Libyæ memorantur honores.
Hannibal è Latio fugiens ſpes irrita regni
Sidonij, & victæ toties Carthaginis arces.
Bella Pyrenæos vltrà flagrantia montes,
Quà Tagus & Bethis, quà flumina voluit Iberus
Adijciunt, bellum adijciunt crudele Sagunti,
Mœniaq; obſeſſæ iam deſperantia Romæ,
Scipiadum ſeruata manu, ſulcata Latinis
Punica nauigijs freta, tot victricia ſigna,
Tot facies in vtraq; domo, tot picta trophæis
Atria, tot ductos Iouis ad capitolia currus.
Addunt & geminos famæ memorabilis angues,
Mollibus in plumis intra conclaue repertos,
Exemplum fidei, & monimentum inſigne iugalis.
At virgo iam facta Nurus, licet omnia credat
Tuta, videns tamen ingenium procliue mariti
In Venerem, & totis hominem flagrare medullis
Sollicitatur, opem diuorum implorat, & omnes
Exorans ſuperos iterat ſuſpiria, & altos
Dat gemitus intrà foribus penetralia clauſis
Semper, & his precibus noctemq; diemq; fatigat.
Da caſtum, da, ſancte pater, retinere pudorem,

Da ſeruare fidem, da vincere tartara, & omnem
Vim Plutonis, ades tanto in diſcrimine Chriſti
Sancta parens, ne immunda Venus, ne fortè Cupido
Ille ferens (vt fama) faces, & tela, Cupido
Dira lues iuuenum, potis inflammare medullas,
Præualeat, neu me inceſtus ſine polluat ardor.
Da mihi da ſimilem fieri tibi, porrige dextram
Diua, nec ancillam ſine fœdam incurrere labem.
Per graue ſupplicium nati, per vulnera quinq;
Perq; obitus, & per ſeptem tua gaudia teſtor,
Diua veni & ſancto afflatu mihi pectora obumbra.
Addebat precibus ieiunia, flumine menſam,
Menſam onerans pomis, olere atq; legumine inuncto
Nodoſis Cilicum ſetis & olentibus hircis
Ad nutum ſuccincta, togas extrinſecus auro,
Argento, gemmisq; graues inuita ferebat,
Sic patre ſic patruo, ſic illam vrgente marito.
Iamq; dies aderat genialis, & atria multo
Strata thymo, vernant poſtes redolentibus herbis,
Hic Amaranthe rubes, hic Myrtus, & innuba Laurus
Halat, & aulæis ſplendet domus alta ſuperbis.
Dumq; Lyrę, Lydosq; modos, Phrygiosq; ſonarent,
Dum ſtreperent cytharæ, dum mollibus organa cannis
Concinerent, facibus latè lucentibus inter
Noctis opacæ vmbras: Virgo pſallebat ad aures
Cælituum, Chriſti annales ad pectora clauſos
Veſte tegens, Chriſtumq; arcano in corde volutans.
Nox ruit, & medio piſces attollere curſu

Incipit, inſanum iuuenem Venus atq; Cupido
In furias agitant, in virginis ora ſinumq;
In gremium figunt hominis mentemq; animumq;
Luminaq;, impatiensq; moræ, ſimilisq; furenti
Eridano, cùm fert lapſos ex alpibus imbres,
Aut equiti quoties pugna impendente tubarum
Incitat, & reſonans fluit in præcordia, clangor.
Aeſtuat, inſanit, tremit omnia membra, Cupido
Corda premit, memorat præſentia gaudia Iuno,
Deuorat illam oculis, & aperto abſorbet hiatu.
Inſtat hians prædæ, ſicut cùm viderit agnam
Per nemora errantem ſolam lupa, quadriduanam
Paſſa famem, cùm porrecto iam proximat ore,
Iamq; auidos teneræ dentes accommodat eſcæ.
Ducitur in thalami ſecreta ſilentia virgo
Mentis inops, Iunoq; comes, Venus atq; Cupido
Adijciunt ſtimulis ſtimulos, atq; ignibus ignes.
At ſuperi tanta moti improbitate feruntur
Præpetibus pennis nigrum per inane, domumq;
Ingreßi lemures abigunt, illi agmine facto
Trans Tyberim curſum vertunt, rectoq; volatu
Per collem Euandri veniunt ad templa Tonantis.
Tarpeiaq; in rupe ſedent, & aperta ſupernè
Quà ſpectare poteſt lucentia Terminus aſtra.
Tecta ineunt, noctemq; illic latuere per illam
Defeßi, attoniti, ſpe caſſa & funditus hauſta.
Atq; Deum & ſuperos animo execrantur acerbo.
Iam minus vrgetur iuuenis, minus anxia virgo

Cogitat

Cogitat illius qua ingentem mitiget æſtum.
Et mox ingreſſum thalamos affatur amantem.
O iuuenis, cui me voluerunt numina iungi,
Non quò diripias animo irreuerente pudorem
More feræ, ſed vt ambo fidem coëamus in vnam,
Nunc tandem, nunc tandem opus eſt te arcana doceri
Grandia, rem ſacram, rem miram attentius audi.
Eſt mihi de diuis cuſtos cœleſtibus vnus,
De diuis qui magni aſtant antè ora Tonantis
Semper, & illius decreta abſcondita norunt.
Huic mea virginitas dudum ſacrata, furorem
Pone, nec obſcœno fueris temerarius auſu.
Si quid ſtultè in me fuerit molita libido.
Non impunè feres, atroci ſæuiet ira.
Neve latere putes, ſcis quanta ſcientia diuûm,
Neve fugam ſperes, ſcis quanta potentia diuum,
Parce tibi, neu florentem contemne iuuentam,
Quòd ſi me affectu fueris complexus honeſto,
Te paribus mecum ſtudijs & amore ſequetur.
Seq; tuos feret antè oculos in luce videndum
Limpida, & impendet tibi ſe, ac donabere ab illo.
Sic ait, ille metu horrifico tremefactus amorem
Temperat inſanum, cohibetq; ardentia vota,
Cura recens, velut ardentem cùm ſydera Cancri
Flammigerant, abigit Boreas ſi flauerit, æſtum,
Sic proſtrata Venus. Noctem ſermonibus illam
Conſumpſere pijs. Docuit myſteria namq;
Multa virum, ſuadens crines perfundere ſacris

Fontibus,

Fontibus, & ſacro ſcelus expurgare lauacro.
Ille autem dictis adhibere potentibus aurem
Incipit, & ſenſim ex animo reſecare Deorum
Impietatem, ac ſtultitiam, & ſubmittere Chriſti
Colla iugo, ac docili pietatem admittere ſenſu.
Vidit vt affectum iam relligione virago,
Vade, ait, ad madidæ cryptas atq; antra Capenæ
Confeſtim, dum turba minor per compita, dum lux
Nondum clara, dies dum vix apparet ab ortu.
Inuenies inopum cumulos ad ſacra per vmbram
Confluere, illorum indicio fas diſcere ſacrum
Limen, & Vrbanum, mea ſi mandata ferentem
Dixeris, illius te veſtigare latebram.
Ille nihil cunctatus adit, ſpecubusq; latentem
Repperit obſcuris hominem, cui candida mento
Barba fluit, qui fronte Deum prætendere viſus.
Procidit in genua, & ſenis os quaſi numen adorat,
Mox mandata refert, curamq; expectorat omnem.
Ille autem genere, atq; opibus, fama, indole clarum
Vt didicit iuuenem ſanctos accedere ad omnes,
Suſpexit cœlum, atq; manus ad ſydera tendens
Accipe, ſancte pater, dixit Cæcilia frugem,
Hanc tibi præclarę legit de ſemine gentis,
Inſtar apis, quæ mella fauis hyblæa recondit.
Tum iubet occaſum verſus ter tartara & vmbras
Abneget infernas, toties conuerſus ad ortum
Ore vocet Chriſtum, verſo mox tempora gutto
Impluit, appellansq; Deum ter voce triformem
Signat,

Signat,& extenta ducit luſtralia dextra.
Iam redit,vt poſita fulgens erugine ferrum,
Mundus,vt ex altis ſtillans fornacibus aurum
Labile,candenti ſcoriam quod in igne reliquit.
Aßimilis ſudo poſt humida nubila cœlo,
Veſtibuli patuêre fores,patuere reuerſo
Atria ſponte ſua:Subit alta palatia greſſu
Sollicito,ſponſæ cupidus narrare quid actum.
Vt ſtetit in thalamo,vix fari incœperat,alis
Angelus explicitis,diſcuſſa apparuit aura,
Ore refulgenti,qualem Latonida Lunam
Cernimus,oppoſito cùm fulget Apolline tota.
Qualis & ipſe nouus roſeo cùm ſurgit ab ortu
Phœbus,in extremo viſum qui terminat orbe.
Diffuſæ per colla comæ(fila aurea dicas)
Applaudunt humeris,auro toga lucida plantas
Influit,hoc habitu venit Paranymphus & ore
Dona ferens,ſunt dona roſæ fulgore rubentes
Purpureo,ſimiles lanæ,quam muricis imber
Bis lauat,& tali duplicem de flore coronam
Explicat.Vna viri crines ligat,altera crines
Virgineos,xenio gaudens tali afficit ambos.
Continuò diffuſus odor penetrauit in omnes,
Vt ſolet exorto lumen iam ſole,penates.
Has dixit ſeruate roſas,inſignia ſancti
Caſta thori,ſeruate fidem,ſeruate pudorem.
Sic ait,& clauſo confeſtim euanuit ore.
Iam frigebat hyems inimica virentibus herbis,

Brumaq; florentes noua contriſtauerat hortos,
Frigidus extremas autumnus in horrea fruges
Miſerat,excuſſis ingloria frondibus arbor
Mœrebat,Boreæ,& gelidis expoſta pruinis.
In radicem ierant flores,& paſſa labores
Hibernabat humus iam aſtricto languida tergo.
Frater erat ſponſo Tyburtius, indole patrum
Magnanimos inter qui regnauere Quirites
Præditus,incipiens teneris pubeſcere malis.
Ipſe domum rediens vt amœno afflatus odore eſt,
O Germane quid hoc? Peſtana roſaria credam
Me ſubiſſe. Vnde hæc,clamat,fragrantia primi
Veris,atrox dum ſæuit hyems? quæ fingere odores
Eualuere iſtos alienis menſibus artes?
Ille autem non artis opus Germane,Deorum
Munus id,& clauſum fratri in conclaue vocato
Oſtendere roſas rubicundo ardore recentes.
Suſcipiunt medium iuuenem,qui rem ordine totam
Vt didicit,mora nulla,ſenem conuenit ad antra
Appia,& accepta ſubitò Chriſtum induit vnda.
Oceani iam prona dies cum ſole ſub vndam
Ibat,& æthereos iam nox accenderat ignes,
Cùm puer euicta diuûm impietate,ſepulto
Iam Ioue luſtratus ſeſe in ſua tecta recepit.
Ac ſubitò ingreſſus thalamos cum virgine fratrem
Amplexatur,agens grates pro munere tanto.
Dum varia ſecum fandi vice multa recenſent,
Dum ſtudijs ſimul exultant flagrantibus,ecce

Ille idem Paranymphus adeſt, & ab aëre prodit,
Altera Tyburti portans orientis ab hortis
Qua decreta domus nobis ab origine, dona.
Atq; roſis puero crines halantibus ornat,
Paucaq; præſago memorans ſic incipit ore.
O Chriſto dilectæ animæ, quas deſtinat ipſe
Aethereis campis, memores eſtote caducos
Hos artus non poſſe dies ſubſiſtere longos.
Turpe animos fortes ſeram expectare ſenectam,
Nec niſi confectos morbis audere tenebras
Has exire inter plumas & ſtragula picta.
Dulce mori, & veſtros membra hæc hebetantia ſenſus
Ponere, terrenasq; domos in Olympica tecta
Tranſmutare, ſui compos dum mensq; animusq;
Secum habitat, dum floret adhuc animoſa iuuentus.
O cælo deuotæ animæ, ſi gaudia diuum
Nota forent, huius caperent faſtidia vitæ
Vos ita, ne poſſet lux non odioſa videri.
Nullum nomen adhuc humana induſtria fecit
Par diuorum opibus, requies æterna, triumphus,
Gloria, lux, epulæ, diuum præſentia, nectar,
Ambroſia, & quæcunq; hominum vigilantia fecit
Nomina, ſignandis opibus cæleſtis Olympi:
Rem minus attingunt, quàm Tybridis vnda profundũ
Oceanum, vaſtis terram qui fluctibus ambit,
Quàm domus hæc cælum immenſum quod ſydera tor-
Illic eſt aliud vitæ genus, altera rerum (quet.
Nomina terrenis non conuenientia rebus.

Ferte igitur fortunam animis præſtantibus omnem,
Et citò venturos caſus ſuperate ferendo.
Mox comites diuorum eritis, ſimul omnia quæ ſunt
Quæ fuerint, quæ ſint olim ventura tuentes.
Vado iter ad ſummum vobis aperire Tonantem,
Dixit, & in tenuem ſpecies euanuit auram.
At Venus interea fraudem meditata malignam,
Martem adit, & caſu redeuntem à cæde cruenta
Regis Alexandri, mater cui Mamea nomen
Fecerat, inuenit, quà nunc Ferraria propter
Eridanum longis extendit mœnia muris.
Et ſic fata. Dies tandem mihi fauſta reluxit
Cùm te nacta meo poſſum medicamen amori
Reddere, ſcis noſtræ quanta impatientia flammæ,
O Mauors dilecte, Padi recubemus ad vndam.
Et ſine pauliſper fando faſtidia ponam,
Conſedere: iocis poſtquam iudulſere, dolorem
Cœpit, & admiſſum Venus in præcordia vulnus
Enarrare, ciet lachrymas, ſuſpirat, & altos
Dat gemitus, ad opem tali mouet arte ferendam.
Ille quid his opus eſt lachrymis? lachrymasq́ loquendo
Abſtergebat, habes Martem, Mauortia, dixit,
Corda Venus tua ſunt, tu legem impone Gradiuo.
Illa ſua vt vidit captam querimonia amantem
Vade ait, & caſſes poſtquam Cæcilia noſtros
Rupit, & eluſit tam turpiter omne Deorum
Concilium, pœnas ſaltem luat, Almachiumq́
Sentiat iratum, tu bilem accende, furorem

Adijce,

Adijce, & inuolue ardenti præcordia flamma.
Ille ad blanditias iterum luſusq́; reuertens
Iuſſa ſubit, Romamq́; extenſis aduolat alis,
Et cum Matre canes ſtygiæ, & crudelis Enyo.
Iam maris Adriaci videt æquora, iā videt Vmbros
Ac Tyberim, Tuſcos interuolat atq; Sabinos
Flaminiamq́; tenens tandem ſuper ardua matris
Tecta deûm ſtetit, & totam circumſpicit vrbem.
Pone Venus ſequitur quærens te Athlantide Maiá
Nate, operamq́; tuam, circum Tyrrhenica regna
Inuehitur volitans, atq; aëra nauigat altum.
Dumq́; Fluentinam vultum conuertit ad vrbem
Per fora Mercurium rubra videt ire tyara
Atq; globo inſignem, quo ſe declarat Hethruſca
Nobilitas, quo à plebe patres Florentia cernit,
Et tractare animo lucroſa negocia vafro.
Annuit ille, togas, rubrumq; exutus amictum
Aduolat, & Veneri comes additus arua Latinæ
Gentis adit, ſuperant Senas, terramq́; Faliſcam
Aëreoq́; ſedent Hadrianæ in vertice molis.
Tum Venus. I germane precor, cape conſulis orá
Almachiumq; doce (ſacris præfectus & vrbi
Hic erat) à noſtro Gracchos Ioue, Corneliamq́;
Defeciſſe domum, Solymi ad magalia Chriſti.
Fungitur officio ſolers, cauſamq́; deorum
More ſuo eloquitur, nitens facundia & aſtu.
Addit mille dolos, mille illum fraudibus armat,
Et ſibi compertum dicit, quo tempore ſacris

Indulgere ſolent, quàm pernicioſa loquantur
Verba deos contra, gentemq́ abolere nefandam
Eſſe opus, & graue Romanis inſtare periclum,
Imperio quoq; ni morbo medicamina tanto
Opportuna ferat, ſi numina inulta relinquat.
Non aliam monet ob cauſam tot funera regum
Impia caſtrenſi toties exorta tumultu.
Nam quia qui dono diuûm potiuntur honore
Cæſareo, genus id Roma patiuntur in vrbe
Degere, tam diro veniunt in funera fato.
His ſuper accenſus Chriſti genus omne, repentè
Deuouet Almachius, iam verberat oſtia miles
Iam ſubuerſa domus, iam Vallerianus ab altis
Cum Tyburte ruit tectis, mediamq́ per vrbem
Tendit ad Almachij Roma admirante tribunal.
Stat præfectus atrox ſolio ſublimis eburno
Marte tumens multo, & vultu crudeſcit acerbo
Torua tuens, ſpiransq́ oculis flammantibus iram
Tartaream, totum ore truci confeſſus auernum.
Vt didicit iuuenes Gracchorum ex gente, quid vltrà
Veſtigare opus eſt inquit? gens noxia Gracchi
Ciuibus & patriæ ſemper. Verſate, Quirites,
Romanos precor annales, percurrite priſca
Tempora, Gracchorum genus inuenietis acerbo
Sæpius inuoluiſſe odio populumq́ patresq́.
Perturbare deos nunc incipit, altius iſta
Impietas ſe efferre nequit, iam ſydera tranſit,
Numina detrudit cœlo, ſcelera iſta feremus
Impunita?

Impunita? Iouem non vlciſcemur? & iram
Cœlituum totam ſæuire ſinemus in vrbem?
Continuò vulgi ſic vociferatus ad aures
Mandat inaudita fratres mala numina cauſa
Et colere, & fumo Martem placare Sabæo.
Illi animo contra infracto Martemq́, Iouemq́
Dedecorant, & templa Deûm execrantur, & aras.
Almachiumq́ nihil veriti, vocemq́ animumq́
Dante Deo, gemini fratres tali ore locuti.
Hinc quanti nobis tua ſint mandata, tyranne,
Hinc cognoſce miſer, quod te tua numina coràm
Temnimus, iraſci potes, & ſæuire, ſed aurum
Non metuit flammas, nixu conabere inani.
Victor erit Chriſtus, moribundum hoc accipe corpus
Corue vorax, inuade iſtud mortale cadauer,
Tabe tuam paſce ingluuiem, paſce impia corda,
Igne, furore, odio, rabie, cruciare veneno
Ipſe tuo, ſtygiosq́ pati nunc incipe manes.
Mars aſſecla tipi (video) Martemq́ videbant,
Aſtat, & ora tuas dira illa inclinat ad aures.
Mulcet corda manu, toruum formatus in anguem
Intrat in os, tracta ſubijt iam pectora cauda.
Dijs famulare, quibus mox iam cruciaberis, àt nos
Mente Deum ſequimur; mente vltra ſydera in altum
Elyſium ferimur, cœlo iam inuitat ab alto
Nos pater, atq́ animo iubet eſſe in funere forti.
Iurgia quæ in noſtros iactas ventoſa parentes
Pendimus aſſe minus, ſi ſeditioſa propago

 Vnquam

Vnquam noſtra fuit, damnum pietatis auitæ
Talibus offi cijs pietate rependimus iſta.
Rumpitur Almachius, ceu cum iã machina flãmis
Concita cum ſtrepitu ingenti fumante fauilla
Intonat, expulſoq́; aperit caua guttura ſaxo.
Ite citi clamat, loro date, tollite, quæ vos
Tanta tenet mora lictores? detrudite ad vmbras
Tartareas ora in noſtros latrantia diuos.
Extemplò glomerata cohors fulgentibus armis
Sepit eos vinctiq́; manus in fata trahuntur,
Splendida dixiſſes ire ad conuiuia fratres,
Sic alacres ibant. Vitæ neu tranſeat vlla
Pars ſine fruge, docent turbas, & ad agmina clamant
Dæmonas eſſe deos, lemurumq́; habitacula templa
Execranda, Iouem lethæa ad flumina miſſum
Vincla ignemq́; pati, Chriſto ſoli eſſe litandum.
Qui pro iuſtitia, pro relligione necantur
Vociferant ſanctorum ire in conſortia diuûm
Continuò, neq; paſſuros in morte dolorem.
Mox enſem iugulo excipiunt, & in æthera migrant
Felices, pluſquam poſſint mortalia fari
Ora, animæ, pariles q́; ferunt ex orbe triumphos.
Maximus aſſiſtens imis ea verba medullis
Hauſit, & admiſſo ſancta in præcordia Chriſto
Quid moror exclamat? lympham date, credimus vltrò
Omnia quæ Chriſti fratres de Numine fati.
Lictores eadem ingeminant, lictoribus idem
Numinis ardor ineſt, properans it rumor ad aures

Almachij, & vario ſonat omnis murmure Roma.
Sunt qui Romanos mulctari ſanguine ciues
Non debere ferant, ſunt qui ſcelus eſſe piandum
Supplicio grauiore velint, & Numina læſa
Placari non poſſe aliter niſi cæde nocentum.
Dumq; ſacro infundunt nudatos flumine crines
Ecce ferox equitum turma ſtipatus & armis
Se præfectus agit ſimilis feritate marino
Monſtro illi, quod fama refert, ex æquore contra
Andromedam patulas fauces & guttura hiulca
Extendens, annaſſe graui ſtridore per vndas.
Tum furijs ardens & ſanguinolentus amaro
Imperat ore caput præbere ſecuribus omnes.
Exanimata igitur lucem iacuere per illam
Corpora humi, cæde ingentem faciente lacunam.
Chriſtigenæ noctu rapuere cadauera facto
Agmine, & effoßis flendo impoſuere ſepulcris.
Nox ruit, Almachius domito quaſi victor Araxe
Iactabundus adit menſas, & onuſtus Iaccho
Præteritas recolit cædes, ac magna minando
Prouocat aſtantes in funera Chriſtigenarum.
Tum Ioue Mercurius ſatus atq; Athlantide Maia
Verſus in effigiem Vernæ, nil proficis, inquit,
Hactenus, ô cuſtos obſeruantißime Diuûm.
Cauſa mali ſupereſt, ſectæ caput execrandæ
Reſtat adhuc, quæ blanditijs & amoribus omnes
Illectat miſeros Cæcilia. Tolle Charybdim hanc,
Tolle magam, Tolle hanc noſtro de littore Circen:

Sic Diuûm interpres,ſtimulat præcordia Mauors
Almachio furit in venis ardente Lyæo.
Vade,ait,ô Lictor,properans aſſume cohortem
Continuò,dum nox operi fauet,vtere ferro.
Frange fores,thalamo extruſum ſiſte ante tribunal.
Scortum infame,Deos non prætereamus inultos.
Ille volat.Mauors ſubit atra ſatellitis ora
Irritans aliorum animos,fractisq́ ſubintrant
Aedibus,orantemq́ adigunt in vincla puellam
Magnanimam,non corde metum non ore ferentem.
Præſcia venturi caſus,conceperat alta
Mente Deum,iam certa mori,faſtidia vitæ
Iam pertæſa,nihil pendens mortalia membra,
Sed toto aſpirans animo ad conſortia Diuûm.
It ſermone Deos taxans,& ahenea ſigna,
Multa ſuper Chriſto,ſuper eius origine multa
Commemorans,vt Tænarias deſcendit ad vmbras,
Et rediјt victor,ſuperos vt adiuerit axes.
Itur in excelſas ædes,vbi ſplendida noctem
Intempeſtam abigunt tremulis funalia flammis.
Ibat ad occaſum virgo,ſurgebat ab ortu
Piſcis,& in ſummo cælorum cardine fratres.
Semifer Aemonius quondam nutritor Achillis
Antipodum terras alio aſpiciebat ab orbe.
Vt ſtetit ad ſolium,fixit veſtigia vertens
Hac illac acies,& non dignata Tyrannum
Cernere,mox cælum verſus frontem extulit albam.
Offenſus faſtu,quoniam prætendere viſa eſt

Imperialem oculis faſtum, ſed captus amore
Almachius ſecum pugnat, bino vritur igne.
Odit, amat, tractus ſtudia in contraria, Chriſtum
Odit, amat formam, quæ flectere numina poßit.
Hac inclinat, & hac, puppiq; ſimillimus inter
Luctantes agitatæ vndas, quam verberat illinc
Auſter, & hinc Boreas, potuit ſuccumbere formæ,
Oblitus iam penè Deos hærebat, & ibat
Pronus in aſſenſum, ſed protinus impete facto
Nutantes animos Iuno impulit, & Venus, & Mars.
Ergò odio rurſum quod amor ſopiuerat orto
Cur clamat tam mentis inops, vt Numina contrà,
Numina, quæ noſtri coluere ab origine patres
Ire auſis? Cur tam temeraria, & impia, & excors,
Vt Ioue contempto, Ioue quem quoq; barbara regna
Orbe colunt toto, torquet qui fulmina dextra,
Obſerues hominem turbis ludibria factum,
Infamem, cruce damnatum, diuis odioſum,
Iudæa de gente ſatum, quæ ignominioſa
Omnibus in terris, & vitæ dedita inerti?
Illa fremens animis tum demum lumina toruo
Vertit in Almachium vultu, & ſic ore loquuta.
O generis peſtem humani, & commune venenum,
Inſtrumentum Erebi, te numina falſa miniſtro
Impugnare Deum fruſtrà aggrediuntur, in iſtas
Te furias traxere Venus, Cyllenius, & Mars.
Non ſuperi vt credis ſed plebis auernidos vmbræ
Sordidæ, & infames, hortatricesq; malorum.

O ſine fine miſer, quia non intelligis artes
Atq; dolos lemurum, ceu bos Gangetica ferro
Naribus affixo traheris, te vtuntur ad omne
Quod voluere nefas, tibi nunc tibi pectora Mauors
Rodit & irritat, linguam mouet, ora gubernat
Mercurius, non ille ſatum quem Athlantide Maia
Commemorant, verùm hoc dictus cognomine dæmon.
Nam lemures vt dij fierent, ſumpſere virorum
Nomina præſtantum, quibus à mortalibus olim
Præbita cum magno fuerat reuerentia cultu.
Error hic inualuit ſenſim, fuſusq; per orbem
Te quoq; Roma tenet, ſed te non longa tenebit
Sæcula, venturus paulò poſt tempore Cæſar,
Qui tibi ſuccurrat, qui Syrtibus eruat iſtis.
Sic ſolitos illudi homines miſeratus Olympi
Conditor, huc prolem, genitam de lumine prolem
Omnipotente hominem, humano ſine ſemine factum
Miſit, ab hoc tam turpi homines errore leuandos,
Quo Numa deluſus, quo gens Memphitica & omnis
Græcia, tam longis diuorum ambagibus acta eſt.
Cur igitur iudex inſane deumq; hominemq;
Sic laceras Chriſtum, decorat qui ſæcula tanto
Noſtra bono, & terras cœleſti illuminat aura?
O cæci ingratiq; homines, ea dona ferentem
Et bona tam placidis nos ad diuina vocantem
Vocibus, ac ſi nos donis offenderet iſtis
Pellimus. O gentes, & mente, & lumine captas.
Quid vos veſtra Venus docuit? Semeleia proles
Bacchus,

Bacchus, & obſcuris dea quam celebratis in vmbris,
Et Deus hortorum Romani infamia regni,
Quid docuit, niſi quod pudet & ſcorta ipſa fateri?
Hi dij ſunt, ô Roma, tui, ſcelerata fouete
Numina, ergò & cœlo Christum documenta ferentem
Sancta recuſate, & ſtygio ſordeſcite cœno.
Quòd cruce mulctatum latras, id ſponte fatemur,
Nec ritè hoc aliter fieri potuiſſe, docemus.
Quòd ſi depoſito dici patiare veneno
Tu quoq; ritè aliter fieri potuiſſe negabis.
Sed datus in prædam furijs vltricibus aurem
Claudis, & hæc mentes capiunt myſteria paucas.
Flectuntur, flecti quos vult Deus, ille ſuorum
Cognitor, ille ſuos trahit ad ſua dona clientes.
Talibus orantem dictis vix ferre retracto
Sæpè animi fræno, ſæpè iræ ardore repreſſo
Vix potuit, Tua nos preceps facundia, dixit
Almachius (quam te ſcis qui docuere magiſtri)
Ludere tentauit, verùm cum rhetore non eſt
Res tibi, cum vinclis tibi res, cum milite & armis.
Nec modò diuorum cauſa eſt oranda, litandum
More patrum, poſtquam Marti libaueris, iſta
Munera quę iactas, ſummo tibi miſſa ab Olympo
Enarrabis, age ambages depone, Gradiuo
Thura fer, Ite citi, Mauortia ſigna & acerram
Huc afferte, deos vnà venerabimur omnes.
Illa deos omnes ſimul execratur, & addit.
Noram animos, iramq; tuam, noram impia quæ te

Fata ferunt, ideò tali te voce laceſſo.
Sanctæ animæ quæ manè iſtas te authore tenebras
Euaſere, meos obitus vt in aſtra feramur
Vnà omnes lætæ expectant, & in his quoq; turbis
Circumſtantum aliquot venturæ ad ſydera mecum.
Pelle moras igitur, neu noſtra hæc gaudia differ.
Ille ſatellitibus magno clamore citatis
Ite ait, ite magam trahite, & feruentibus vndis
Inijcite, excoquite, & nuda oſſa offerte Gradiuo.
Quæ dare thura negat dabit oſſa, fatebere victam
Te tandem Chriſtumq; tuum, cùm bulliet olla.
Iuſſa ineunt famuli, flammiſq; fugantibus vmbras
Naumachiæ in campos, quò plebs rumoribus iſtis
Acta, cateruatim ex tota confluxerat vrbe,
Conueniunt, ſunt qui eliciant incendia, ſunt qui
Labrum ingens in fulcra leuent, ſunt qui vada grandi
Armillo importent, feruens iam exultat ahenum,
Iam ſalit in fluctus liquor, atq; iraſcitur igni.
Mittitur in lymphas virgo, dumq; æſtuat ardor
Dum ſalit vnda potens elephantem abſumere turbas
Nil patiens, nil triſte ferens affatur ab vndis.
Diſcite, & exemplo Chriſtum cognoſcite noſtro,
His recreor, non vror aquis, velocius ite.
Dicite præfecto labrum bullire, nec vndas
Feruentes audere in me conuertere vires.
Inueniat tormentum aliud, ſua numina victa
Cedere victori, nec poſſe reſiſtere Chriſto.
Interea ſpumante lacu iugulo tenus vnda

Fluctuat, in faciemq́ ſalit, neq́ ſæuit in artus,
Per bullas impunè manus extendit, in auram
Eleuat, & mergit ludens, prætendit amœno
Lætitiam vultu, quaſi delectata lauacro
Per brumale gelu tepido, gelido amne per æſtum.
Talia circumſtans dum plebs auditq́ videtq́
Attonitis ſuſpenſa animis atq́ oribus ægris.
Extemplò ſexcentæ animæ clamoribus altis
Audita damnare deos, Chriſtumq́ fateri.
Et prodire auſæ ſeſeq́ oſtendere aperto
Ore, omnes iuſſu Almachij ſubiere ſecures.
Infelix tanto maduiſti ſanguine Roma
Rarò alias. Quali dira hæc ſpectacula fronte
Et tam crudeles potuiſti cernere pœnas?
Tu quæ æterna patrum ſedes, orbiſq́ futura
Mater eras, & ſancta Dei domus omnipotentis,
Quæ magni audieras olim verba enthea Petri,
Atq́ per os Pauli Chriſtum diuina ſonantem
Eloquia, & terras cœlorum arcana docentem:
Sed nondum toto tibi ſol illuxerat orbe,
Nec noctis longæuæ omnem diſcuſſerat vmbram.
Quippè Deus pedetentim operum incrementa ſuorũ,
Vt natura ſolet, lentis moderatur habenis,
Nullaq́ præcipiti ruit in molimina curſu.
Debuit Almachius tam fœdi criminis author
Cædi in fruſta, trahi ad Tyberim, mergiq́ ſub amne.
Sed Nemeſis ſtygios illum ſeruabat ad ignes.
Aſperius tantò cruciandum, innoxia quantò

Plura venenoſa membra afflictauerat ira.
Egit in hac flammis ſemper creſcentibus vnda
Integram cum nocte diem, nil læſa lauacro,
Cui Phlegethonteæ cedant ardore lacunæ.
At quoniam infracta pergit mala numina voce
Inſectari, animans turbas ad olympica regna,
Almachius tribuens magicis miracula verbis,
Ne vinci à Chriſto diui videantur, in ipſo
Virgineum cædi caput imperat enſe lauacro.
Mox omnes coiëre animæ, terriſq; relictis
Ad ſuperos orbes celebrem duxere triumphum.
Corpora Chriſtigenæ notis translata ſepulcris
Infodêre. Pater veniens Vrbanus ad antra
Appia, ſecreta iuſſit ſtatione locari,
Virgineum lachrymans cum thure & carmine corpus.
O claræ ſanctæq; animæ quæ morte cruenta
Fortiter æternos cælorum emiſtis honores,
Corporeæ molis memores vitæq; laborum.
Si ſcelere offenſum noſtro ſe oſtenddrit vnquam,
Diuorumq; hominumq; patrem placate precando,
Seduloq; aduerſos orando auertite caſus.

BAPTISTAE MANTVANI CARMELITAE, THEOLOGI,

HEROVM SANCTORVM Vitę & Laudes.

DE DIONYSII AREOPAGITÆ Conuerſione, Vita & Agone. Liber primus.

AD IAFREDVM CAROLVM MEDIOlani Vicecancellarium, & Delphinatus Præſidem digniſsimum.

IAFREDE Carole Mediolani Vicecancellarie, Præſes Delphinatus digniſsime, animi tui præſtantiſsimi conſummata frugalitas, qua tantum auctoritatis es conſequutus, prudentiſsima ſua dexteritate fecit, vt amem Gallicam nationē æquè ac

ac Italicam. Et ex hoc amore cùm ad illuſtrandum decus eius gentis magis ac magis indies accenderer, venit in mentem meam præſtantiſsimus Antiſtes, Doctor, atq; martyr Dionyſius, qui vt quondam apoſtolus fuit, ſic nunc & ſemper eſt quodammodo tutelaris Deus Galliarum. Eius ergò conuerſionem, vitam & agonem, verſibus heroicis exaraui, plurima vt Græci aiunt parerga ſuperadijciẽs, ad propagandam gloriam Francorum regum. Si quid hic eſt quod Gallos delectet, beneficium hoc à te recognoſcant, totum hoc tibi imputẽt, gratias referant tibi ſoli, cuius gratia lucubrationi huic annum impendi. Accipe igitur meæ ſeruitutis annuum prouentum, accipe cenſum tibi debitum, accipe munuſculum hoc, re forſitan tenue, ſed certè affectu grande, quod ſit mei erga te amoris perenne teſtimonium, pignuſq; ſempiternum. Quò intelligant præſentes & poſteri, nihil eſſe quod ſic animos hominum alliciat, quod magis vbiq; terrarum regna & imperia firmet ac muniat, quàm bonũ Præſidis nomen & virtus. Quæ duo ita mirificè in te ſplendicant, vt te iam tota Italia, nedũ Mediolanum veneretur. Bene ac diu vale.

REVE-

REVERENDISSIMO DOMINO STEPHANO PONCHERIO PARIſienſi Epiſcopo, & Mediolani Cancellario meritiſsimo, Iafredus Caroli Delphinatus Præſes, S. D.

BAPTISTA Mantuanus in fraternitate Carmelitarũ Theologus inſignis, nuperrimè Dionyſium Areopagitam Chriſtianæ Religioni initiatum, pro ea contra potentiſsimorum Tyrannorum ingenioſam crudelitatem pugnantem, poſtremo capite truncatum, Tribus Libris heroico carmine, ſed veritate hiſtorica deſcribit. Cuius Auctoris laus iam apud omnes tanta eſt, vt neq; mea, neq; alterius laudatione, incrementum aliquod ſit ſuſceptura. Illud tamen ingenuè & audacter pronunciare auſim, variũ eſſe opus, & in ipſa varietate ſibi ſemper conſtans, ingenioſum, accuratum, & in Chriſtiana hiſtoria tantũ gentilis eloquentiæ expreſſum, quãtum

tum iſto æuo, non dico ſperare, ſed ne optarē quidem potuiſſemus. Hoc Poēma quod mihi (quia tuus ſum) inſcripſit, tibi dicandum cenſui. Accipe igitur ſacratiſsime & religioſiſsime Domine, de tui Fundi Mediolanenſis fructibus egregium hunc & precioſiſsimum lubens ac læto animo, nulli profectò magis quā tibi conuenientem. Quandoquidem (vt cuiuis hiſtoriam hanc diligenter perſcrutanti planū eſſe poteſt) nullus mortalium virtute, dignitate, fortuna Areopagitæ magis quàm tu ſimilis potuit eſſe. Ille indefeſſus Chriſtianæ fidei propugnator, Tu illius religioſiſsimus cultor: Ille omnis doctrinæ ſcientiſsimus, Tu Iuris Ciuilis & Pōtificij & omnis diuinę Theologiæ conſultiſsimus. Ille potentiſsimorum Tyrannorum Victor, Tu optimorum Regum moderator. Ille Pauli ſtudioſiſsimus diſcipulus, Tu Georgij de Ambaſia, Rothomagenſis Eccleſiæ illuſtratoris, Sacroſancti Cardinaliū Senatus principis, Galliarū pro Pontifice Legati meritiſsimi, Chriſtianiſsimi noſtri Regis & Cæſaris in vniuerſum procuratoris fidiſsimi, gratiſsimus alūnus & ſectator: Tu Caroli
etiam

etiam de Ambaſia Domini Caldimontis magni Magiſtri & Mareſcalli Franciæ, totius Regiæ Ciſalpinæ ditionis gubernatoris, contra omnes hoſtes & vitia fortiſsimi propugnatoris, Alpinorum hoſtium citra omnem ſanguinem victoris, potentiſsimæ vrbis Bononienſis pro ſummo Pontifice recuperatoris, in huius Prouinciæ Inſubriæ adminiſtratione collega & ſocius es officioſiſsimus. Illi caſtitas natura, conſuetudo, integritas, dicendi modus, eloquentia, Tibi indeflexus contra omnem libidinem virtutis tenor, Sanctimonia, in rebus gerendis mitis ſeueritas, in enarrandis decor. Ille Pariſienſis patronus, Tu Pariſienſis Epiſcopus. Ille tutelaris Galliarum Deus totius orbis veneratione colitur. Tu ſapientia & religionis famam iam omnes Gallias ad tantam tui venerationem, quantam viuenti lex Chriſtiana tribuit, compuliſti. Quid igitur melius effici potuit, quàm vt illius geſta, quia iam vetuſtate obſoluerant, eloquentiſsimi viri & illius veriſsimi æmulatoris opera, quemadmodum tua in totius orbis oculis, te duce, ponerentur? Quod quando Baptiſtæ Mantuani poëtæ

Iam noua progenies cœlo deſcenderat alto,
Et prodire alius ſæclorum incœperat ordo,
Dij Phlegethontæi regnata, tyrannide longa,
Et maria, & terras animis cœleſtibus ægrè
Cedere compulſi, errabant deſerta latentes
Per nemora, extremi gelido ſub cardine mundi,
Quà duplices Arctos anguis ligat, & tria longè
Quà polus auſtrinis oſtendit ſydera terris.
Nam minor eſt illic cæli impetus, & minor aura
In vacuo errantes vexat minus aëre laruas.
Dite triumphato, Chriſtus regnabat in orco,
Regnabat pelago & terris, regnabat Olympo.
Iam placita immenſo latè ſua fecerat orbi
Cognita, ad Aethiopas Solyma migrabat ab ora,
Terrenis inhians curis, ac deditus olim
Aucupio Matthæus opum, migrarat ad Indos
Iam Didymus Thomas, cum fratre in Perſida Simon.
Iuerat in pontum, in Colchos, Scythiamq́; Philippus.
Ac pius Andreas Cilicum luſtrauerat oram.
Et Paphon ambitam Cypro Salaminaq́; ponto
Paulus in elyſijs doctus myſteria campis.
Nimirum hi veluti nebulę per inane volantes,
Arentem paſſamq́; diu mala ſydera terram
Dulcibus irrorant pluuijs, mortalia corda,
Antè Acherontæo facta infœcunda veneno,
Imbre bono cæleſtis aquæ lauere, ſuperq́;
Infudere nouam, cæleſtia ſemina, legem.
Gallia reſtabat, cui longa in nocte trahenti

Migdonios, vbi progenies ab Oſiride nata
Dum regnat Macedo fecit noua nomina genti.
Aemathio tandem regno digreſſus Athenas
Venit, & antiquæ ſucceßit mœnibus vrbis.
Hæc tellus (adhibenda fides ſi annalibus) olim
Poſt magnam illuuiem terras quæ abſorbuit omnes,
Prima mari excluſo cœlos & ſydera vidit.
Prima homines tulit atq; feras, herbeſcere prima
Cœpit, & arboreæ ſobolis genus omne recepit.
Hinc factum vt tellus quam ſæcula prima vocabant
Ortygiam, fuerit mutato nomine Delos
Dicta, quod eiectis Neptuni apparuit vndis
Prima, quod expulſo cœli ſquallore Diana
Cum Phœbo his primùm terris illuxerit, orta
Finxerunt illic duo maxima ſydera Graij.
Hic cum Neptuno memorant certaſſe Mineruam
Nomina conſtructæ nuper quis traderet vrbi,
Et viciſſe deam, quia ſanctæ inſignia pacis
Protulit, & pingui ramos humore fluentes.
Talibus extemplò ſyluis ſeſe induit omnis
Attica, & inprimis tepidi iuga mollia Hymetti
Floribus, & dulci ſemper redolentia melle.
His Cecrops quem fama refert à flumine Nilo
Aduentaſſe locis, hic Aegeus inclytus armis,
Aemulus Alcidæ ſociuſq; aliquando laborum,
Hic tenuit ſolium Theſeus, celeberrima Theſeus
Qui Panathenaicæ ſtatuit certamina pugnæ.
Hinc memorant ſacros ritus cultumq; deorum

Principium traxiſſe. Ceres quæ inuenit ariſtas
Quæ frumenta tulit, leges quoq; condidit, vndè
Theſmophoram Graij appellant, ea diua reliquit
Hic quædam ſua ſacra cauis incluſa caniſtris.
Quæ innocuæ caſto ferrent in vertice Nymphæ.
Nec minus hanc vrbem fecit Mauortia claram
Gloria, & armorum ſtudium, quo Græcia victa eſt,
Atq; procul poſita gentes, ac barbara regna:
Quàm lepor & cultæ quædam omnipotentia linguæ.
Nec minus eſt, quòd naturas cognoſcere rerum,
Quòd potuêre oculis homines his collibus orti,
Gens propè cœleſtis, cauſas penetrare latentes.
Nec ſat erant inuenta domi, peregrina ſecabant
Aequora. fatidicam Memphim, ſuppoſtaq; cancro
Aethiopum regna, & combuſtam ardore Syenen
Perpetuo, menſam ſolis, ſtatuamq; loquentem.
Infinita ibant quæſitum ambage viarum,
Chaldæos etiam, nudiſq; habitata ſophiſtis
Trans Indi, trans Gangis aquas deſerta petebant.
Tanta explorandi ſitis & ſolertia veri.
Prædati tandem Sophias orientis & auſtri
In patriam ſimiles apibus, quæ rura volantes
Per longinqua legunt flauentia mella, redibant.
Hinc genus Italicum ſophiæ quod condidit olim
Pythagoras, Calabris longùm verſatus in oris.
Et quod ab antiquo memorant Thalete repertum
Nomen adhuc ſeruans quod fecit Ionica tellus.
Hi duo ſunt venis fontes qui grandibus implent

Doctrinæ.

Doctrinæ, ſine fine amplum ſine littore pontum,
Cernis in hoc ſparſas quaſi Cycladas æquore ſectas,
In quibus authores clari Titania ſupra
Aſtra, viri turbam cathedris aſſantur ab altis.
Hic magnos aperit tractus Stota, montibus altis
Aſpera, florigeris redolens Academia campis.
Adde Stagiriticos agros, dumetaq; paucis
Peruia, in obſcuras hominem ducentia ſyluas.
Hoc ambita freto nigriſq; habitata colubris
Cyrenæa palus, Cynici ſine frugibus horti.
Atq; Epicuræi famoſa mapalia ſaltus,
Et pleraq; aliæ, quarum iam ſola ſuperſunt
Nomina. res autem Chriſto apparente receßit.
Hæc igitur Paulus veniens in mœnia, Diuûm
Tecta prius contemplari, cognoſcere ſacros
Inſtituit ritus, ſimulacra antiqua videre,
Quæ premat affatu diuina loquentia grandi.
Templa peragranti caſu ſeſe obtulit ara
His in fronte notis, tituloq; notabilis iſto,
Ignoto ſacrata Deo: miratur, & alta
Mente putat ſuſpenſa tenens & lumina & ora.
Hic Deus ignotus Graiis, Deus ille putandus,
Quem pater Alcides olim, quo numine motus
Ambiguum, natos omnes vt firma tenere
Poſſent imperia, & ſæuos abolere Tyrannnos
Vndiq;, commonuit ſumma pietate colendum.
Terminus hic, quem dum ciues capitolia ſacrant
Non ceßiſſe Ioui fama eſt, cùm cætera diuûm

Turba repentino fugeret per inane volatu.
Omnia contemplans nitidis candentia ſaxis
Tecta, per excelſas extendit lumina moles.
Perlegit & ſtatuas veterum monimenta virorum.
Ac Parios arcus, proceraq́ ſigna, coloſſos
Pyramidumq́ apices, longis impoſta columnis
Atria, imaginibus patrum ſignata ſuperbis,
Qua errantes ſecumq́ ferunt populoſa frequenti
Compita plebe ſonant, greſſum turbæ vnda forenſis
Impetit, & pede pes, armoq́ alliditur armus.
Vndiq́ conuertunt oculos, vrbemq́ fatentur
Latiuiam Elyſios cultu prætendere campos.
Eſt locus inſignis templo Mauortis, & alta
Mole abit in nubes, vbi conſultare Senatus
Sæpè ſolèt, Martis pagum dixere, quod illuc
Mars in iudicium tractus purgauerit olim
Longè infame nefas, cauſam agnoſcente Deorum
Concilio, fama hæc priſcis deſcendit ab annis.
Huc igitur veniens vbi confertiſsima patrum
Curia, ab ignoto fandi primordia Paulus
Sumpta Deo ſermonem orans protraxit in amplum:
Ergò vbi ad attentas verbis ingentibus aures
Intonuit, mirati omnes tantum ore ſonantem
Dogma virũ, dogma inſolitum, quod ab æthere in orbẽ
Attulerat Chriſtus princeps diuũq́ hominumq́.
Dogma quod admittens ima in præcordia patrum
Maximus hoſpitium Pauli Dionyſius alta
Nocte adit, & longas ſermonem extendit in horas.

Cætera de Chriſti quæ Paulus origine & actis
Dixerat accipiens, defuncta cadauera vita
Poſſe negat rurſum in vitam lucemq; reuerti.
Ergò abit, & iam lux phœbo noua venerat orto,
Theſidæq; omnes opera ad conſueta redibant.
Inſequitur Paulus, dumq; intermiſſa parumper
Colloquia inuadunt rurſum, Dionyſius ora
Forte leuans hominemq; videns ab origine captum
Lumine, porrecto greſſum tentare bacillo,
His oculis hic Paule inquit ſi infundere viſum
Fas tibi, nil dubitem redituram in corpora vitam
Credere, nil Ioue poſt habito me addicere Chriſto.
Continuò Paulus tollens ad ſydera frontem
Chriſte, ait, omnipotens vmbrarum & luminis author
Spirituumq; hominumq; faber, qui nuper Olympo
Lapſus in has tenebras iubar immortale tuliſti,
Luce opus hoc dignare tuum. Nec plura locutus.
Ecce genis illapſa dies, deſcendit in orbes
Vis diuina cauos, frontemq; illuminat orbam.
Obſtupuere omnes ſigna inſperata tuendo
Cecropidæ ſtetit attonito Dionyſius ore.
Et fixis in cæcum oculis conſiderat ingens
Portentum, ac viſa à nullis miracula ſeclis.
Et mox in voces iſtas ſibi redditus ore
Supplice prorupit. Terrena potentia non eſt
Quæ tantum molitur opus. Deus ille Deorum hic
Paule ignotus adhuc nobis, oracula tandem
Per tua iam notus, præſentia ſecula longè

X 5 Fortu-

Fortunata, Deus quæ tanto inſignit honore.
Iam dictis præſtanda fides, tua ſancta fatemur
Et ſequimur mandata, virum vel ab æthere lapſum
Iudico, vel certè à ſuperûm te principe miſſum
Auxilio miſeris mortalibus. Accipe totum
Accipe me, & Chriſti ſancto perfunde lauacro.
Tunc igitur pergens gemino cum pignore, & ipſa
Damaria conſorte thori maturat ad amnem,
Ac ſepelit ſacris animi ſcelus omne ſub vndis.
Sic tandem inuentus peteret qui Gallica regna,
Qui Chriſtum ad Senones, & ad vltima littora ferret.
Non redit ad Martis pagum, collegia patrum
Deſerit, execrans mutorum Idolia diuûm,
Templa fugit, Pauloq; ſuas communicat ædes.
Aes aperit, congeſtum annis iam pluribus aurum
Chriſtigenis commune facit, nam plurima turba
Iam fuerat perfuſa vadis, vetus ardor habendi
Deſinit, in ventos volat extirpata libido.
Clauſa ſalutantum cuneis propylæa frequentant
Nudi, inopes, penus in miſerorum effunditur vſus.
Horrea proſtituunt fruges, funduntur apertis
Vina cadis, hauſtoq; madent cellaria baccho.
Sancta domum pietas cum relligione per omnem
Certat, & apparet vitæ cœleſtis imago
Vndiq, per thalamos perq; ipſa cauædia, ſacrant
Cantibus hymnidicis aulas, altaria ponunt,
Ac diuina ineunt magno myſteria cultu.
Spargitur in populum rumor, mirantur Athenæ

Maieſtate

*Maieſtate virum tali, qui auriga Senatus,
Qui tantæ dux vrbis erat, quem Roma colebat,
Cuius in externas ierat fama inclyta gentes,
Pyrrhonis nil laude minor, diſcedere auitis
Legibus, & tanti faſtigia ponere faſtus.
Stoica triſtatur ſoboles, Academia luget
Iacturam amiſſi quaſi grex paſtoris. Athenas
Publicus obſcurat mœror. Qui templa gubernant
Non poſſunt non ferre ægrè iam grande deorum
Dedecus, hoc Augur ſcelus exprobrat, iſtud aruſpex
Exclamat facinus Iouis ira & fulmine dignum.
Et iurat leuius peccaſſe Promethea quondam,
Theſeaq́, & Phlegyam, radijsq́; Ixonia textum.
Dij quoq; per noctem auditi celebrare frequentes
In tenebris cœtus Chriſto ſuper, & ſuper orta
Relligione, nouos mores, noua ſacra ferente.
Iuppiter in Delphos Cretæa venit ab Ida,
Venit & à Cyntho Phœbi ſoror, euocat omnes,
Et tali functa eſt opera Saturnia Iuno,
A Ioue miſſa viro. Tritonia venit Athenis.
Euios Ogygijs à finibus, à Cyllene
Diuorum interpres, Paphijs dea Cypria ab hortis.
A Rhodope Mauors, Sicula Vulcanus ab Aethna.
Miſit & altricem frugum Cerealis Eleuſin,
Hic vbi ſubter humum Phœbus reſponſa ſolebat
Reddere, conſeſſu facto, ſic Iuppiter orſus.
O comites, quibus eſt mecum commune per orbem
Imperium, video regnis incumbere noſtris*

Grande

Grande malum,video Solymorum aſcendere ab vrbe
Tempeſtatem atram,quæ nos vexabit,vt alto
Vexantur,quoties deprenſi in fluctibus altis
Præcipiti nymbo & ventorum turbine nautæ,
Expectant graue naufragium,ſupremaq́ fata.
Nec nouus iſte timor,legi præſagia vatum,
Iudæum annales,diuini loquasq́ Sibyllas,
Legi omnes aſtrorum ignes labentia cælo
Sæcula dinumerans,& quanquam ſydera certam
Non faciant inſpecta fidem,quia ſola voluntas
Iſtud opus diuina facit,tamen omnia triſti
Mente putans tempus bellorum inſtare dieſq́
Aduentare malos,Chriſtumq́ exire videbam.
Eius in Aſſyrijs quondam ieiunia terris
Vt vidi,acceſſi explorans hominemne Deumne
Præferret,didiciq́ vna ſub imagine vtrunq́.
Temporeq́ ex illo quaſi quodam intrinſecus orto
Vlcere,debilior fieri,& tabeſcere cœpi,
Et piguit facti,quod ineuitabile telum
Præuidiſſe nocet,qui non cognoſcitur antè
Quàm veniat,tantum grauis eſt cùm vulnerat,ictus.
Iam propè conſenui,mihi proxima fata putarem
Si ſineret natura animos concedere fato.
Vos quoq; defectos video,nec vt ante vigorem
Et vegetos alacri ſenſus prætendere vultu.
Omnibus innatus timor eſt,odiumq́ malorum.
Nec dolor arbitrij,ſicut neq; gaudia,noſtri eſt.
Et nos hæc mala conditio mortalibus æquat.

At

At neq; nos tempus ſoli præuidimus illud,
Præuidere alij lemures quoq;, barbara Memphis
Nouit, & Aegyptus, ſua quæ ſimulacra per illos
Eſt mirata dies, aliquo quaſi territa caſu
Et tremere, & mœſto pallorem ducere vultu.
Nec velut antè loqui, mutisq́ ſilentia templis
Obſeruaſſe, nouos teſtantia ſigna tumultus.
Ipſa quoq; armatas acies concurrere cœlo
Audijt alpinos trepidans Germania motus.
Scimus & ex gelidis tepidum manaſſe cruorem
Fontibus, & noctu medias vlulaſſe per vrbes
Pane truces agitante Lupos, rabiemq́ ferente.
Sic fuit omnibus hoc tam formidabile tempus
Spiritibus, tam horrenda lues noſtratibus vmbris,
Vt ſtygio quæ in cœno habitant cœli aſtra peroſæ
Indociles laruæ poſtquam didicere voluta
Sæcula dena quater, vicinaq́ tempora gentis
Chriſtidos, ad Plutonem ierint ſibi tuta rogantes
Septa, rata ad ſtygias bella ingreſſura lacunas.
Indoluere igitur meritò regna omnia, quando
Communi commune malum mœrore dolendum eſt.
Hæc noua pernicies ſerpens Aſiana per arua
Nuper in Europam Paulo duce venit. Athenas,
Aemathios poſtquam populos indagine clauſit,
Iam tenet, & ducens pelagus ſinuoſa per altum
Retia, diſpoſitis etiam per flumina naſsis
Indulget captura hominum. Dionyſius iſtos
Incidit in caſſes, alios Dionyſius inter

Mortales

Mortales tantus quanta inter ſydera luna eſt.
Heu damnum graue, quod nulla queat arte rependi.
Attica tota ruit, ruit omnis Græcia, ſurgunt
Quæ rapiant etiam Auſonios incendia fines.
Quæ mihi ſubducant alta capitolia Romæ.
O comites quonam noſtræ in diſcrimine ſint res
Cernitis. In medium ſi quod prudentia forſan
Conſilium vobis aperit, proponite. Tuq;
Imprimis quæ mente vales Tritonia fare.
Iupiter hæc. Contra Tritonia taliter orſa,
O Pater, hæc tua nos omnes querimonia pulſat,
Et quia cùm genitor luget, ſentire dolorem
Pignora (quanquam illis fortunent omnia Diui)
Vult pietas, & quòd pariter nos vna premit ſors,
Caſibus inuoluens yſdem natosq; patremq;,
Et meus hic tantò magis incrudeſcit amaror,
Quòd neq; conſilio locus eſt, prudentia tantum
Contra fata valet, quantum tua fulmina contra
Vellus Arachnæum, vel contra incendia ſulfur.
Thura, aras, & templa Deo diuisq; neceſſe eſt
Cedere, & in terris iſto ſplendore carendum eſt,
Quatenus in melius rerum mutabilis ordo
Noſtra aget imperia, atq; vicem mutarit Olympus.
Quod, niſi me fallit mea mens, aliquando futurum eſt.
Et ſi quando? roges, nihil hic ex tempore fandum,
Namq; ſub obſcuris res eſt abſcondita cauſis,
Tam graue non paucis vigilandum enigma diebus.
Nunc ſatis eſt veſtigandi primordia quædam
Ponere.

Ponere, & euentus à longè oſtendere tantos.
Hinc igitur fandi præſentem ducimus orſum,
Cuncta viciſſatim regnant, hoc ſydera monſtrant.
Nam modò Saturnus, modò Mars, mõ Iuppiter annum
Ducit, & hic iterumq; iterumq; reuertitur ordo.
Hoc diui inſinuant, nam qui Iudaica quondam
Regna gubernabat, Chriſti modò regna gubernat.
Atq; alter ſuffectus ei de plebe minorum
Cælituum, laceræ cui ſit cuſtodia gentis.
Hoc elementa docent, etenim modò flumina inundant,
Et ſceptrum Neptunus habet, modò lubricus aër
Creſcit, & imperitat Iuno, modò mulciber ignem
Aggerat, & terras Diuûm non vltima Veſta.
Cernite res hominum, ſic regna feruntur & vrbes,
Viq; ſuis rurſum aſtra locis reuolubilis æther
Reſtituit, gentes ita prima in regna reportat.
Tempus erit quo Roma cadat, quo Perſia ſurgat,
Mox aliud tempus veniet, cùm Roma reſurgat:
Perſia quo peſſum labatur, & omnia nutant,
Et nulla in terris æterna potentia. Cur non
Ergo iterum nobis vetus eſt ſperanda poteſtas?
Cur decus amiſſum maieſtatemq; tenemur
Non ambire? & res non expectare ſecundas?
Mæror eat, terris iterum dominabimur olim.
Sed tamen interea ne longa per ocia creſcat
Languor, & aßidui mors ſint æterna dolores,
Exercendum aliquod vitæ genus. Orbita nunquam
Clauſa erit ad fraudes, iter inueniemus apertum
Semper

Semper ad inſidias, orbem ſpoliabimus æquè
Ac prius, & præda in grandes conſurget aceruos.
Non erimus lucro, ſed maieſtate minores,
Nam via quam fecit probitas ad ſydera, cùm ſit
Aſpera, longa, madens multis ſudoribus, arcta,
Iniucunda, ferens ſemper veſtigia in altum,
Paucorum eſt. Quæ noctis adit Cocytidos vmbram
Ampla, patens, mollis, blandiſſima ſenſibus omnes
Allicit, hanc ineunt reges, hanc maxima carpit
Pars hominum, noſtram non euaſura Charybdim.
Hinc nobis prouentus erit, dominabimur iſtis,
Clàm tamen hic, alio orbe palàm lethæa per antra,
Illic imperium Ditis, fert regia Pluto
Illis ſceptra locis, & nos regnabimus illic.
Sæpius iſta graues meditando extinguite curas,
Nec iactura viri vnius te Iuppiter angat.
Non minus ad ſuperos noſter Dionyſius antè
Imperium Chriſti nobis regnantibus iſſet,
Nam quodcunq; Deus ſibi deſtinat, vndiq; cunctis
Colligit ex regnis, fundo Phlegethontis ab imo
Duceret in cœlum ſi ſub Phlegethonte laterent.
Vidimus his annis quando ſpoliauit auernum
Tanta plebe trahens ſecum prima omnia ſæcla
Non aliam reor ob cauſam niſi vt aſtra triumpho
Intraret celebri victo Phlegethonte ſuperbus,
Iactabundus, & hoc tam grandi inflatus honore.
Non erat hic noſter, nihil illo amiſit adempto
Regia Plutonis. Valeat malè ſemper, acerbas

Incidat in pœnas, & emat ſibi ſanguine cœlum.
Talia per noctem memorans in Apollinis antro
Lenibat curas lemurum Ioue nata Minerua.
Interea Paulus quæ Gamaliele magiſtro
Quæ tradente Deo raptus ſuper æthera quondam
Audierat, magna Graiorum aſtante corona
Non noctu, non luce ſilet, ſermo ore redundans
Aeſtuat, vt quoties Nilus ſub ſydere Cancri,
Aethiopum voluens hyemes, attollitur altum,
Ac proſciſſa nouo fœcundat iugera limo.
Nocte tamen cùm ſolus adeſt Dionyſius, intrat
In freta lata magis, longeq; à littore puppem
Ire ſinens ignota aliȷs ſecat æquora nautis.
Namq; docebat vti flammis cœleſtibus olim
Arſerat, vt proſtratus humi iam lumine captus
Audierat procul ex alto reſonantia miris
Verba modis, inſtar tonitru quo nigra dehiſcunt
Nubila, quod fracto iaculatur fulmina cœlo.
Vtq; manu ductus veniſſet in alta Damaſci
Mœnia, vt exanimis triduum iacuiſſet aperto
Lumine non cæcultanti, ſed funditus hauſta
Luce ſoporato ſimilis, ſenſuq; ſepulto.
Vt mens rapta ſuper cœli ſeptemplicis aſtra,
Aſtra ſuper duodena, ſuper glacialia tecta,
Quæ ſubiecta ferunt ingenti corpora motu,
Et ſuper Elyſios vbi cœlum immobile campos
Audierat noſtro quæ ſit fari ore nefandum.
Adiungebat vti ſuperos digeſſerit author

In populos & regna nouem, quæ miſſa per amplum
Elyſium, latè varias funduntur in vrbes.
Vtq; domos æterna dies illuminat illas,
Sole dies noſtro decies lucentior, vmbram
Dixeris hanc, illi ſi ſit collata, videri.
Illuc ire animas quæ cum pietate relinquant
Hanc molem, hoc antrum immundũ morientis in horas
Corporis, & ſtudio accenſus regna illa videndi,
O mens (clamabat) ſummi generoſa Tonantis
Progenies, mens ad diuûm conſortia nata,
Cur tam ardenter amas hæc tetra cadauera? cur ſic
Deſipis, vt cures nihil immortalia regna?
Quæ te hic oppreſſam tenet ignorantia? cur non
Faſtidis miſeræ tam multa opprobria vitæ?
His animo dictis cœli infundebat odorem,
Frigidaq; ardenti corda inflammabat amore.
Famine inardeſcens iſto Dionyſius ibat
In ſuperos curis, ac verſabatur Olympo.
Et quia dicendo veteres æquabat Achæos
Omne quod à magno rarum ac memorabile Paulo
De populis, de principibus, de regibus orbis
Aetherei, de terreſtri regno atq; ſenatu
Chriſtigenæ gentis, tribus intellexerat annis,
Mente manuq; notans, in multa volumina miſit
Quæ legat æternis ætas ventura diebus.
Paulus in Aſſyriam miſſis rediturus Athenis.
Vnxit eum palpans crines, & myſtica fando
Verba ſuper. Populos ergò Hierophanta creatus
Auxit,

Auxit,& in morem tractæ propaginis,altas
Quæ gradiens vuis onerat pendentibus vlmos,
Finitimas Chriſti ſparſit documenta per vrbes.
Quæ dante incrementa Deo,venêre per omnem
Hellada,per Thraces,Aetola per oppida,perq;
Littus Acarnanum,per Theſſala rura,per omnes
Cycladas,Arcadiam penetrans,Lacedæmona & Argos,
Chaonios montes,Laërtiadasq́; colonos,
Chalcida & Euboicas arces,altamq́; Corinthum.
Continuò auſpicijs poſt hæc felicibus acta
Vt ſaltem ſemel antè necem magna ora parentis
Quam ſpirare auras,& adhuc ſupereſſe ferebant,
Cernat,in Aſſyrios ſulcat freta longa penates.
Dumq́; ratis præter Salaminia labitur arua
Stans in puppe videt vix apparentia quædam
Culmina,quà ſurgit roſeis aurora quadrigis.
Tunc,ô Rector ait,montes,qui nubila tangunt
Vertice cæruleo contrà,ſi nomina noſti,
Si veluti nautis mos eſt,intelligis orbem,
Qui rogo?& extenta monſtrabat culmina dextra.
Mox intonſa leuans à fluctibus ora magiſter,
Aſſyrij(reſpondit)habent ea regna coloni.
Vlteriora colunt Arabes loca,proxima campos
Porrigit Aegyptus,Nilo ſtagnante,paluſtres.
Ille autem ſublimis apex Phœnicia iuxta
Littora ab Aegypto longè diſiuncta profuſo
Aequore,purpureas vbi gignunt æquora conchas,
Eſt Carmelus,apud gentes mons inclytus illas,

Mons ſacer,& veterum domus auguſtiſsima patrum,
Quos antiquus Achab genuit,quibus ipſa feruntur
Aeternos dare fata dies.Poſt illius æuum
Præfuit Helias,quem poſt tot ſæcula dicunt
Viuere,quà primo Seres ſol aſpicit ortu,
Illa ego naufragio quondam defunctus & æſtu
Quo Neptunus aquas fundo eructabat ab imo,
In iuga ſuſceptis deueni altiſsima votis,
Dum Caius regnabat adhuc,qui ſumma tenebant
Tecta ſenes propter fontem,mihi talia fati.
Iſta gubernator,tantum Dionyſius hiſce
Iuit in affectum verbis,vt venerit antè
Omnia Cæſaream,montemq́; reuiſerit,ardens
Cernere quæ ſancti coluere habitacula Vates.
Dumq́; ſubit montem,turmam deſcendere ab alto
Vidit in arua virûm,longa quibus ora rigebant
Canicie.pullo ſub amictu incedere longis
Paſsibus,Heliadas,vt erant,ratus eſſe,citato
Obuiat inceſſu,vocemq́; in verba reſoluens
Scitatur tam ſolliciti quò tendere pergant.
Illi autem lachrymis ſetoſa rigantibus ora
Reſpondere diem matri aduentaſſe ſupremam
Chriſtiparæ,& celeri ſeſe ire ad funera greſſu.
His vbi ſat nouit verbis gentemq́; fidemq́;
O Heliadæ Vatum dixit generoſa propago
O ſancti ſaluete patres,ſemel illius ora
Vt videam,longis peragraui ambagibus vndas
Ionias ac Carpathias,prohibentibus Euris.

Sæpius, & madidis in ſaxa ferentibus Auſtris.
Aduerſum per iter tandem proiectus ad iſta
Littora, vos memor Heliæ, memor illius æui
Quo tenuere loco hæc priſci montana prophetæ
Vos, inquam, veſtraſq; domos collegia veni
Veſtra ſalutatum, & ſpelæa ſilentia viſum.
Quæ velut auditum eſt, vita modò functa ſolebat
Viſere, vt exilij virgo compeſceret huius
Tædia, & exortum nato moriente dolorem.
Poſtquam viua minus licet illius ora tueri
Sit mihi fas vita ſaltem defuncta videre.
Sumite me comitem, mea nec conſortia vobis
Sint oneroſa. Deus vobis me occurrere fecit
Relligione pari, ſtudijſq; æqualibus actum,
Vt meus hic voti compos euaderet ardor.
Talia ſuppliciter fatus complectitur omnes.
Ergò ſimul carpſere viam, videre beatum
Antè necem, cùm guttur adhuc ſpiraret anhelum,
Virginis os, pompa funus duxere frequenti
Cum lachrymis, viſa iſta viro precioſa laborum
Præmia, ſuſceptiq; operis ampliſsima merces.
Inde pererratis ſanctæ regionibus oræ
Et rate conſcenſa, patrios remeauit ad agros.
Aſt vbi Cretææ tetigit confinia terræ,
Nauigium celeri quod ſe contendere curſu
Diceret Italiam nactus, conſcendit, & Euro
Aſpirante viam inuaſit, non mœnia Romæ
Non Latias vrbes, verùm diuina ſonantem

Sacramenta, tubam cupiens inuiſere Paulum.
Sed fuit euentu clauſus labor ille ſiniſtro,
Nam licuit paucis, heu, præceptore diebus
Et ſancto ſermone frui, quia fata repentè
Demerſere noui duo maxima lumina mundi.
Vidit ab excelſo Petrum ſuprema trahentem
(Heu facinus viſu horrendum) ſuſpiria ligno.
Vidit in ingenti peditumq́; equitumq́; tumultu
Guttura fulmineo Paulum ſubmittere ferro.
Et ſubitò impulſus tanta impietate retorſit
In ſua regna pedem, totoq́; elanguit anno,
Multa gemens, longoq́; implens totam Hellada luctu.
Redditus Argolicis hominem cœleſtia doctum
Et terrena ſimul, voce aurea verba ſonantem
Nomine Hierotheum qui perluſtrauerat omnes
Terrigenas, quærens toto quod diſceret orbe,
Repperit, & magno longùm conuixit amore.
Hoc ſocio ſæpè in campos & amœna vireta
Doctrinarum ibat ſpacians, ſoliq́; meabant
Sæpè per Aonios montes gelidasq́; per vmbras,
Ad vada Permeſſi, propter Cephiſidas vndas.
Per legis loca culta nouæ, per agreſtia rura
Moſis, & ambibant dulci ſtudia omnia greſſu.
Cùmq́; per id tempus latè clareſceret ingens
Fama Thyanaici, Graiasq́; illuſtre per vrbes
Nomen Apollinii, ſtuduit Dionyſius omne
Dogma viri perſcrutari, cognoſcere mores,
Et tentare vias, atq́; intus & in cute viſum

Figere, ne Chriſti violaret ouilia tabo
Forte aliquo, reuocans à relligione recenti
Simplicium mentes ad ſacra antiqua deorum.
Congreſſusq́ue homini, Samium deprendit in illo
Pythagoram, conſectantem Zooaſtridas artes,
Ac noſtræ magnis fidei ſe æquare volentem
Principibus, qualis Paulus, vel qualis Apollo.
Qualis erat petræ retinens cognomina Simon,
Quem dixêre Cepham, Chriſti poſt fata regentem
Imperij molem, & fidei vexilla ferentem.
Admouitq́ue manum populo, ne fortè bilinguem
Suſciperent, famæ intentum & vulgaribus auris,
Intus inane, foris nitidum, pictoq́ue decorum
Cortice vas, vappa redolens, & inutile rimis.
Ipſe per arua vagum Pathmi ſcopuloſa Ioannem
Viſit, & auditor ſancto ſenioris ab ore
Maxima narrantis de Chriſto arcana pependit.
Multaq́ue Parthenices ſuper oris imagine, & annis
Multa ſuper teneris nati, quo infantia pacto
Sit traducta, quibus ſtudijs adoleuerit, & cùm
Viuebat cum matre puer maiuſculus. & cùm
Iam pubes & ephebus erat, rogitauit, & alta
Mente recondebat magni ſenis enthea verba.
Plurima venturi didicit myſteria mundi
Quæ in librum mox ipſe ſenex velata figuris
Pluribus, & longa ſignorum ambage redegit.
Et cùm multa forent vltrò citroq́ue locuti,
Denuò in has voces ſoluit Dionyſius ora.

O venerande pater cuius præſentia noſtris
Res quædam eſt diuina oculis, miracula certè
Plurima teſtantur Chriſti numenq; fidemq;,
Sed tamen in primis ea quæ iuuenile per æuum
Vidimus ad Thebes portis inſignia centum
Mœnia, & Aethiopum ſterili contermina cœlo.
Iunctus Apollophani lunæ aſtrorumq; magiſtro
Pubertate virens prima, cùm ſydera vellem
Diſcere, & vt perhibent fata omnipotentia gentes,
Tranſieram Graio Protæum remige pontum,
Et demum Thebas, quæ ſuccedentibus annis
Vrbs eſt dicta Iouis, faciens iter arida longum
Per loca, deueni. Iam tertia fluxerat æſtas
Tertia hyems, Phryxiq; domos intrarat Apollo
Nuper, & in vernos ibant noua paſcua flores.
Ecce dies, medio dum ſol ſine nubibus axe
Curreret, extemplò in noctem tranſiuit opacam,
Res horrenda oculis mortalibus, orta repentè
Murmura, & exanguis trepidæ pauor ingruit vrbi.
Sydera miramur toto apparentia cœlo,
Sol aberat ſolus, qui protinus alitis inſtar
Nulla ſuæ linquens lucis veſtigia fugit.
Caſtor in occaſu rutilat, Capricornus in ortu,
Pleiades, Hyades, & lapſi cornua Tauri
Ac tria deltoton ſcribentia cernimus aſtra.
Ecce Aries ſummo gradiens altiſsimus orbe,
Ecce Dionæi piſces, agnouimus vrnam.
Nauigat in ſtellis Argo, deſcendit in vndas

Iam

Iam Lepus, aſcendit Cepheus, per ſingula viſum
Fert magus, & cælum ſuſpenſo examinat ore.
Longè aberat nocturna Hecate, nec credere poſſes
Defectum quem Luna facit, iam lucida toto
Orbe per extremæ currebat brachia Libræ.
Per fora mortales quaſi laruæ obſcura ferebant
Ora, lucernarum accendunt ellychnia, ſupplent
Igne diem, accenſæq; faces per compita lucent.
Per freta mirantur nautæ, per rura bubulci
In medijs deprenſi operis, remumq; tenentes
Illi, ſtiuam iſti verſo modò lumine ad ortum
Et modò ad occaſum ſolem inter ſydera quærunt.
Conueniunt quibus eſt magni ſolertia mundi,
Et cauſam inſolitæ noctis ſcrutantur, & vmbræ,
Quæ ſubita totum abſtulerit caligine ſolem.
Et cùm nulla operis tanti appareret origo
Cauſa ve, nonnulli vanis rationibus acti
Iurabant ſolem æternas iniſſe tenebras.
Et velut abſumpto lychni extinguuntur oliuo,
Materia flammis iam deficiente ſepultum,
Ac quendam quaſi longæuum vixiſſe Cometam
Illuc vſq; dies tandem clauſiſſe ſupremos,
Mox vt ad ætatis iuſtæ peruenerit annos,
Vt terrena ſolent venturo obnoxia fato
Corpora, quæ viuunt, vitæq; carentia ſenſu.
Contra alij certare deos, & bella volebant
Orta per Elyſios parere hæc miracula campos.
Tunc ego vana putans alij quæcunq; ferebant,

Vi mihi neſcio qua vocemq́ animumq́ mouente,
Credite, clamaui luxato machina mundo
Vel ruet hæc ingens, atq́ in chaos acta recedet
Ex oculis, aut ipſe opifex qui condidit illam
Nunc patitur, magnaq́ gemens ſub mole fatiſcit.
Quis mihi tunc hæc verba pater, quis miſit in ora
Spiritus? ignorans vt in hæc praſagia lingua
Curreret, & labens in vera oracula ſermo
Afflatam credi faceret mihi numine mentem?
Hæc vidêre Arabes, Perſæ hæc ſpectacula, & Indi
Mirati hæc ſigna infandæ tam horrentia noctis.
Aſſyriæ in primis gentes Solymiq́ penates,
Vndê erat his ortus tenebris moriente deorum
Principe, & infernas Chriſto ſubeunte lacunas,
Vt ſaluaret auos, & ab alto educeret orco.
Ingens ille tremor terrarum altiſsima frangens
Viſcera, & horribili collidens marmora planctu
Quo manes agitante ferunt exiſſe ſepulchris,
Diuinum teſtatur opus, ſed Olympica nunquam
Viſa prius magis, humanas miracula mentes
Credere adegerunt illo eſſe in corpore numen,
Quod pelago, quod ſyderibus, dominatur & orco.
Nam motum quo terra tremit vidêre frequenter
Mortales, neq́ diuini prætendere quicquam
Aſſolet, ipſum etenim terreſtribus inſita cauſis
Vis ciet, & talem profert natura tumultum.
At nox illa diem ſubitis quæ abſorbuit vmbris
Dum foret oppoſito Phœbe contraria fratri

Arguit abſtruſum in tanto molimine, quod non
Fas alia fuerat prodire ab origine numen.
O diuine ſenex tu qui tam grandibus actis
Tunc aderas, qui tantarum miracula rerum
Intuitus, fœlix, verùm fœlicior olim
Cùm ſemper virides auroræ aſcenderis hortos,
Fundit aquam magnos vbi fons in quattuor amnes.
Miſſa ſed ad præſens ea ſint, tibi multa ſuperſunt
Antè illos nauanda dies, citò deſinet iſtud
Exilium. Cares iterum Lelegeſq; videbis
Ac Lycios. Gaudens Epheſus te tota reuerſo
Geſtiet, & plauſu fluet vſq; ad littora magno.
Omnia perficies opera intermiſſa, Latini
Coniurant ciues Romani in fata Tyranni.
Et ferro armati ſolenne parant holocauſtum.
Talia præſago fatum diuinitus ore
Complexus ſenior placidis ita vocibus orſus.
O benè conſultum venturo talibus æuo
Subſidijs, iecit qui fundamenta, columnas
Incipit ingentes altis ſupponere tectis
Chriſtus, vt in cœlum moles altiſſima ſurgat.
O Pauli longè fœlix labor, inſita, Chriſto
Auſpice, in ingentes ſurgunt plantaria ramos.
Macte animo, macte ingenio, doctiſſime Graiûm,
Inſta operi, ne perde dies, imitare magiſtrum.
Luxuriant ſegetes, vbi ſudauere coloni,
Atq; vbi depreſſo gemuerunt vomere tauri.
Et quia iam dudum gentis primaria noſtræ

Lumina

Lumina ſub magno Romæ occubuere Tyranno,
Te decet ô Dionyſi oras accedere ad illas,
Ac fidei Præſtare operam, quaſi culta rigando
Arua, latinorumq́ animos firmare loquendo.
Roma caput rerum eſt. Romam Deus eſſe ſuorum
Pontificum ſedem ſtatuit, quibus omnia cedant
Regna, quibus Reges ipſi quoq; ſceptra Latini
Submittant, quorum accliues veſtigia adorent.
Ito igitur, nec te Graium cura vlla retardet,
Ipſe ſubibo humeris onus hoc, populoſq; mouebo
Non ſolum ad Chriſti imperium, ſed ad omnia Pauli
Scita, per Aemathios iam promulgata penates,
Per Galatas, tranſmiſſa Rhodum, traſmiſſa Coryntbũ.
Hæc ego dum fando cœlum hoc haurire licebit
Firmabo, & verbis quodam velut amne rigabo.
Non eget ignauis Chriſtus, ſomnum, ocia, menſas,
Deliciaſq; ſuis adimens iubet iſta relinqui
Terrigenis, quibus eſt vitæ ſpes nulla futuræ
Vade, meo Dyoniſi vrbem ſolare Latinam
Nomine, Clementem cui ſceptra & regna reliquit
Simon Petrus adhuc viuens, ſocioſq; ſaluta.

BAPTISTAE MAN- TVANI CARMELITAE, THEOLOGI, DE DIONYSII

Areopagitæ conuerſione, vita & agone, Liber Secundus.

TALIBVS admonitus Chriſti fortiſſimus Heros
Præſide ſuffecto qui pro ſe in puppe ſederet,
Protinus ire parat.Comitem ſe ruſticus addit
Addit Eleutherius,duo conſtantiſſima in omni
Aequoris & terræ caſu & diſcrimine corda.
His velut Aeſonides Polluce & Caſtore quondam,
Fretus abit,ſecat Ionium,Rheginaq; contra
Littora dum pleno fertur prora ardua velo
Multa ſuper Paulo memorat,quo fregerit aſtu
Perfidiam gentis Solymæ,diſcordia quali
Vaframento inter rabidos ſurrexerit hoſtes.
Vtq; appellato Tyrias conſcenderit vndas
Cæſare,declinans odia inteſtina ſuorum.
Vt maris irati patiens diſcrimina Syrtes
Circuit,vt pulſus Lesboa ad littora tandem
Incidit in latitans ſubter ſarmenta venenum.

Vtq; Dicarchæos demum translatus in agros
Venerit ad Tyberim, Romamq; intrauerit vrbem:
Vt quia letiferæ dentem non ſenſit Echidnæ
Crediderit Lesbos Paulum genus eſſe Deorum:
Iam ratis Auloni radens freta proxima curſum
Vertit ad Hydruntem. Borea ſpirante Tarentum
Labitur, apparetq; Croton, iam ſuſcipit Eurus
Carbaſa, circuitu longo Rhegina leguntur
Aequora, Trinacriam læua & Meſſenia cernunt
Littora, deſeritur ſinuoſa Calabria dextra.
Iamq; Salernigenas Citros & mala tuuntur
Aurea, & Heſperidum ſyluas oſtendit Amalphis,
Aſpiciunt Capreas, Campanaq; littora circum
Eſt via, Parthenope Sirenum maxima quondam
Hos tenuit colles, vrbi quoq; nomina fecit.
Prætereunt Baias, & quos Aeneia nutrix
Appellauit agros, Tyberina per oſtia tandem
Lapſa ratis placido Romam ſubremigat amne.
Et iam Tarpeius vicinam nubibus arcem
Prætendebat apex, iam Pallanteus Apollo
Et Cybelæa ædes, & Auentinenſia templa
Proxima velabro, triuiæ ſacrata Dianæ,
Romanam nautis maieſtatem oſtentabant.
At quoniam campis Paulum Dionyſius iſtis
Viderat in mortem vitam mutaſſe, repentè
Et puppi in Tyberis dextrum latus exit, & agro
It quærens viridi ſi quæ veſtigia cernat,
Paſtorem caſu qui per dumeta vagantes

Hic

Hic paſcebat oues & pauca armenta, repertum
Sic compellat. Ades paſtor, peruenit ad aures
Forté tuas Pauli nomen, qui dicitur olim
Cæſare ſub ſexto Tyberim truncatus ad amnem?
Ille nihil cunctatus, ait celeberrima Pauli
Fama per has oras ſupereſt, vidiſſe recordor
Illum ego per populos & magna & mira loquentem,
Hunc bené de cunctis meritum immaniſsimus hoſtis
Humani generis Nero ſuſtulit: His tribus ipſe
Fontibus eſt author, ternos en aſpice fontes.
Nam caput illius ſeu quodam numine latum,
Seu quòd & ipſe Deus fuerit, poſtquàm enſe reciſum eſt,
Ter ſaliјt, totidem fontes, mirabile dictu
Effluxere locis, quas lapſus ab aëre vertex
Preſſerat, vbertim latices iuere per herbas.
Hic noctu lucere faces, lambi ignibus agrum
Cernimus, atque modis flammas incendere miris.
Hic melos auditum cantu alternante viciſsim.
Quale reor primos nunquam audiuiſſe Quirites.
Ob ſcelus hoc ingens (noſtras ſic fama per oras)
Funere tam crudo Diui oppreſſere Neronem.
Talibus affectus verbis Dionyſius ibat
In lachrymas, & proſtratus dedit oſcula campo,
Ac tribus admoto laticem de fontibus ore
Hauſit, idem fletu comites egêre profuſo.
Multa ſimul fantes abeunt, Romana ſubintrant
Mœnia, ſuſpenſo mirantibus omnia vultu
Publicus occurrit vicus, fora bina, patentis

Vndiq; delubrum Iani, via ſacra, ſuburra,
Romanumq; forum, victo Germania Rheno.
Alta in mole ſedens, ſtatuaq; ſuperbus equeſtri
Pegmaticus Cæſar, pacis ſublimia templa,
Tum ſtructura recens Parijs ſubnixa columnis.
Porticus euerſo ſuccedens Liuia tecto.
Atq; Coloſſeum, ſteterant vbi ſtagna Neronis,
Et domus illa ingens gemmis inſignis & auro,
Quæ tenuit tantis loca deſolata ruinis,.
Omnia ſpe maiora vident, mirantur euntes
In nubes cœlumq; domos, & Hymettia templa.
Dorſa Quirinalis cliui ſuper alta meantes
Deſpiciunt ripas Tyberis, campumq; iacentem
Qui Martis cognomen habet, magnalia quondam.
In medio duo templa amni, Iouis atq; Nepotis
Pantheon, Auguſti tumulum, ſacram Iſidis ædem.
Ianiculi, Vaticani iuga conſita lauro,
Vite, oleis, myrtho, Pompeianumq; theatrum,
Ac molem Marcelle tuam, quæ fronte videtur
Montanis certare iugis, & in aſtra minari.
Et ſeptem longo cinctos munimine colles.
Contemplati vrbem tantam migraſſe fatentur
Omnibus è terris rerum miracula Romam.
Inuento demum Cœli ſub monte Vibeni
Romani paſtore gregis Clemente, penates
Intrauere pios, & conſumpſere loquendo
Multa ſuper Pathmo totam ſuper Hellade noctem.
Altera lux aderat, ſacro cùm manè peracto
Clemen-

Clementem affatus tali Dionyſius orſu eſt.
Sancte pater, num vana tuos quæ fama parentes
Germanoſq; refert Romæ te impube relicto
Tot maris & terræ quondam exanclaſſe labores?
Nuper enim veniens per amœnum Tybridis amnem
Audiui ærumnæ mira infortunia tantæ.
Sed vereor (quis enim vulgi rumoribus auſit
Fidere?) ne fuerit vanus qui rettulit author.
Tum Clemens, quòd in hoc diuina potentia caſu
Luceat, & pietas, & quæ mundana gubernant
Sydera, & immenſam hanc mundi ſapientia molem,
Tentabo hiſtoriam paucis complectier omnem.
Cùm pater immenſis opibus polleret, & alto
Sedulo ad eximios animo aſpiraret honores
Romano de more, duos tranſmiſit Athenas
Diſciplinarum altricem, linguæq; magiſtram
Vt nouiſti vrbem natos, præ ſe alta ferentes
Ingenia & cunctos in ſpem magnam indole agentes.
Impatiens matris pietas, vt pignora vidit
Diſceſſura, graui nimium afflictata dolore eſt,
Et verſa in lachrymis animas muliebribus arma
Aſtitit antè virum exorans per numina Veſtæ
Per Triuiæ, per Iunonis, per Palladis aras,
Per ſuperos omnes natis concederet, ire
Se comitem, triſti tandem pater annuit ore
Atq; ita Romano ſoluunt de littore claſſem.
Vt ratis Ionio in magno ſtetit, ecce repentè
Ingruit antennis Aquilo, qui turbine nauem

Præcipiti iactans ventoſa per æquora, tandem
Idaliæ alliſit cauti, ſparſitq́ per vndas
Res, homines, & quicquid opum penus ampla ferebat.
A decimo mater fluctu proiecta reſedit
Littore vicino, fratres, ad pectora tractio
Qui conuulſus erat, clauo, vaſti maris æſtu
Iactati, donec facti Pyratica præda
Veniuêre ſeni Cyprio, ſic affuit illis
Vis ignota Deus, quam ignorari nomine ſortem
Appellant homines. Hic delectatus eorum
Moribus ingenuis, tanquam ſua pignora fouit.
Mox ſene defuncto vita & mortalibus annis
Optata iuuenes ſunt libertate potiti.
Tum magus errabat vicina per oppida Simon
Incautorum auceps hominum, mala pharmaca Simon
Doctus, & Aemonio ſenſus illudere cantu.
Hic iuuenes auidos opera admiranda magorum
Cernere pellexit, ſtudioq́ inuoluit inani.
Fraus vbi iam detecta viri, concordibus ambo
Conuenere animis, Petrum meliora ſequuti
Senſa doli expertem Chriſto miſcrante iuuenta.
Hæc pater ignorans, & præſagire ſiniſtri,
Nuncius exacto quia nunquam venerat anno,
Incipiens aliquid, curam hanc dubiumq́ timorem
Non tulit vlterius, me ſub tutore relicto
Nauigat vxorem & natos viſurus Athenas,
Et quid opus multis horas diſperdere verbis?
Sors eadem deprendit eum, nam pulſus ad oras

Nau-

Naufragus Idalias, Cypriam Salamina petiuit.
Sic diſperſa domus, ſed quo remauit in vnum
Ordine percurrens rerum faſtigia dicam.
Petrus ad Aſſyrios à Thermodoonte reuertens
Appulit in Cyprum geminis cum fratribus, vrbem
Teucrida dum peteret, littuſq́ perambulat, ecce
Sordida mendico mulier quæ ambibat amictu
Supplicat auxilium, & miſero petit ore trientem
Illachrimans, præſeq́ ferens longè anxia corda.
Hanc pius admirans, quæ te fortuna fatigat?
Petrus ait: quæ te luctu ſors afficit atro?
Mæror inardeſcens crebris ſingultibus illam
Concutit, & verbis imo in pulmone retentis
Impedit eloquium, voces demum exit in iſtas.
Sum Romana nurus, Niobe infœlicior illa
Quæ pluit in latices, nomen pudet edere, nomen
Inter Romuleas olim memorabile matres.
Quòd fuerim fœlix præſens ærumna rubori eſt.
Sed tamen vt noris quàm ſim miſerabilis, edam:
Mattidiana vocor, natis orbata duobus
Aequore in hoc merſis, & in his crudelibus vndis:
Sola vagor fruſtra implorans hominesq́ deoſq́
Inſigni priuata viro, priuata paternis
Sedibus, & nato, quem prima ætate loquentem
Nondum recta domi malè fortunata reliqui.
Commiſerans matrem ſenior tam dura ferentem
Fata, modum lachrymis, finem ſingultibus, inquit,
Pone precor mulier, Chriſtus tibi pignora fecit

Salua breui ſobolem totam viſura, domumq́.
Hæc tam certa dabat nurui promiſſa Latinæ,
Diſcipulis ſenior quoniam referentibus iſtos
Audierat caſus, & reſpondere videbat
Oribus ora, parens ab imagine prodita, ab ipſis
Geſtibus, apprenſam dextra deducit ad vndas.
Et vocat è puppi iuuenes, quid plura neceſſe eſt?
Res natura ſagax, mora nulla, vt pignora vidit,
Protinus agnouit, pietas præcordia flammis
Corripiens it in amplexus, it in oſcula præceps,
Pignora ſic mater, ſic inuenere parentem
Pignora, ſic pietas illos diuina coëgit.
Littus idem circumlabens Themeſea tenebat
Arua ratis, viridem cùm rurſus ab æquore in agrum
Deſiliens Simon ſqualentem corpore toto
Fortè virum ac multis flentem ſua fata querelis
Repperit, & grauibus tentans abſoluere curis
Supplicat æquo animo ferat infortunia, diuos
Commiſeraturos, regem omnipotentis Olympi
Affore promittit, maiore aduerſa ferenti
Spe, meliori animo ſuperos in vota vocanti.
Ille autem contra verbis inceſſit amaris
Numina, & in vanum orari ſuperoſq́; Deumq́;
Acrius affirmat, ſolo contingere fato
Singula, & eſſe polos omni ſine numine iurat.
Sic ſibi præreptam vxorem, ſic pignora clamat
Merſa freto, ſic ſe iactatum turbine & vndis
Huc annaſſe inopem vitæ, & rerum omnium egenum.

Ciuis eram Romanus, ait, ditiſſimus auri,
Prole, clientelis, felix & coniuge quondam.
Martidiana mihi coniunx pulcherrima forma
Quæ fuerat, ſeruum fato impellente ſequuta eſt
Dum ſimulat natis comitem ſeſe ire duobus,
Quos ego ad Actææ gentis Gymnaſmata miſi,
Surripuere mihi miſero ſimul omnia fata
Impia, & humanos nil commiſerantia caſus.
Nuper enim nautas dum percunctarer Achiuos
De rate quæ tulerat natos à littore noſtro
Reſpondere ſimul nautas ipſumq; magiſtrum
Naufragio ingenti merſos in fluctibus iſtis
Et fragmenta ratis tellure iacentia propter
Littora monſtrarunt, agnoui Caſtores ambos
In tabulis pictos, fuerant quæ inſignia puppi,
Ac tutela, potens nil contra immobile fatum.
Horum ego dum curſus magni perſcrutor Olympi
Inueni in ſtellis cauſas ortumq; malorum.
Sic pater aſtrorum cura deluſus inani.
Tum ſenior Petrus natorum nomina poſtquam.
Audijt, ô ciuis, pone hunc Romane dolorem.
Huc ades, vxorem diuûm Pater & tua dixit
Pignora reſtituit, magni Deus iſtius author
Muneris eſt, venerare Deum qui ſydera torquet,
Qui cælum & ſi quid fatum eſt, fatum omne gubernat.
Talibus excitus dictis ad littora tendit,
Pallia naufragio ſituoſus & ora recenti
Agnoſcitq; ſuos, & præ dulcedine largo

Fuſus humi Petro irrorat veſtigia planctu.
Inuentis igitur natis & coniuge lætus
In noua commento ruit infortunia miro,
Nam Magus vt nouit fata hæc tam immania, Petro
Auſpice, in euentus ſic euaſiſſe ſecundos,
Inuidit tam fauſtam homini mens impia ſortem.
Et cupiens aliquo triſti ſubuertere caſu
Gaudia tanta, mei ſua transformauit in ora
Ora patris, Magici tantum valuere ſuſurri.
Petrus id aduertens, fraudem conuertere in ipſum
Criminis authorem ſtuduit. Iubet ocyus illum
Artibus affectum vetitis præcurrere in vrbem
Antiochi, & cauſam Chriſti defendere vultu,
Simonem referente Magum, qui plurima paucos
Antè dies rabido in Chriſtum latrauerat ore.
Ille abit, & populos Simonem audire putantes
Sic affatur. Eram Petro contrarius olim
Antiochi ciues, magni modò cognita Chriſti
Relligio, fugat omne odium, totamq́; reuellit
Corde ſimultatem, ſenſum duo pectora in vnum
Concilians, pudet erroris, pudet eſſe loquutum
Numina quæ Chriſti poſt explorata retractem,
Sed tamen eſt ſatius vinci quàm errare, pudorem
Ferre breuem ſemel, æterno quàm errore teneri.
Non mutanda meam tenet hæc ſententia mentem
Qui me aliàs vnquam ſcierit diuerſa docentem,
Pellat in exilium, flamma interdicat & vnda.
Obſeruate igitur Petrum diuina ferentem

Dogmata,

Dogmata,& applauſu redeunti occurrite magno.
Sic ait,hunc igitur plebes vrbana ſalubrem
Sic eſt paſſa dolum,Petroq́; immobilis hæſit
Paſtor vi edocuit caſus & fata ſuorum,
Sic meritò illuſum riſit Dionyſius hoſtem.
Sol fugit à nobis aliumq́; habitantibus orbem
Naſcitur Antipodum populis,cum nocte reſurgit
Somnus,& omnimodis vmbrata inſomnia formis.
In ſomnis igitur Clementi aßiſtere viſa
Gallica,& auxilium tenſis orare lacertis
Fœmina,cui ſummo turres in vertice,magnæ
Matris ad exemplum,Graiaq́; expoſcere lingua
Tris Deus occiduis homines quos deſtinat oris.
Continuò euigilans toto ſua ſomnia ſenſu
Perpendit,viſumq́; animo complectitur alto.
Simonisq́; memor Petri quo interprete ſanctas
Doctus erat leges,& quæ per ſomnia Diui
Noſtra in corda ferunt,monitum ſe aduertit ab alto
Mittendos homines Graios ad Gallica regna.
Accitis ergò hoſpitibus quid numina poſcant
Edocet,adijciens non ſunt hæc ſomnia,cæſo
Ariete & inſtratis quæ immiſerit Amphiaraus
Pellibus,iſta Deus nobis oracula fecit.
Ergò viri parete Deo,quò deſtinat ite.
Ipſe modum vireſq́; dabit,comitabitur ipſe
Vos Deus,hoc fieri vobis inſigne miniſtris
Vult opus,vt noſtris accedat Gallia regnis.
Proſequiturq́; loquens,laudemq́; exaggerat huius

 Gentis,

Gentis,& in magnos eius ſe iutendit honores.
Gallia terreni pars eſt non infima mundi,
Sed longé latéq; patens. Hiſpanica tangit
Oppida ab occaſu, ſeſe coniungit ab ortu
Italiæ, noſtro hinc pelago qua reſpicit auſtrum
Clauditur Oceano geminas qua reſpicit vrſas.
Vnde venit Boreas Hibernaq; frigora ſurgunt.
Et vada Theutonici tangit vaſtiſsima Rheni.
Terra hominum, frugumq; ferax, armenta, gregeſq;
Vberibus paſcens glebis, non languida cœlo
Tabifico, non mortiferis infeſta venenis
Vt Libye, non perpetuis adoperta pruinis
Sicut Hyperborei montes, non torrida ab æſtu,
Qui faciat ſteriles vt decolor India campos.
Non etiam noctis pallens Semeſtribus vmbris,
Quale ſub arcturo poſitum mare, & vltima Thule.
Sed nec vt Aegyptus quia fuſa paluſtribus vndis,
Sed cœlo & teneræ fœcunda vligine terræ.
Inſita Gallorum ingeniјs, quanquam modò circa
Numina cum reliquis luſi mortalibus errent,
Relligio, poſtquam fuerint ad ſancta redacti
Legis ſcita nouæ, nulli conſtantia maior,
Nulli maior erit pietas in numina genti.
Defendent mucrone fidem, belloq; domabunt
Quoſcunq; audierint Chriſtum ſe attollere contrà,
Et certum munimen erunt, quod non ſinat iram
Barbaricæ gentis noſtros incurrere fines.
Semnothei Dryidæ qui maieſtatis habebant

Culmen apud Celtas, vt circumfulſerit illos
Lux diuina malos abigens in tartara manes,
Fœdera nobiſcum ferient. Iam Claudius omnes
Suſtulit, illorum ritus, & atrocia ſacra.
Gallia fert acres animos, & idonea bello
Corpora, non illis auſit componere ſeſe
Thracia quæ Martem genuit, non Parthia verſis
Quæ bellatur equis fugiens, licet inclyta Craſſo
Facta ſit extincto, ſignisq́ ſuperba latinis.
Quas gentes olim non contriuere? per omnem
Inuecti Europam, quaſi grando Aquilone vel auſtro
Importata graui paßim ſonuere tumultu.
Scit Romanus adhuc, & quam Tarpeia videtis
Arx attollentem caput illo in monte ſuperbum.
Pannones Aemathij norunt, ſcit Delphica rupes,
Quæ niſi terrificis ſubitò conuulſa ruinis
Oppreßiſſet eos, non defendiſſet Apollo
Conferta argento templi ſacraria, & auro.
Intrauere Aſiæ fines, propè littora ponti
In gentem creuere nouam, quæ tenditur vſq́
Ad iuga Pamphylum, Garamantica ſydera contrà,
Inter Cappadoces poſita & Bithynica regna.
Ite ergò ad gentem hanc claram, felicibus ite
Auſpicijs, Chriſto genus hoc acquirite tantum.
Talia Romanus dabat hortamenta ſacerdos,
Ergò iter aggrediens montes Dionyſius Vmbros
Tranſit, & Adriaci conſcendit ad æquora ponti,
Flaminiamq́ tenet, dextra Padus, Apenninus

Nubifer ad læuam,iuga tandem Alpina ſubintrat
Theſſalico maiora Othry,maiora & Olympo,
Quà Pœni venere duces,quà Vandalus iuit,
Et Gothus,Hiſpanas gens regnatura per vrbes.
Conſtitit ad Rhodani ripas,noctisq; per vmbram
Dum iacet expectans labentem in lumina ſomnum
Cernere viſus equos,faciesq; incedere longo
Ordine,& in latis figi tentoria campis.
Mox caſtris aliquot turmas migrare relictis
Longius,& campo ſimul inſediſſe virenti.
Scire volens quorſum tandē hæc ſimulacra ferātur
Stat tacito geminas acies immobilis ore.
Viſæ aliæ numero plures ſuccedere turmæ,
Quæ ſubita turmas cæde abſumpſere priores.
Mox audire virum viſus præſagia fantem
Talia.Mauricius tota cum plebe ſuorum
Hic cadet,à centum portis,à flumine Nilo
Miſſus in hos fines,erit his ea gloria campis,
Nomen ab hoc caſu locus immortale tenebit.
Talia dicta notans cœleſte ſonantia quiddam
Quiſquis es ô dixit Dionyſius,hos mihi rerum
Qui canis euentus,& temporis acta futuri,
Mortalis certè neq; vox,neq; talia fandi
Officium,Tu cœlituum de ſemine diuûm
Vt reor,aut aliquis noſtro translatus ab orbe
Diuorum in ſortem,magniq; habitator Olympi.
Fare precor,neu mox oculis te ſubtrahe noſtris:
Ille autem,Dionyſi,inquit,depone timorem.

Ipſe ego qui quondam tecum verſatus Athenis
Te docui Chriſtum fideiq́ exordia Paulus,
Tecum ero, per Gallos ego te comitabor euntem.
Eſt regio ad læuam fecit cui nomina Narbo
Vrbem vbi Phocenſes quondam poſuere Coloni
Maßiliam, gens illa magis manſueta, minusq́
Barbara, Græcorum Romanorumq́ ſequuta
Sermonem & mores, quia talibus obuia nautis,
Maßiliam plæriq́ ideò dixere Trilinguem.
Huc ne tende viam, Rhodani vada magna relinque,
Impete quæ grandi fines labuntur in illos.
Illas Martha domos ſatis & Germana, Comesq́
Lazarus atq́ genis olim Chelidonius orbis
Luſtrauere, Deus tibi Celtica regna relinquit,
Inſtituenda illic fidei plantaria, gentes
Vnde petant calamos, vbi talea plurima ſurgat.
Talea Gallorum terras mittenda per omnes,
Fons illic vitalis erit, qui flumina fundat
Multa procul poſitas mollire potentia glebas.
Flecte iter in dextram, quà ſaxa per Hernica Belgæ
Fuſi habitant, ducens illis è finibus ortum
Sequana te ducet, Belgas hic regius amnis
Separat à Celtis, veniens duce flumine tandem
Parrhiſios gentem veſtris quæ traxit ab oris
Et genus & nomen, ſed primæ barbara turpem
Lingua notam vitio fandi ſuccedere fecit.
Nam quando Alcides per Iberica littora ad hortos
Tranſijt Heſperidum, dedit his perſiſtere campis

Parrhaſios

Parrhaſios quoſdam, qui florida rura videntes
Sequanicas iuxta poſuerunt mœnia ripas,
Gens fera ab immani demiſſa Lycaone, Veſta
Et Titane ſato, non qui ſub montibus Idæ
Laomedontiadæ, Priami de ſanguine cretus.
At ſenſim frangente Deo mentemq; animumq;
Exuet hos mores, feritas manſueſcet aratro
Iſta tuo, ferus hic habitus vertetur in auſus
Magnanimos, quibus infidos vtentur in hoſtes.
Cùm me Dardanijs olim Deus egit ab oris
Ad Macedum campos & ad Hellada, iam tibi regna
Celtica tradebat, tu quærebare ſalutem
Gentis ad iſtius, quæ Græca ab origine fluxit.
Poſtquam Roma diu Gallos poſſederit, arma
In noua iurabunt Franci Germanica proles.
Si genus inſpicias longum, Troiana propago,
Regnaq; tranſmiſſo venient in Gallica Rheno.
Hos inter regale decus Faramundus habebit
Primus, & hinc veniet ſeries longiſſima regum.
Quintus ab hoc Clodoueius erit, qui falſa relinquens
Numina, noſtrates primus libabit ad aras.
Hic erit ille, Deus cœlo cui mittet ab alto
Fœderis æterni ſignum memorabile quondam,
Cærulei breue vas olei, quo tempora regum
Gallia perfundat, pater hoc dignabitur illos
Munere præ reliquis venturi regibus æui.
Quartus ab hoc magna tibi relligione ſuperbum
Ponet opus, nomen Regi Dagobertus, & amplis

Sumpti-

Sumptibus educet cœlo ſublimia templa.
O quantos olim qualesq; habitura triumphos
Iſta ſub imperio Chriſti Germanica proles.
Semper clara quidem, ſed tum clariſſima, quando
Regia Pipinus ſumens inſignia priſcos
Excludet regnis Ephoros, & liber habenas
Pacis & armorum plena ditione tenebit.
Carolus hinc, cui maieſtas non regia ſolum
Sed titulis Auguſta nouis, cui nomine magno
Maior erit virtus, cui ſumma potentia, & ingens
Relligio, qui res hominum clementer & æqua
Lance gubernabit, qui ferrea ſæcula in aurum
Vertat, & immenſo patrem ſe præbeat orbi.
Aſſeret Italiam, veniet Mauruſia contra
Arma per Heſperiæ latos flagrantia campos.
Huius ad imperium ne nox ſubduceret hoſtem
Barbaricum cædi, lampas quæ illuminat orbem
Tres immota dies curſus oblita manebit,
Prodigium graue, & æternos memorabile in annos:
Vaſconas immanes, immanſuetos Aquitanos
Conteret, ad Chriſtum rediget Saxonia regna.
Eruet Hunnorum imperium, dominabitur Iſtris,
Atq; Liburnorum populis, tranſibit ad ortum
Solis, & Aſſyriam validis frænabit habenis.
Hic rem Romanam ſuprà tria ſæcla iacentem
Tollet in occaſu, ſortem vlciſcetur acerbam
Pontificis magni, quem ſeditioſa rèpentè
Corripiet ſtrepitu Roma inter ſacra ſuborto:
Maximus hic igitur terræ pater & pater vndæ, Au-

Græcia poſt illos ſemper tenebroſior annos
Fiet & in prædam Scythicis data gentibus ibit
In nemora, in ſentes, obſcura in luſtra ferarum.
Gallorum ſyncera diu fortuna ſenectam
Sentiet, & longo tandem incuruabitur æuo.
Tempus erit cœlo quo ſic voluente ſupremos
Aduentaſſe dies, oriq; incumbere mortem
Credat, ita exili ſpirabit anhelitus aura,
Languida tam tenui ſalient præcordia pulſu.
Sed te vita cadens intercedente reſurget
Continuò, miriſq; modis plebeia virago
Arma canens Gallumq; animans ita conteret hoſtes
Vt mox regna caput iam ſemiſepulta leuare
Incipiant, & humi proſtratum attollere corpus.
Ergò breui decus amiſſum vireſq; reſumet.
Non tamen extendet finem ditionis, vt olim
Antè per externas gentes, ſed limite linguæ
Circumſcripta ſuæ regni confinia claudet.
Carolus Auſoniam, verùm infœlicibus armis
Irritabit adhuc iuuenis, nam milite multo
Franciſcus Gonzaga Italas tutabitur vrbes
Magnanimus iuuenis, pluſquam iuuenilibus annis.
Sydera cùm tulerint à magni Cæſaris æuo
Tempus ad id Mauorte potens, quem Troicus Hector
Horreat armatum, cui non concurrat Achilles.
Alter ab hoc regni princeps impleuit auorum
Maieſtatem animis, per mille pericula Martis
Verſatus, regni accipiet florentis habenas.

Lili

Lilia trans alpes mittet, confinia latè
Porriget, æquabit factis ingentia corda.
Adijciet regno Aemyliam quà Parma per vrbem
Etruſcas importat aquas, Trebiamq́; tenebit.
Romulidum Trebiam conſperſum cladibus amnem,
Addua, Comenſis gremium cui Larius implet,
Et Lambrus, ſcopulisq́; ruens Ticinus ab altis
Eridanusq́; pater fluuiorum, in plurima tandem
Flumina diuiſus, Tanari vada proxima Iacto
Sub iuga deuenient magni clementia Regis
Cui nomen Lodouicus erit, dominabitur vſq;
Littus ad Etruſcum, mare complexurus & vrbes,
Quas Ligur, & pingui quas poßidet Inſuber agro.
Hic genus armipotens a belli laudibus altum
Sfortiadas regno expellet, per Celtica regna
Aere catenatos ducet, victricia portans
Signa triumphabit. Lygures, Trebiamq́;, Padumq́;
Inſubrumq́; Ducem vinclis & carcere claudet.
Mox miſeransq́; vrbes bellorum incendia paſſas
Induet humanos animos, mentemq́; benignam
In populos omnes, & pacatißima reddet
Regna per atroces olim vexata Tyrannos.
Vade igitur, vade intrepidus. Chriſtum inſere genti
Sequanicæ, paucis iace fundamenta diebus
Viua, domus magnæ, quæ in regna amplißima creſcat.
Regna æterna alijs Chriſti munimina regnis,
Regna per extremas orbis ſua nomina gentes
Tranſmiſſura, metu terras preſſura fretumq́;.

Chriſti-

Chriſtigenis etiam factura vocabula, Francos
Chriſtigenas omnes tellus Aſiatica dicet.
Sic Iudæa tribus quia gens animoſior, armis
Illuſtrata, alijs tribubus cognomina fecit.
Poſt maris illuuiem primam, cùm terra colonis
Orba foret, Noë, ſæclis genus vndè futuris,
Miſit ab Armenijs in Gallica regna Samotem
Cordatum, fortemq́ virum, qui creuit in amplam
Progeniem vetus inſtaurans pecudumq́ hominumq́
Semen, & has omnes implens animantibus oras.
Sic (tibi ſors adeò felix, fatumq́ ſecundum)
Poſt longam morum Eclipſim, poſt obruta magno
Tartareæ iuga perfidiæ montana profundo,
Te Deus huc miſit, quò deſolata miniſtro
Accipiat formam diuini Gallia cultus.
Primus in hac ſtructura operis, quod grande futurũ eſt,
Tu lapis & faber es, tu ſemper in ordine rerum
Tantarum venturo æuo memorabere princeps.
Talia nocturnis Paulus memorabat in vmbris.
Mentis in exceſſu poſitum ſpeciesq́ videntem
Fatidicas, verſo per frigida ſydera plauſtro
Iam vicina dies ſpirantibus excitat auris.
Carpit iter ſocios hortans, & viſa per vmbram
Multa docens, facilemq́ viam facundia reddit.
Iam quæſita diu fugientibus obuiat vndis
Sequana, & alludunt curuis vada lubrica ripis.
Labitur Oceanum verſus viſura Britanni
Aequoris ingentes fluctus, & flumina in altum

Miratura vijs Neptunum intrantia multis
Non augere fretum, nec aquarum tollere campos.
Parrhiſios intrant, bifidas vbi diuidit vndas
Inſula iocundo pontem ſortita magiſtro
Magni regis opus magnum, noua machina grandes
Arte ac mole animos referens, ſperare videtur
Romanorum operum decus immortale, labori eſt
Aemula, quo Auguſtus rapidum coniunxit Araxem,
Traianusq; grauem ſexdenis amnibus Iſtrum.
Inſpiciunt hominum mores, templa omnia luſtrant,
Sacra notant orisq; ſonos, & verba latino
Proxima ſermoni, blæſamq; ſonantia linguam.
At quia Gallorum ſermo de moribus ortus,
Hic gentis natura breui ſignanda relatu eſt.
Ignea mens Gallis, & lactea corpora, nomen
A candore datum populis, muliebria pingit
Ora color Tyrius. Paphium meditata decorem
Ex geminis fecit natura coloribus vnum.
Læti, alacres, luſu, choreis & carmine gaudent.
In Venerem proni, Proni in conuiuia, Proni
Ante dapes ad ſacra Deum, ſeruire, iugumq;
Ferre negant, fugiunt figmenta, & hypocriſin, ore
Liberi, vt ingenuis mos eſt, tetricosq; peroſi.
Venatu, aucupio, campos, montana, lacusq;
Sollicitant, bellandi vſu lætantur, equorum
Terga fatigantes, loricæ, haſtilia, & arcus
Deliciæ genti, ſub dio ad ſydera ſomnum
Carpere, fuſcari ſole & ferrugine pulchrum eſt.

Puluere

Puluere conſpergi, grauibus ſudare ſub armis,
Pro patria, pro cognatis, pro regibus ire
In pugnam & gladios, & morti occumbere dulce eſt.
Aegoceros genti dominans, ſi credimus aſtris,
Si damus hoc cœlo arbitrium, citò mobile pectus
Cordaq; largitus rerum ſitibunda nouarum.
Ergò ſubingrediens æquor Dionyſius altum
Cum ſocijs cœpit Ditem contundere, & omnem
Saturni, Cœliq; domum, quos credere adacta eſt
Illa recens ætas mundi rudis illa Gigantum
Progenies, ſola arma ſciens, ignara Deorum,
Eſſe Deos laruis ſic illudentibus orbem.
Spirituumq; docet duplex genus, ætheris vnum
Tranſmundani, aliud poſitum ſub ſydere Lunæ.
Illud ait nunquam magni violaſſe Tonantis
Imperia & leges, hoc prima ab origine rerum
Elatum faſtu magno ſe æquaſſe Tonanti,
Atq; ideò pulſum à ſuperis, & ad infima regna
Perpetuis actum exilijs, hominumq; pientum
Progeniem cœlo aſcriptam, vacuisq; dicatam
Sedibus, ac diuûm in ſortem tranſiſſe malorum.
Hinc odia, hinc iras, hinc exarſiſſe dolorem
Laruarum in genus humanum, quòd corpore functas
Nonnullorum animas ire in ſua tecta viderent,
Ac cœli ſplendore frui, quæ gloria ſumma eſt.
Tum fraudes ſtruxiſſe duas, hominemq; Deumq;
Supplantaſſe, Deum, credi dum numina paßim
Se faciunt, dum diuino inſidiantur honori,

Et poni ſibi templa volunt, ſibi ſacra litari,
Thura ardere, Deo excluſo qui fecerit orbem.
Aſt hominem, varia dum luſum ambagine ducunt
In tenebras, nec ſcire Deum, nec pendere cultum
Quem poſcit natura ſinunt. Sic omnia longè
Deprauata dolis atq; improbitate Deorum.
Tandem cœlituum patrem de vertice mundi
Progeniem miſiſſe ſuam ſub imagine noſtra,
Et viſam Aſſyrijs, ſuper hoc errore loquentem
Plurima, degeneres diuos, altaria & ignes
Deteſtantem, omnes populos ad vera vocantem
Orgia, & ad verum Domini omnipotentis honorem.
Et cùm mortales ſceleris contagia primi
Soluere non poſſent, ſe dura in fata dediſſe
Ac lauiſſe ſuo ſordes in funere noſtras.
Iamq; dies veniſſe nouos, noua ſæcula ſancti
Quæ Vates quondam quæ prædixere Sibyllæ.
Ac modò terrarnm cunctis habitantibus orbem
Vulgari cœpiſſe Deum. Per Bactra, per Indos
Iſta per Aethiopes, Scythicas allata per oras
Nuncia, legatos ſe regna ad Gallica tanti
Eſſe boni, ſe corporibus, ſe ferre ſalutem
Certam animis, perfundi omnes opus eſſe lauacro
Myſtico, & intingi crines fluuialibus vndis.
Sic ait, atq; operi dedit hæc exordia ſancto,
Continuò quaſi nix cum flare Fauonius orta
Incipit, Andromeda ſummis de montibus, omnes
Tota ex vrbe fluunt, ſtant circum flumina turbæ

Et

Et poſitis raptim tunicis gradiuntur ad vndam.
Taliaq; in populo magnos primordia motus
Exciuere, Deos iam deteſtantur & aras.
Templa, ſacerdotes, ſine maieſtate relicti
Vix tutantur, eunt turbæ irreuerenter, & ipſa
Aurea ridiculis ludunt Idolia ſannis.
Quos medicæ nequeunt artes extinguere morbos
Emollit curatq; fides. It fama per vrbes
Finitimas, rhedis veniunt ſtridentibus ægri,
Preſſaq; congeſtis tardos languentibus orbes
Eſſeda conuoluunt. Dorſis geſtantur equorum,
Pars humeris hominum, ſua pars veſtigia lentis
Imbecilla trahunt plantis, deſcendit in omnes
Expectata ſalus, vimq; experiuntur Olympi.
Sollicitat gentes, & quò nequit ire magiſtros
In ſanctum delegat opus, ſic Bellouacenſes,
Sic Arelatenſes, ſic longinquos Aquitanos
Inſtruit, & magni radians Hyperionis inſtar
Cuncta calorificat, populos illuminat omnes.
Sæpè ſacerdotum qui ſaucia corda ferebant
Ira, odio, liuore, quibus Lemures adhibebant
Ardentes ſtimulos, corruptum munere vulgus
Corruptum ſermone, viros inuaſit inermes.
Lucida dum mediam torquerent ſydera noctem
De grege plebeio ſtrictis ſæpè enſibus orta
Seditio, ſtrepitu reſonabat ad oſtia magno.
Sed mox vt Senior veniens oſtenderat ora,
Maieſtate viri diſſoluebantur, & armis

Depoſitis veniam orabant, vel Dorcadis inſtar
Cùm videt iratum loca per deſerta Leonem,
Terga dabant ſubita in latebras formidine pulſi,
Tanta erat in ſacro grauitas & gratia vultu.
Quottidie magis ardet opus. Dionyſius acri
Aſsiduè ſermone magis myſteria vulgat,
Irritatq́; omnes contrà mala numina Celtas.
Dij ſtimulis preſsi tam ardentibus, ocyter omnes
Conueniunt, motoq́; parant occurrere bello.
Veſtaq́; collegas ſic eſt affata ſedentes.

BAPTISTAE MANTVANI CARMELITAE, THEOLOGI: DE DIONYSII Areopagitæ conuerſione, vita & agone, Liber Tertius.

IMperium poſtquam magni ſuſcepimus orbis
Iam biſdena volans conuoluit ſydera mundus
O comites, nam tunc noſtros protendere fines
Cœpimus, & mortale genus ſubmittere, quando
Stelliferos auſus cœlos conſcendere Nemrot
Accinxit famoſam illam contexere turrim,

Qua

Quæ Syriæ in campis poſt deſolata refuſo
Arua mari, ſedes primo fuit inclyta regno.
Hic Belus Beliq; Ninus Mauortia proles
Multideis altas poſuere nepotibus arces.
Diuiſis etenim linguis iuere per orbem
Errabundi homines, nata eſt incuria morum,
Diſciplina obijt, Deus eſt ex corde nepotum
Lapſus, amor rerum dominandiq; improbus ardor
Inuaſit gentes, ſolis in ouiiibus Hebri
Vox prima, & patrum pietas antiqua remanſit.
Nos alias ſubitò gentes indagine noſtra
Clauſimus, atq; Dei paucis euaſimus annis.
Perſarum nos imperium, nos Aſſyriorum,
Aegyptum, Armenias, Parthos, Magogica ſceptra,
Quos dixere Scythas, Argiuaq; reximus arua.
Cecropidas, Phrygas, Aemathios & Punica regna
Ac Romana dein longo poſſedimus æuo.
Nunc ruimus, regnis vbi ſunt exordia noſtris
Tradita, & occaſus ſurgunt exordia noſtri.
Natus apud Solymos Chriſtus iam ſtipite longo
Pullulat, extenſis vmbram facit vndiq; ramis.
Atq; ſuis noſtros radijs exterminat ignes.
Ecce tenet Gallos, totam hanc Dionyſius vrbem
Cecropidum ſtudijs armatus & arte Pelaſga
Subruit, & Paulo nihilo minor omnia vertit.
Corda virum, manibus, cilijs, & vocibus implet.
Atq; volubilibus ſcalpit præcordia verbis.
Arte magiſtratus circumuenit, arte ſenatum,

Arte rudes ſubigit turbas, arte omnia vincit.
Nec locus eſt, vbi non pedicas, non retia tendat,
Incipimus fieri Celtis ludibria, & ægrè
Templa ſacerdotes, & noſtra Idolia ſeruant.
Audimus paßim vulgi conuicia, paßim
Probra ſonant, in nos & mas & fœmina clamant:
Quid vobis animi ô comites? deponimus arma?
An pugnamus? adeſt totis in limite caſtris,
Et iam bella gerit Chriſtus, ſi cernere mens eſt,
Arma capeſſamus. Quæ vos ſententia flectit
Edite, & ex oculis ſomnos depellite, paucis
Hic opus eſt verbis, anguſtia temporis vrget.
Segniciem diuûm Dea vocibus arguit iſtis,
Thracius extemplò Mauors pugnabimus inquit.
At quibus auxilijs Pallas ait? ille virenti
Bile fremens noſtris (inquit) pugnabimus armis.
Nil opus auxilijs. Placido mox Iuppiter ore
Se ingerit, & placans iras tali inchoat orſu:
Auxilijs non eſt nobis opus, inſtrumentis,
Eſt opus, hæc igitur meditemur, & ocyus antè
Quàm res tota ruat, quæramus idonea bello
Inſtrumenta, mihi quod mens modò ſuggerit, hoc eſt,
Summa Titũ probitas, ſumma eſt comitata parentẽ,
Improbitas fratrem, cui nunc immobile fatum
Ingruit intentans gladios finemq́ cruentum.
Quod factu facile eſt igitur, crudele Tyranni
Cor flectamus, vt his tantis conatibus obſtet.
Aſſenſere omnes, celeriq́ abiere volatu

Trans

Trans iuga, & vmbroſas vbi nix altiſsima valles.
Hinc Tyrrhena vident, illinc Adriatica ab alto
Aequora, & Ionijs lucentem fluctibus Aethnam
Romæ allabentes ſiſtunt veſtigia grandi
Mole ſuper, cui dant zonæ cognomina ſeptem.
Tum rex porticibus ſpacians reputabat in amplis,
Fatorumq; memor lucenti in marmore formas
Attendebat iens comitum poſt terga ſequentum.
Cominus in gyrum milui de more volantes
Cùm famis impatiens & paſsis pandulus alis
Suppoſitam toruo circum ambulat ore cohortem.
Corripiunt hominis ſenſus, & in intima lapſi
Pectora præſentant Chriſtum, delubra deorum
Ac veteres ritus eradicare volentem.
Atq; deos illius opem ſibi poſcere fingunt.
Miſſus in has igitur, tacitæ quæ inſomnia noctis
Aequiparant, curat, quid contrà numina tentent
Chriſtigenæ inquirit. vafro Cyllenius aſtu
Verſus in effigiem Satyri, modò Gallica regna
Sollicitant inquit. Stephani Tritonia Pallas
Ora ferens, cur non Cæſar te principe, dixit,
Hoc infame genus terris vexatur & alto?
Cur non ex toto confeſtim abraditur orbe?
Cur ſinis iſta pati noſtros opprobria diuos?
Tu Deus in terris, tu per terreſtria debes
Regna deos ſuperos, cœli aſtrorumq; potentes
Cuſtodire, tuum nobis monſtrare quid optes
Nutu aliquo, noſtrum tua iuſſa faceſſere ad vnguem.

Iuppiter Hermetem mittit, Taumantida Iuno.
Nos omnes tibi Mercurij, nos Irides omnes.
Nil verearis, opem diuis poſcentibus affer.
Sic Lemures. Ille oppreſſis ſub fomite prunis
Quæ prius attollunt fumos, mox frigore victo
Eliciunt flammam ſimilis, Perquirite clamat
O Stephane, o Satyri, quot habet mea maxima paſſim
Regna, magiſtratus genus hoc perquirite ferro,
Igne, fame, ſæuite, feras adhibete, ſub vndas
Mergite, nulla huius ſuperent veſtigia vulgi
Tartarei, canis inferni de ſemine nati.
Sic ait, & Tragico clamore periſtyla rumpit.
Iſte fuit noſtris alter Nero, ſanguine ſacro
Iſte cruentauit Tyberim, fora, templa, viaſq́.
Regna ſub hoc rege immani longinqua natarunt
Sanguine noſtrorum, nulli violenta pepercit
Sæuities, rurſum rubuit Rhodopeius Hebrus,
Thermodoontiaci rubuerunt littora ponti.
Intepuit Symois, cladem Antiochenus Orontes
Senſit, & Euphrades, ſenſit Niſæus Hydaſpes.
Spumoſis iuere vadis Pactolus, & Hermus,
Cydnus, & Eurotas, necnon Pirrhæus Enipheus,
Intumuit ſpumis Alphæus, & amnis Acarnan
Corniger, infecit cædes Arethuſidas vndas.
Dum Phlegethontæo cupiunt parere Tyranno
Diuerſi diuerſa petunt loca, durus & atrox
Natus ad omne nefas domino crudelior ipſo
Feſcenninus adit Gallos, cum faſcibus intrat.

Parrhi-

Parrhiſios, edicta tubæ crudelia clangunt.
Vrbs ſilet ac trepidat, ſicut cum ſepta Lycaon
Circum vlulat, foti trepidant ſub matribus agni.
Nec ſecus in ſtagnis ſimplex plebecula ranæ
Cùm videre hydrum ſeſe ſinuare per vndam,
Et caput in prædam ſublato extendere mento.
Horreſcunt animis, latitantq; in carice & vlua.
Tum pater ad populos reſonantia ſoluerat ora
Inſitaq; antiquis duo teſtamenta docebat
Legibus, vt melior ſilueſtri teſſera trunco
Inſeritur, cùm mox Romani militis vnda
Clauditur ingenti, maniciſq; ad brachia miſsis
Atq; catenato trahitur ceu victima collo,
Triſtis, & hoc caſu quaſi vulnere ſaucius alto
Clamat Eleutherius cum præceptore tenendum
Se quoq;, deberiq; eadem ſibi vincula, quando
Vna ſit ambobus Chriſti cultura fideſq;.
Ruſticus iſtud idem ingeminat, ſeſeq; ingerit vltrò
Hoſtibus, atq; viri comites ſe voce fatentur
Ingenua, quos relligio coniunxerit vna,
Teſtantur ſe velle mori vel viuere in vnum.
Corripiunt ambos igitur, miſsiſq; trahuntur
Ad iugulum loris, potuit concordia certè
Atq; fides, ſineret furor, admiranda videri,
Qualis erat Theſeu tibi cum Iouis Hercule quondam
Cum Damone tibi Pithia, cum Pylade Oreſti,
Verùm animis odio impulſis, vecordia quædam
Viſus amor tantus, viſa eſt inſania virtus.

Præſes

Præſes vt adductos videt, infremit, oraq́; vultu
Nubilat obſcuro, fronti conformia corda
Talibus eiectant ſpumantem pectoris æſtum
Hoc genus inuiſum ſuperis, hoc iſtius æui
Dedecus, hanc hominum ſcoriam ſeruilibus armis
Plectite, & obſcurum, donec tormenta parentur
Debita ſacrilegis, cæſos detrudite in antrum.
Imperijs lictor paret crudelibus, armos
Nudat, & atroci proſcindit terga flagello.
Præſes vt in riuos cædem decurrere vidit
Sæuitie paulum poſita, quibus, inquit, ab oris
Huc miſeros fortuna tulit? Quæ patria? Quæ gens?
Quod natale ſolum? Tum ſic Dionyſius inſit,
Sancta Dei ſoboles Chriſtus nos miſit ab oris
Argolicis, & tu tali nos accipis ore?
Iuppiter hoſpitibus quem vos dare iura putatis,
Hoſpitibus tales docuit te apponere menſas?
Præſes vt Argolicos didicit, certare loquendo
Mos, ait, eſt Graijs, nobis ferro, igne Latinis.
Ite, nec ingenio nec pictæ fidite linguæ.
Vincti igitur, cæſi, irriſi, pelluntur in alta
Speluncæ vmbroſum chaos, horrenteſq́; tenebras.
Dumq́; ea diuorum pro religione geruntur,
Ecce nurus laruis agitata procacibus infert
Se in medios, fletuq́; genas perfuſa maritum
Nunciat artibus his quadam incantamina doctum
Aegrotos ſanare, deos contemnere, noctu
Surgere, & accenſis Chriſto dare ſacra lucernis.

Continuò

Continuò Præſes totam iubet ire cohortem,
Comprendiq́; virum duce coniuge, nec mora, captum
Protinus illaqueant, ſiſtuntq́; antè ora Tyranni.
Quæſitum extemplò quid de Mauorte, Quirino,
De Ioue, de Phœbo, de Pallade, Mercurioq́;
Sentiat, & ſuperis? Superos, ille inquit, adoro.
Qui veri ſuperi. Sed eorum apparet in albo
Nulla patris Cœli ſoboles, ſiue illa Quirinus
Siue ſit Alcides bipater, ſeu Iuppiter omni
Fœdus adulterio, ſeu mater adultera gentis
Aeneadum paſſa inceſtum Symoëntis ad vndam.
At pater & princeps Diuum in ſublimibus aſtris
Regnum Chriſtus habet, domitor Iouis atq; nepotum.
His ſubitò auditis quid tempora perdimus? hoſtem
(Vociferat præſes) Iouis obtruncate miniſtri.
Ille eadem repetit: ſuperorum apparet in albo,
Nulla patris cœli ſoboles, ſiue illa Quirinus
Siue ſit Alcides bipater, ſeu Iuppiter omni
Fœdus adulterio, ſeu mater adultera gentis
Aeneadum paſſa inceſtum Simoëntis ad vndam,
Sed pater & princeps Diuum in ſublimibus aſtris
Regnum Chriſtus habet domitor Iouis atq́; nepotum
Tu cole Saturnos. Tu Mænadas atq́; Mineruas.
Nos ſequimur Chriſtum. Chriſtum ora ſonantia miles
Marmore contundunt, fixoq́; in guttura ferro
Guttura quæ gladio nihil impediente ſonabant
Chriſti apud obſcuram Styga formidabile nomen
Exanimant, miſeranda artus in fruſta ſecantes.

Sed

Sed lacerum corpus per cæca ſilentia noctis
Legêre, ac tacito ducentes funera luctu
Clandeſtina ſolo noſtri abſcondêre ſubacto.
Nox erat, & flammis ſtellarum ardebat Olympus,
Syderaq; auſtralis libræ ſuprema tenebat,
Sol minor aſpergens primis noua farra pruinis,
Cùm ſic exhortans ſocios Dionyſius orſus.
O comites Chriſto fidiſſima pectora, vitam
Hactenus imbellem, tutam expertemq; dolorum
Duximus, & magno nihil attentauimus auſu,
Quod meritò dici præclarè ac fortiter actum
Debeat, vt iuſto vires collegimus æuo
Et pubem exuimus primam, viridemq; iuuentam.
Nunc tandem integris in Olympia mittimur annis.
Magno igitur certandum animo, ſeptemplice pectus
Armandum clypeo, cui pro ſub tegmine virtus
Quattuor in partes abiens, quæſita labore
Multiplici, ſtudioq; virum, pro tegmine vero
Altera quæ triplici nodat mortalia nexu
Corda, Dei nomen retinens, & ab æthere lapſa.
Si poſſunt plæriq; pati certamina, mox vt
Ad Chriſtum venere, vadis luſtralibus antè
Quàm madeant, quid nos longo qui tempore ſacros
Sortiti latices, aliti cum heroibus, inter
Primates fidei tot grandia vidimus acta,
Quid nôn ferre decet? quas non contemnere plagas?
Si ſtipe pro tenui per mille pericula miles
Fertur, & in ſtrictos moriturus inambulat enſes,

Cur

Cur non pro æthereis domibus, pro gloria Olympi
Perdimus has animas? paucos contemnimus annos
Iſtius ærumnis ducendi in milibus æui?
Quod fugit, & fugiens nunquam veſtigia ſiſtit.
Magnanimi comites, animos attollite in altum
Aethera, terrenæ labantur pectore curæ.
Et vitæ immemores huius, penſate coronas
Perpetuas, totam bona ad immortalia mentem
Tendite, & ex orco ac terris ſperate triumphum.
Spes hominum iuſtas diuina potentia nunquam
Deſerit, & ſemper ſuperi pia vota ſecundant,
Talibus orantem dictis lux aurea circùm,
Fulſit, & obſcuram dimouit carcere noctem.
Vox etiam de luce ſonans audita. Tenendum.
Hoc iter, hæc breuiter via vos ad Olympica ſiſtet
Limina, & hinc merces nunquam peritura ſequetur,
Limes hic eſt terris longè ſublimior, aſtris
Proximior, recto veniens in ſydera curſu.
Ne laxate animos, breuis hæc labor omnia vincet.
Sic ea vox, illi expuncta formidine iungunt
Fœdera, & vnanimi iurant in funera voto.
Altera ſtelliferum iam lux conuoluerat axem,
Creſcebatq; dies, cùm poſt conuiuia ſanctus
Feſcenninus inops mentis, ſed fortibus æquans
Inflato ſe corde viris, vocat antè tribunal,
Atq; his æquanimum ſimulans eſt vocibus orſus.
Quæſtio priuatis hominum de rebus habenda eſt
Magna quidem, cunctis etenim mortalibus æqui
Limina,

Limina,iuſtitiaq́; fores aperire neceſſe eſt.
De imperio maior, quod totum legibus orbem
Sicut equum ſeſſor iuſsis moderatur habenis.
Maxima de diuis,quoniam cœleſtia Diui
Et terrena regunt,& nos pendemus ab illis,
Solis vt à radÿs clementia veris, & æſtas,
Atq; virens decus agrorum, nemorumq; comantum.
Vos igitur quos fama deos contemnere,cultus
Perſuadere nouos,hominumq; illudere mentes,
Et magico humanos præſtringere carmine ſenſus,
Magna manent tormenta,leues niſi protinus iſtas
Verteritis nugas, & inania verba,deorum
In decus,& ſuperis meritos dederitis honores.
Quis furor hic? velle incaſſum tot ſecula ritu
Emendare nouo? moliri extinguere Diuum
Progeniem æternam? Quod non valuere Gigantes.
Quis furor hic? Ite inſanam deponite mentem
Ac ſubitò in populos miſſam ſuccidite peſtem.
Quæ peccaſtis adhuc clementia Cæſaris vltrò
Impunita facit,veniamq; erroribus offert
Præteritis,ſatis hic temerè attentata relinqui.
Talibus orabat Præſes, cùm grandia Paſtor
Atticus attollens ſermonem in verba loquutus.
Feſcennine graui nimium mœrore dolendum eſt,
Romulidas orbis dominos prudentia & armis
Tranſgreſſos genus omne hominũ,nondum omnipotentē
Sæcula poſt octo,quot abeſt ab origine Roma,
Agnouiſſe Deum,ſed adhuc ſeruire Luperco

Ac Satyris, diuiſq; alijs triuialibus vſq;
Ad Venerem, & (quæ res longè eſt obſcœna) Priapū.
Quòd ſi tanta foret populis ad vera vocandis
Numina, ſeruando quanta eſt induſtria regno,
Omnes vndiq; gentes iam numina dudum
Falſa reliquiſſent, nec templa ſatanibus vſquam
Vlla forent, cœli artificem cognoſceret omnis
Ac coleret tellus, ſicut colit altus Olympus.
Et Romæ imperium totos ſine fine per annos
Staret, & in terris pietas æterna maneret.
Hoc tam grande nefas hominum fraudemq; deorum
Degenerum tam longæuam miſeratus ab alto
Progeniem miſit Deus in mortalia membra,
Quæ doceat ſacros ritus, & numina vera.
Talia narrantem rabies infræna Tyranni
Quòd verba hæc animos vulgi penetrare videbat
Altius, & ſenſus aciem defigere in imos,
Non tulit in magnos dicendo efferuere fluctus,
Sed ſtrebit, explodit, fieriq; ſilentia mandat
Hæc memorans. Quid opus modò perdere tēpora nugis
Futilibus? nihil eſt quod vaniloquentia Graium
Non faciat credi, vacuas ſi inuenerit aures,
Cordaq; tinnitu rerum oblectanda nouarum.
Auditum à patribus magnum vetuiſſe Catonem
Graium Oratores cauſam præſente ſenatu
Dicere, quod ſcirent veris inuoluere falſa.
Et linguæ inuolucris perſonam imponere rebus.
Verborum ambages exorſaq; longa faceſſant,

Quando opus eſt facto, date ſuffimenta Trigrandi
Mercurio, cui Graiugenum pars maxima ſeruit.
Ipſe etenim linguas facundaq; dicitur ora
Fingere, & humanæ vires infundere voci,
Quæ ſemper leuibus fuit ars laudata Pelaſgis.
Talia præfectus, quæ cum Dionyſius vnà
Cum ſocys verſo in riſum contemneret ore,
Imperat extendi nudos in cra ibus igne
Suppoſito, & lambi flammis innoxia membra.
At pater ad cuius nutum tremit ardua rerum
Machina, & inferno manes Acheronte ſepulti,
Frænauit flammarum aciem, fecitq; videri
Stratum molle focos, herboſa ſedilia ferrum.
Quæ ſimul ac ferus aduertit miracula Præſes
Diuinum verbis opus obſcurare malignis
Nititur exclamans, O mira potentia cantus
Theſſalici, ô fraudes magicæ, quæ incendia vincunt,
Quæ flammis vires adimunt. Titania Circe
His armata dolis ſocios Itachenſis Olyſſi
Vertit in effigies varias, & in ora ferarum.
Phorcida mutauit, ſtellas ducebat Olympo.
In iumenta ferunt homines tranſire, quod ipſi
Vidimus artibus his, currentia flumina ſiſti,
Deq; ſuis, alios ſegetes diſcedere in agros.
Arcades hi certè, nam gens ea docta venenum hoc,
Forſan & Aemonij, cuncta experiamur, in ignem
Traijciendi alium, ramoſa putamina ferte,
Ferte citi, ingentem properè inflammate caminum,
Sic

Sic ait, accelerant famuli, torremq́; præuſtum
Diripuere focis, frutices, ſulfurq́; picemq́;
Expediunt, ductiſq́; premunt de follibus auras.
Iam ſtrepit in lignis ardor, iam ductus in arcum
Os petit & flamma ingenti foris æſtuat vnda,
Nec mora, corripiunt nudos per crura, per vlnas,
Et populis vno in cœlum clamantibus ore
Parcendum miſeris, in tanta incendia iactant.
Mulciber extemplò (viſu mirabile) faſtu
Palluit amiſſo, fractaq́; elanguit ira,
Igneaq́; in placidum vis eſt conuerſa teporem,
Non ſecus ac ſi vel Rhodanus, gelidiſve Garumna,
Incurriſſet aquis, populi admirantur, & amens
Mente putat quibus iſta dolis miracula præſes
Ludificet, quia nil melius ſuccurrit, ad artes
Torquet opus magicas, & gutture baubat hiulco.
Atq́; ea lux tali clauſit ſpectacula fine.
Altera præfectus meditans in bella Pelaſgos
Mittere, carniuoris præberi pabula mandat
Nulla feris, tales qui ſeruabantur in vſus,
Claudius in noſtros poſtquam Nero protulit enſes.
Ingens circus erat ſeptis clatratus ahenis
Sequanicas propter ripas, armenta ferarum
Diſtinctis incluſa locis, vrbana voluptas.
Plebs etenim feſtis huc deſidioſa diebus
Ibat, & hic animum viſu paſcebat inani.
Ac pecudum ſtabulis erat area proxima, clauſtro
Cincta pari, locus infamis ſine ſanguine nunquam.

Namq́ reos morti ad dictos inferre ſolebant
Hæc in ſepta, feras demum laxare cruentam
In cædem miſerorum hominum, ſpectacula longè
Impia, ſed tamen infrenæ gratiſſima genti.
Hac igitur tota cuneis ingentibus vrbe
Concurrente, viros, dum ſol conſcenderet axem
Iam medium, longis vinctos traxere catenis.
Et mox è ſtabulis acies emiſſa luporum.
Ingluuiem conſueta pari ſaturare rapina
Fertur, & ad viſam magno volat agmine prædam.
Sed ſimul ac videre feri diuina virorum
Ora Lupi, ſubitò obſcuræ truculentia frontis
Incidit, & blandè motis alludere caudis
Incœpere canum in morem, cùm veſpera ab vrbe
Ruſtica ſuccinctus redit ad magalia paſtor.
Præſes id admirans Pardos emittere clamat.
Namq́ Lycaonio natis de ſanguine parcunt
Natura cogente Lupi, diſſoluite Pardos.
Ecce ruunt noſtræ ſitibunda animalia cædis,
Ecce ruunt, & aperta ferunt caua guttura Pardi
Dentibus exertis, ſed mox feritate relicta
Procubuere ſolo, atq́ virum veſtigia lingua
Lambere conſpecti, blandumq́ applaudare motis
Clunibus, & mentem vultu promittere amicam.
Ac velut antiquos comites agnoſcere viſi
Arriſere viris, Libyci de more leonis
Quem memorant inter magnæ ſpectacula Romæ
Agnouiſſe hominem quondam Barcæa repertum

Rura

Rura per,auxilium plantæ qui impenderat ægræ.
Tum populus tali in vocem nouitate coactus
Rumpere,ne innocuam pergas extinguere gentem
Exclamat,parce his miſeris,quibus ira ferarum
Parcit,& à brutis vinci pietate memento
Turpe nimis Præfecte,piam ſine viuere gentem.
Talibus in cœlum plebs indignata fremebat.
Præſes in hoc tanto populi clamore tumultum
Vimq́; timens,iuſsit magnis clangoribus æra
Inflari,& ſubitò cœtum ac ſpectacula ſolui.
Dumq́; ea crudeli peragit temerarius auſu
Ecce nurus Romana pio ſtimulata furore
L[illegible]a cui nomen, Romani militis vxor
Prodit,& exclamans antè ipſius ora Tyranni
Damnat & irridet veterum genus omne deorum.
Et ſoli affirmans Chriſto ſe fidere, Chriſtum
Prædicat,ac verbis Præfectum inceſsit amaris.
Ille autem nil cunctatus,quid parcimus armis?
Hæc eſt ſegnities,hæc eſt ignauia, Diuûm
Non curare decus,non eſt clementia, ferrum
Stringite lictores,mortis rea fœmina pœnam
Pendat,& emigret non impunita ſub orcum.
Protinus erumpens niueum tranſuerberat enſe
Pectus,& in iugulum graſſatur acynace lictor,
Ablegatq́; animum membris,& in æthera purgat.
His ſuper accenſus nil non crudele volutat,
Nil non triſte parat,nil non molitur acerbum.
Corde ferox,trux aſpectu,graue fulminat ore,

b 3 *Atq́;*

Atq; reos tolli iubet in ſublime paratis
Tot crucibus, medium pectus, plantaſq; manuſq;
Ne breuiet longum mors accelerata dolorem
Non ferro affigi mandat, ſed fune ligari.
Continuò cupiens pœnis crudele venenum
Paſcere, & explere ardentem cruciatibus iram
Crura peti flagris, & arari pectine coſtas
Ferreo, & annexas cunctis in viſcera flammas
Immitti, longam exuri barbamq; comamq;
Imperat, & tota in ſanctos deſæuit Enyo.
Poſtquam ſupplicijs nil profeciſſe Tyrannus
Se videt his tantis, fauces deſcendit in altas
Carceris abſtruſi, dum ſurgit ab æquore Cancer
Incipiens verſum Heſperios deflectere noctem.
Atq; graues illi dijs infundentibus iras
Magnanimos Chriſti pugiles cruciatibus vrget
Terq; quaterq; nouis, adhibet quæcunq; dolorem
Inſtrumenta cient, ſatiatq; immania corda,
Nil veritus turbam, & vulgi formidine liber.
Non plumbum, non flamma deeſt, non vngula, nō pix
Igne linquens, non ſartago, non lamina candens.
Omnia quæ ſancti proceres, dum præmia penſant
Cœlica terrenis maiora doloribns, æquo
Tranſiuere animo, velut æſtiuum ſolet imbrem
In patrios rediens fines perferre viator.
Victus ad extremum Præſes, Quid plura paramus?
Secum ait, & vanis homines conatibus iſtos
Flectere tentamus? potius Tarteſſia Calpe

Ibit

Ibit ad auroram,potius Gangetica tellus
Ibit ad occaſum,quàm ſeſe emolliat vnquam
Hic rigor,& tanto mens fermentata veneno.
Seu Deus hoc faciat,magicæ ſeu forſitan artes,
Exuperant certè humanum hæc miracula morem.
Quò mage conamur diuos extollere, tantò
Plus ruimus,tantò plus ille aſſurgit in altum.
Quod fuit Alcidæ quondam Saturnia Iuno,
Quod fuit Euryſtheus,id noſtra induſtria Chriſto eſt,
Et molimen,ei decus eſt & gloria, noſtrum.
Plectendi extremis igitur,ne talia mittant
Semina radices altas,mala ne coaleſcant
Gramina, ſupplicijs,& ne contagia plebi
Noxia ſint,ſuprema operi manus imponenda.
At pius aduertens ſibi fatum incumbere Paſtor
Hymniſono cantu nocturna ſilentia rumpit
Cum socijs,& ſacra facit. Chriſtumq́; ſequutus
Myſtica ſupremæ celebrat conuiuia cœnæ.
Dumq́; arcana ſuper Cererem iam murmura perflat,
Ecce repentino Chriſtus de lumine lapſu
Affuit,& vacuum volitans per inane caterua
Cœlituum,puchro quibus ora aurorea vultu.
Tum Chriſtus correpta manu Cerealia liba
Sic memorans verſus Dionyſea porrigit ora.
Accipe vir dilecte Deo,tua grandia apud me
Præmia,& in ſummo merces tua maxima cœlo.
Sic ait,Ambroſiumq́; abiens diffudit odorem,
Quo afflatos ſanctorum animos abſorbuit ingens

Vnda voluptatis,ſenſus ingreſſa per omnes
Gaudia,quæ paſcunt ſuperos,dulcedine tanta
Ebria mens optat membris & corpore ſolui
Ocyus, horrendo ne quicquam exterrita fato.
Parrhiſios extra curuo qua Sequana curſu
Proripitur contra fluctus conuerſa Britannos,
Collis erat Maiæ nato ſacer, ardua in ipſo
Vertice candenti moles de marmore ſurgens,
Signum auro graue Mercurij tollebat in auras,
Signum ingens mira,pulchrum ac ſpectabile,forma,
Phidiæ opus,cui pennatis talaria plantis
Et caput alatum,cui frons vmbrata galero.
Expreſſa in vultu vigili ſolertia,& acre
Ingenium,quali fuerat memphiticus Hermes,
Virga armata manus,geminos quæ ſeparat angues
Ventretenus,fratri quondam donauit Apollo
Munus id,& virgam memorant prætendere pacem.
Iuxta erat extructa recubans in rupe Prometheus
Et bouis Inachiæ diui ad veſtigia cuſtos.
Ara quoq; excelſæ ſurgens pede molis ab imo.
Aſcendenda,Deum quoties placare volebant.
Huc igitur portis totam effundentibus vrbem
Ad tam ſæua huius ſceleris ſpectacula tanti
Mactandos duxere viros,ſtipantibus armis,
Ac ſylua haſtarum lucem obſcurante diurnam.
Vt conſcenſus apex montis,libamina iuſſi
Ponere Atlantiadæ,nubemq; offerre Sabæam,
Contempſere deos,iteremq; iterumq; vocantes

Cœligenam Chriſtum vitæq; necisq; potentem.
O Galli exclamat lictor ſeruata videtis
Omnia ritè, quibus tam deteſtabilis error
Debuit abradi, poſtquam lenteſcere neſcit
Peſtifer iſte rigor, legem obſeruare Latinam
Cogimur, & ferro cauſam defendere diuûm.
Sic ait, & iuſſi ſubmittere colla, repentè
Submiſere caput gladijs, mors abſtulit vna
Tres, quibus vna fides fuerat, vitamq; per omnem
Vnus amor, quos non potuit diſiungere Pluto
Rex Erebi, qui tunc terris regnabat & alto.
Mactæ animæ tali occaſu, tam fortibus auſis.
Ite tot inſignes meritis, conſortia Diuûm
Accipite, atq; pari cœlos intrate triumpho.
Præmia mortali ſi conditione tuliſtis
Fortaßis maiora, nihil, me iudice, mirum.
In tam multiplici victrix certamine Virtus
Mortalem tranſgreſſa modum mortalia tranſit
Præmia, & ætherios meritò ſibi vendicat orbes.
Eſte boni nobis igitur mortalibus, iram
Noſtrorum vltricem ſcelerum compeſcite, regna
Gallorum & Francos ſeruate in ſæcula Reges.
Tum noua, nec Phœbo terras qui circuit omnes,
Vnquam viſa prius, nec fortè videnda diebus
Aethereis olim quotquot labentur ab aſtris,
Sequanicæ Deus antè oculos miracula gentis
Protulit, ex opere authoris manus agnita tanto eſt.
Nam ſua ſanguineum venis iaculantibus imbrem

Ex iugulo ſurgens rapuit Dionyſius ora,
Ac manibus tulit ipſe ſuis,ſine vertice truncum
Ibat corpus iter carpens velut anté ſolebat,
Et certa alternans motis veſtigia plantis
(Monſtrum ingens)colle in campum deſcendit ab alto.
Tam inſolito,tam miro operi non debuit eſſe
Vlla fides ſi non populi innumerabilis anté
Factum oculos,totam in teſtes produceret vrbem.
Poné ſequebantur turbæ,fixisq; tuentes
Luminibus vix quod fieri ſine fraude videbant
Credere vix fieri poterant.Et tramite recto
Ad loca peruenit gradiens,vbi regia noſtro
Tempore conduntur regalibus oſſa ſepulcris.
Neu ſpacium breue forté putes,celeberrima per quod
Funera deducens ſua tranſtulit ora cadauer,
Ad paſſus ter mille patet,limesq; relinquit
Flumen ad occaſum,gelidamq; recedit ad vrſam.
Illic poſteritas Rhenum Franconia poſtquam
Pertranſiuit,& has regnatum venit ad oras,
Templum illi viuo templum de marmore magnis
Sumptibus erexit.Iam regna per omnia Chriſto
Effundente noui radios & numina ſecli.
Sanguinolenta grauem diuûm ſatiauerat iram
Vltio,& inuidiæ rabies ſedata parumper
Conciderat,ſed mox alius crudelior ignis
Arſit in immanes iaciens incendia laruas.
Nam Venus & Mauors animas ad ſumma volantes
Sydera,longa tamen poſt interualla ſequuti
Explo-

Explorandi animo quò res euaderet, vſq;
Ad Triuiæ ſydus tenues iuere per auras,
Per rapidos ignes, atq; vt rediere, Satanes
In Rhodani duxere alpes, vbi candida ſemper
Friget hyems, gelido Boreas vbi ſibilat ore
Semper, & ad cœlum Venus his eſt vocibus orſa,
Multa querens, ac fœmineo plorans vlulatu.
O ſortem aduerſam nobis, ô immitia fata
O cœlum crudele. Nihil molimine tanto
Hactenus ô Comites noſtro nihil egimus aſtu.
O iactura, nihil toto profecimus anno.
Incaſſum fraudes, incaſſum effudimus artes.
O miſerum Iouis omne genus, defecimus omnes,
De imperijs actum eſt de maieſtate deorum.
Pone tuos arcus malefortunate Cupido,
Pone faces, ducunt tetricas noua ſecula leges.
Conſenuit mundus, fugêre iociq; ſalesq;.
Nullus honor formæ, facta eſt odioſa venuſtas.
I nemus Idalum quondam mea magna voluptas,
Itè Paphi ſyluæ dulces, ite alta Cythera.
Limina depoſito feror in Veſtalia Ceſto.
Iſta dolens vſq; ad lachrymas Cytherea loquuta eſt,
Cætera ſedatis animis ac lumine ſicco.
Vidimus & vidiſſe piget, quæ gloria diuûm,
Quantaq; Chriſtigenas maneat poſt funera merces.
Vt ventum Triuiæ in campos (nam venimus illuc
Vſq;) cateruatim ſuperi de culmine mundi
Occurrere togis nitidi ſplendentibus, inſtar

Luciferi,

Luciferi, quando tremulis ſcintillat in vndis.
Omnibus auroræ croceis rutilantia flammis
Ora, coruſcantes auri ſplendore per armos
Et per terga comæ, nihil orbe decentius vnquam
Vidimus in toto, ſtellantia lumina ſolem
Aequiparant, gemmis frontes radiantibus ardent.
Chriſtus in excelſa qui maieſtate ſedebat
Altior, innixus diuûm ceruicibus, ora
Soluit, & hæc cœtu faciente ſilentia fatus.
O fortes ſaluete viri fœlicibus horis
Aduenistis, eant veteres de pectore curæ.
Ponite terrenos habitus, accedite noſtris
Fortunatæ animæ populis, regnate per omnes
Elyſij cœliq́ domos, conſortia diuûm
Accipite, in tantis opibus ſine fine futuræ.
Aetherei vobis oſtenſa in limine mundi
Pauca hæc, in decimo maiora videbitis orbe.
Terrarum accipite imperium, dominamini in vndis.
Et quoties opus eſt ſuccurrite terrigenarum
Caſibus aduerſis, & vos audite vocantes
In terris, gaudete aris, ſuccedite falſis
Dijs Saturnigenis, diuûm illa ingentia templa
Accipite, & læti veſtros conuertite in vſus.
Thura ferant homines, fumo gaudete Sabæo.
Subijcimus vobis lemures, animasq́ profundi.
Eſte Deûm reges veterum, ſubuertite ritus
Sacrilegos, ſit fas vobis elementa mouere,
Debellare Iouem, genios & Panica monſtra

Pellite

Pellite deſerti procul ad confinia mundi.
Tu verò in primis Dionyſi ad Gallica regna
Verte animos, tanti tibi ſit cuſtodia regni.
Aſpice quà gelidum Rhenus deſcendit in æquor,
Quà ſurgunt Alpini apices, quà verberat vnda
Littora Rothomagi, quà Maßilienſe profundum
Fluctuat, aggeribus quà Hiſpania cingitur altis.
Hæc tua ſors, huius gentis moderamen habeto.
Sera ſuis penitus diuos expellet ab oris,
Sed tamen expellet duce te, nec terra futura eſt
Hac nobis dilecta magis, licet Itala tellus
Simonis & Pauli ſacris tegat oſſa ſepulcris.
Et licet Aſſyrij noſtra incunabula iactent.
Iura diu Romana ferent, legesq; tenebunt
Cæſareas. At cùm Scythicis de finibus Hunni
Erumpent, Etius qui tunc pro gente Latina
Bella geret metuens Gallis rebusq; Latinis
Accipiet Francos, comitesq; in bella vocabit.
Tunc Franco regnanda dabis tua maxima regna.
Poſt breue barbarica tempus de gente videbis
Inſignes prodire viros, qui grandibus æquent
Romanos animis, qui ſint validißima noſtræ
Fundamenta domus, qui Saturnum atq; nepotes
Eijciant, qui nos alias venerentur ad aras.
Aeternum nobis ſacra inculpata ferentes
Et nacti ſine labe fidem, quæcunq; reſurgent
Semina perfidiæ veteris ſtricto enſe necabunt.
Hi ſibi cum Graijs quem poſſedere Latini

Diuiſuri

Diuiſuri orbem poſitis pro limine campis
Quos Beneuentanus ductor Grimoaldus habebit
Sed tamen hæc regum ſeries inſecta redibit
Ad Gallos, tandem cùm ſceptra receperit Hugo,
Non genus à Francis ducens, ſed origine Gallus.
Illuc vſq; dabit tellus Germanica reges.
Sed tamen hos etiam Francos ea ſecula dicent,
Illa quod à Francis accepto nomine tellus
Francia dicenda eſt, Gallos exibit in omnes
Nomen id, immutat ſic res & nomina longum
Tempus, & è cœlo miſsi cum tempore caſus.
Tempus erit ſtellis longos voluentibus annos,
Quo gremio eÿciet Cimbros peninſula gentem,
Magna altis voluentem animis, belloq; potentem,
Per maris Occani fluctus ad littora vectos
Gallica, ſuſpiciens duces in Neuſtria regna,
Quæ dicent Nortmanna prius: Sed littera voci
Mollem pulſa ſonum dabit, & Normanna vocabit
Poſteritas, genus hoc armis illuſtre futurum
Mittet in Italiam, qui Parthenopæa gubernent
Olim regna viros, diuturni exordia belli.
Namq; ſuper regno longis bellabitur annis.
Mittet in Aſſyrios ad debellanda Sabæum
Imperia, & dictas Habrami à coniuge gentes.
Taliter effato ſonuerunt omnia Chriſto
Agmina, & excitum totis melos vndiq; caſtris.
Inuaſere acies iter, & concentibus altos
Impleuere polos, ſenſimq; receſsit ab aure

Carmen,

Carmen, vt exultans ſuperûm chorus altius iuit.
Nos ægris defecti animis deſcendimus axe.
Et quia nos omnes tangunt hæc omnia, viſum eſt
Cuncta recenſeri vobis debere vocatis.
O comites quæ ſit nobis fortuna videmus.
Antè oculos antè ora virum præferre quibuſdam
Spem licitum ſignis, maieſtatemq́; tueri,
Ac retinere animos hominum qua poſſumus arte.
Fas eſt compoſito prætendere gaudia vultu,
Sed gaudere nefas ſemper creſcente ruina.
Inter multa, quibus fortuna miſerrima noſtra eſt
Hoc graue, quod ſupera ſi quos depellimus aura
Mox patimur dominos, cùm nos viciſſe putamus
Protinus à noſtro victi intabeſcimus hoſte.
Inde fit vt potius fuerit cohibere furorem,
Parcere corporibus, technis inuoluere mentes.
Commaculare animos, lactare libidine ſenſus,
Atq; voluptatum dulci illectare veneno.
Sic foret vberius lucrum, victoria maior.
Quàm furere, & vano vires effundere nixu.
Sed quid opus multis? vt nos imponimus iſtis,
Sic ſuperi nobis, agimur quocunq; voluntas
Prima mouet, miriſq; modis, cùm credimus ipſi
Authores operum nos eſſe, mouemur ab alto
Principe, & inſeruit quicquid molimur Olympo.
Sic Venus, at Marti Veneris ſententia viſa eſt
Frigida, & elumbis nimium, quæ parcere vitæ
Quæ dare corporibus veniam iubet, igne cremandos

Iudicat, atroci graſſandum in viſcera ferro.
Laudauit Venerem Pallas contraria Marti
Ille autem fremit indomitum, muliebria damnans
Conſilia, & rixas ardenti exaggerat ira.
Iuppiter vt ſcindi ſtudia in contraria vidit
Numina, concilio Lemures iubet ire ſoluto.
At pater in ſummis cœli penetralibus iſtos
Deteſtans mores ſuperis inſpirat amorem
Perpetuum, & dulci diuos in pace gubernat.
Mars furia inuectus raptim per nubila fertur
Parrhiſios, facto ex ventis fit Nubius ore,
Lartia cui mater fuerat, vitalibus auris
Iam defuncta, ſuum Chriſto largita cruorem.
Et ſubiens aulas vbi Feſcenninus in alta
Sede miniſtrabat populis iniuria iura,
Admonuit ſummo de colle cadauera ad amnem
Sequanicum debere trahi, fluuioq́; recondi
Quæ ſuperi horreſcant, videat quæ inuitus Olympus.
Audijt hos monitus, miſſoq́; ſatellite iudex
Exequitur, iunctis mittuntur in eſſeda bobus
Continuò, rapidisq́; rotis voluuntur ad vndam
Occultanda vadis, & non habitura ſepulcrum.
Verùm ſeu caſus fuerit, ſeu cuncta videntum
Cœlituum pietas, dum largius inter eundum
Paſcitur, & pateris lictor ſe ingurgitat amplis,
Docta fidem mulier felici corpora furto
Surripiens infodit humo, ſed turbine tanti
Excidij tandem extincto, translata quierunt
Aede ſub excelſa ſancti penes oſſa Magiſtri. Bapti-

BAPTISTAE MANTVANI CARMELITAE, THEOLOGI: DE VITA ET AGONE D. Georgij Martyris, libellus.

ILLVSTRI VIRO ET EXCEL. MILITI D. Io. Iacobo Triuultio Marchioni Vigleuani, & Franciæ magno Mareſcallo Baptiſta Mantuanus Carmelita Theologus, S. P. D.

DIVI Georgij Martyris vitam nuper à me verſibus exaratam, cùm vellem edere, & alicui dedicare, qui tali xenio dignus videretur: Tu mihi ante omnes alios occurriſti. Nam cùm ſis apprimè eruditus, & poſsis libros latinos ſine interprete intelligere. Quæ laus debetur paucis principibus noſtræ tempeſtatis, cùm ex antiqua illuſtriq; Triuultiorum familia prodieris, cùm etiam in re militari tantum profeceris, vt rebus geſtis ſummos Duces ac magnos Imperatores, vel anteceſſeris, vel ſaltem æquaueris: Libellum

bellum hunc noſtrum de principe militũ Georgio compoſitum, videris tibi iure vendicare. Hoc ſolum iudico adamuſsim non quadrare, quod libri humilitas altitudinem tuam non attingit. Video tamen in te quippiam, quod huic damno poſsit eſſe præſens remedium. Animi tui ſcilicet humanitatem atq; modeſtiã. Quæ talis ac tanta eſt, vt ſufficiat celſitudinẽ tuam nonnihil inflectere, & ad muneris huius noſtri tenuitatem inclinare. Sed vt libelli paruitas aliquantulum creſcat, & acceſsione aliqua maior fiat, me quoq; tibi trado cum libello. Quid amplius tribuam in præſentia nõ habeo. Omnia Deus tibi fortunet, & veræ felicitatis te participem reddat, Vale.

Ad Illu. D. Io. Iacobum Triuultium, Franciæ magnum Mareſcallum, P. Franciſcus Tantius Corniger.

Martem, quòd reliquis bello præſtaret & armis,
 Priſca ætas coluit, teſtificata Deum.
Sed melius colitur pro Marte Georgius iſto
 Tempore, pro vero qui tulit arma Deo.
Nec melius cuiquam potuit Baptiſta dicare
 Quàm tibi, quo noſter Mars celebratur, opus.
Vt vincis veteres animo, dextraq; potenti,
 Sic etiam ſuperas relligione duces.

Grandia

GRandia Cappadocis memorantem facta Georgi,
Sancte pater, tua me pietas, quæ ſuſtinet orbem,
Excitet, influxu vegetans mea corda recenti.
Cappadocum tellus ponto vicina, ſub altis
Molibus excelſi penetrant quæ ſydera Tauri
Tendit ad Euphratem, longè porrecta duabus
Iungitur Armenijs, tepidoq; approximat auſtro.
Vt perhibent illam Graij cognomine priſco
Albam appellabant Syriam, quòd corpora gignat
Alba magis, maiore gelu, nam frigora candor.
Hæc ea quæ quondam ſub te facunde Baſili
Qui totum cœleſti orbem facundia inundas,
Sæcula pace fruens pluſquam Saturnia duxit.
Hic quoq; præclaris ſatus eſt natalibus author
Militiæ, qui Mauortis ſucceſſor in armis
Bellonæq; fuit Georgius, iſta parentes
Nomina fecerunt inter cunabula nato,
Ac manſere, nefas poſtquam fluuialibus vndis
Diluit, & prima natas ab origine ſordes.
Diues agri, diues pecorum, ditiſſimus auri,
Puber adhuc vita functo genitore remanſit.
Tartareos autem diuos de more parentum,
Numina cùm nondum ſciret meliora, colebat.
At poſtquam Chriſti nouitas infuſa per aurem
Tranſijt in ſenſus teneros, & mollia corda,

Continuò Iouis ambages & inania diuum
Somnia contemnens, ad ſacramenta cucurrit
Noſtra, nec erubuit caput inclinare ſub haſta.
At quia maiores fuerant inſigne ſequuti
Marte decus, ſeſe ne degeneraret ad arma
Contulit, & virides bellando exercuit annos.
Nemo volans iaculum maiori robore torſit,
Nemo manu biſacutum enſem meliore rotauit,
Nemo fugam diſco tantam dabat, arte ſagittam
Non fuit æquali qui mitteret, oſſea ducens
Cornua lunato totam abſcondebat in arcu.
Si lapidem loris ritu iaciebat Ibero,
Iuraſſes hominem terris Balearibus ortum.
Nec melior curſu quiſquam, nec in aëra quiſquam
Cappadocum tanto poterat ſe attollere ſaltu.
Quid referam quo rexit equum moderamine? quantos
Flecteret in gyros? toto attollebat in auras
Corpore tranſiliens currus, foſſasq; præaltos
Pegaſeum ſpirans animum, telluris hiatus,
Ars ſeſſoris equo pennas dabat, aëre in ipſo
Qua fuerat mens cunq;, leui flectebat habena.
Sed nec olympiaco pugiles in puluere quondam
Cernere conſueti melius luſere palæſtram,
Nec melius cæſtu decertauere Lacones.
Nil intentatum voluit ſibi. Caſtora iactet
Græcia, Pollucem veteres mirentur Amyclæ.
Non erat iſte minor. Saliens currentis ab alto
Quadrupedis dorſo plantis velocibus ipſum

Præ-

Prauertebat equum, labor ex tellure iacentem
Nullus erat currente fero ſuſtollere contum.
Qui vada qui tantos nando tranſmitteret amnes
Non fuit, his ſtudijs æuum iuuenile peregit.
Propterea qui tunc illis Romana tenebant
Arma locis faſtu magno fecere tribunum.
Cenſor erat curans ne lenta per ocia miles
Segnior euadat, neu bellica negligat arma.
Forma viro qualis Turno, vel qualis Achilli,
In ſublime leuans humeros, in pectora creſcens,
Os roſeum, natura vagos per colla per armos
Fecerat inſignes auri ſplendore capillos.
Et quanquam comites (vt mos) iuuenilibus annis
Cerneret in luxum pronos, ſe comere ritu
Fœmineo, & fœdam in Venerem fræno ire ſoluto,
Ipſe tamen nulli (dictu mirabile) culpæ
Succubuit. Talem laſciuia nulla iuuentam
Quod fieri nunquam poterat ſine numine flexit.
Hippolyto ſimilis, tibi par Labanide nate,
Regia quem coniunx mendaci polluit ore,
Traxit ab illecebris mentem muliebribus altam.
Sæpè nurus iuuenem, ſæpè ambiuere puellæ.
Ille inſtar molis quam concita verberat vnda
Perſtitit inuicto contra mala gaudia ſenſu.
Militiæ nunquam ſine relligione frementi
Marte etiam, cùm ſæua orto Bellona tumulto
In pugnam armatos eſſet miſſura, vacabat.
Cùm pacatus erat ſuperis dabat omnia Diuis

 Tempora,

Tempora, præſertim primordia lucis & vmbræ.
Et cùm pauperies exilis & indiga rerum
Quottidie ex omni iuuenis ad limina vico
Se conferret, inops nunquam indonatus abibat.
Nam pietas homini ſemper comes, inter egenos
Effundebat opes, miſeris erat omnibus hoſpes.
Omnibus innocuus, niſi cùm truculentia Martis
Poſcebat ferro quicquam violenter agendum.
Tunc acer, tunc aſper erat, nec in agmine toto
Cappadocum qui continuo in certamine viuunt,
Alter erat qui ſeſe ageret tam ardenter in hoſtem,
Tam intrepidè caſus qui tam feliciter omnes
Vinceret, & cui ſors tantum (ſic fama ferebat
Vndiq;) præſtaret quaſi coniurata fauorem.
Qui poterant eius gladios (tanto impete, tanto
Fulmine flagrabat pugnans) euadere, nunquam
Tam temerè audebant illa in diſcrimina ferri.
Ignis vt in ſtipulis pleno quem prouocat ore
Aphricus à tergo, volucri vorat omnia curſu,
Nec cohibet niſi conſumptis incendia campis,
Sic ferus & pugnax in dura Georgius arma
Ibat agens ſupremam hominum ſtragem atq; ruinam.
Vt quondam Tydeus, & torrentiſsimus Aiax,
Hector, & Alcides, & ſanguinolentus Achilles.
Quando opus inſtabat graue, formidabile & anceps,
Cappadocem, reges Latij, res dura, Tribunum
Poſtulat, aiebant, ipſumq; in bella ciebant.
Omnia nil opus eſt celeberrima facta referri,

Quippe

Quippe vetor numero famæ memorabilis vnum
Clamat,& æternos mitti ſeſe orat in annos.
Per Cilicum fluctus quondam translatus in arua
Arida torrentis Libyæ dum permeat agros
Cum Thracum legione equitum ſub principe Romæ
Maximiano,vrbem (Libyci dixere Silenam)
Audijt indignam ferre ac ſuccumbere ſortem.
Hanc veteres vrbem fama eſt poſuiſſe Silenos
Huc duce Nyſæis Baccho de finibus actos,
Hisq́; locis nomen,muros,gentemq́; dediſſe.
Mœnibus vrbanis ſtagnum illætabilis vndæ
Iunctum erat in latum ripis abeuntibus orbem.
Stagnum infame loco lymphæ ſurgentis eodem
Et morientis,aqua diram exhalante Mephitim.
Letiferæ nubes extollebantur in altum
Aëra,Campano quales oriuntur Auerno,
Qualis in Hirpinis Anſancti vallibus humor
Peſtifer,ex alto veniens vt creditur orco
Non infame minus ſtagnum quam tempore priſco
Gurges in Aegypto Stygius,Memphitica propter
Mœnia,& Arcadica ſtyx quæ lapideſcit in ora.
Ex hoc ſeu ſtygij manes,ſeu numina cœli
Seu faceret natura homini contraria ab aſtris
Influxum hunc ſortita,graui ſe bellua mole
Protulerat vaſtans agros,& ouilia & vrbem.
Bellua ventre bouem referens,& gutture longo
Phyſetera,canis Aethnæum faucibus antrum.
Antrum quod fama eſt obſcuro tendere hiatu

Ad Cocyti amnes, & ad impia limina Ditis?
Bellua lernæa longè crudelior hydra.
Loricata cutem ſquammis horrentibus atram,
Spernere quæ Alcidæ clauam potuiſſet & arcum.
Hæc vbi conſumpſit pecudes, ieiunia inani
Non patiens aluo ſurſum attollebat in alta
Mœnia deformes vultus, & ſibila colla,
Efflabatq́; animam, qualem ſpirare lacunas
Fama eſt infernas per regna Cathartica & orcum.
Ibat lathiferum virus trans mœnia in vrbem,
Ac ſubitas hominum mortes inopinaq́; fata
Parturiens ciues luctu afficiebat amaro.
Quo gradiens alui immanis graue pondus agebat
Triſtabatur humus, languebant gramina, aduſtis
Stipitibus florum capita inclinata cadebant.
Syluaq́; & arboreæ frondes contagia paſſæ
Arebant, velut areſcunt Catanenſia rura
Cùm vomit Aethnæus fumoſa incendia crater
Inuoluens rapidis nemora arua & ouilia flammis.
Quinetiam volucrum ſi quam grauis halitus aura
Polluerat triſti, ſubito quaſi corde reſecto
Viribus amiſsis alas ponebat, hiulco
Gutture agens animam, terraq́; alliſa iacebat.
Hoc ſuper accitis poſt plurima funera tandem
Poſt varias clades in regia tecta tribunis
Conſilium ſummo celebrant cum principe patres.
Demum vltrò cùm multa eſſent citroq́; loquuti,
Edita conſenſu regis, populiq́;, patrumq́;,

Lex

Lex humana iubet tetro duo corpora monſtro
Ducta ſorte dari, ſtellis ſurgentibus vnum,
Sole oriente aliud, quibus exaturata quieſcat
Tam funeſta fames, ceſſetq; effundere totam
Peſtifero afflatu virus lætale per vrbem.
Tale ferunt olim fatum infeſtaſſe nepotes
Cecropis, in Cretam triſti cum remige Theſeus
Venit, & accepto rexit veſtigia filo.
Accipit vrbs durum imperium, cùm nulla ſalutem
Altera in optatam via ſit, plebs infima primum
Paret, & aſcendens it ſors ad ſplendida patrum
Limina, quottidie flentur noua funera, nemo
Non pauet expectans infauſtę nuncia ſortis.
Venit & ad regem, cui frigida ad vltima vitæ
Tempora perducto ſoboles erat vnica, Virgo
Iam matura viro, pleno iam nubilis æuo.
Sed velut in tali ſolitum contingere caſu,
Tum cum rege grauis diſcordia ciuibus orta eſt.
Vrgebat pietas patrem, ne pignora talem
Traderet in prædam, poteratq; exempta putari
Regia maieſtas, populi damna impia paſſi
Et lugubri omnes propter noua funera cultu
Auſteri regem inceſſunt, ac multa minantes
Plebiſcita volunt, vt plebi & patribus ipſis
Iam fuerant, eſſe ipſi etiam communia regi.
Rex igitur cernens populos concurrere in vnum
Iudicium, & recolens dictum, retinacula plebem,
Vndam ignem neſcire pati, promittit obortis

Heu lachrymis vitæ extremæ ſolatia natam.
Continuò luctus reſonans per regia tecta
Surgit, & afflictos cruciat res dura parentes.
Nec noctu, nec luce ſilet querimonia, tollunt
Ex thalamis aulæa, vacant conuiuia, ſordent
Atria, funebrem gemit omnis regia caſum.
Iam funeſta dies aderat, diffuſa per vrbes
Finitimas multos hæc ad ſpectacula fama
Allicit, induitur chalybem Georgius, haſtam
Corripit, & paucis ſeſe comitantibus infert
Albenti ſublimis equo, cui Thracia mater,
Et pater Aſtur erat, donatum à Cæſare loris
Purpureis, & fulgenti decorauerat auro.
Venit & vnde oculis ſtagnum hoc infame patebat
Cum ſocijs vrbi, vicino in colle reſedit.
Aureus auroræ ſol ſuccedebat, & alto
Lucifer ibat adhuc, nec dum ſe abſconderat Axe,
Cùm caput obſcuro tollens de gurgite ſerpens
Deucalionæo maior Pythone, ſonantes
Sulcat aquas, pellitq́ natans ad littora fluctus.
Extemplò nitidum prius aëra lurida nubes
Inquinat, & fumo Titan contabuit atro.
Labitur ad ripas, & circum lumina flammis
Ignea ſanguineis vertens conſueta tuendo
Pabula quærebat, quæ cùm non cerneret, iram
Arſit in ingentem, ſtridens, ſquammoſaq́ in altum
Terga leuans, virideſq́ extendens longius alas,
Atq́ volaturo ſimilis dat ſibila, curuo

Verberat

Verberat vngue ſolum,ſigna impatienter & ægrè
Pabula differri nimium conſueta ferentis,
Extendens oculos ſtat verſa ad limina fronte,
Auribus arectis,ſolitam quã nouerat eſcam
Aduentare,fores ſentit ſtridere, & abenos
Orbibus edui vectes,ſperare videtur,
Oraq; porrecta lambit vaſtiſsima lingua.
Stabant attonitæ matres in mœnibus altis,
Et parua cum prole viri,quod cernere nollent
Cernere anhelantes,animiſq; tuentur acerbis.
Rex miſer interea ſimul & Regina puellam
Regali comptam ornatu ſolantur,& omnes
Quos ita contingat patrijs pro legibus ire
In fatum iuuenes iurant diueſcere, & inter
Numina ſortiri ſedes,& honore Deorum
Eſſe celebrandos ventura in ſæcula,nedum
In patria,verum Libycas quocunq; per vrbes
Iuerit iſtius tantæ fama inclyta laudis.
Atq; ſacros ritus æternaq; templa habituram,
Ac fore de diuûm numero,quos Roma penates
Indigeteſq; vocat,qualis Numa,Romulus,& qui
Eſt abſorptus humo,ſimili pietate laborant
Inculcare animo vitæ immortalis amorem.
Talia dicentes certant cohibere profuſos
In fletus oculos,pietas aduerſa repugnat
Huic ſtudio,gemitus non aduertentibus ipſis
Et lachrymæ erumpunt,nec fingere gaudia poſſunt.
Ventum erat ad portæ limen,nec aperta patebant

Mœnia

Mœnia adhuc, caput in fletus deſcendere totum
Cogitur, it totus fracta in ſuſpiria pulmo.
Oſcula dant, ſtringunt amplexibus, oraq́ lambunt
Sæpius, at valuis tandem bipatentibus itur.
Ecce ſua madidi fletu cum prole parentes
Limina portarum inſiſtunt, trepidamq́; puellam
Sponſali fulgentem habitu tortiſq́; decoram
Crinibus excludunt valuis, mox colla catenis
Innodant famuli triſtes, ſolamq́; relinquunt.
Ore deam referens Helenæq́; ſimillima virgo
Stabat, vt Andromede monſtris expoſta marinis,
Et vertens in cœlum oculos ne cerneret hoſtem
Terrificum, tremit implorans & numina & aſtra.
Et procul à muris tales audita querelas
Edere, vix voces illo ire ſinentibus Euris.
O miſera ô miſera Alcyone (nam nomine dicta eſt
Alcyone) Cur ſunt tibi tam crudelia fata,
Vt ſit opus monſtri iſtius deſcendere in aluum?
Cur mihi de vita, multos quæ debet in annos
Tendere, nil ſupereſt? viuam totoq́; valentem
Corpore & inſontem venit abſorbere ſepulcrum.
Quid merui? cur ſic damnor? Quo crimine plector?
Cur inuiſa ita ſum cœlo, terræq́; ereboq́;?
Nemo ex tot diuis, ex tot mortalibus affert
Auxilium? ſola hic monſtro indefenſa relinquor.
Scilicet hæc mea ſunt tantum expectata parenti
Feſta hymenæa, mea hæc, mea ſunt hæc pignora mater
Quæ mea ſperabat gaudens. O Numina cœli

*Quæ memorant olim quõdam ſeruaſſe Ariadnam,
O diui maris, ô Erebi, Si lumina vobis
Quæ videant iſtos caſus, miſeratio ſi vos
Vlla mouet, veſtræ Alcyones quæ ſemper ad aras
Procubuit veſtras ſupplex, audite querelas.
Talia dum credit ſe fati in limine fata eſt.
Rem ſimul ac videre nurus à mœnibus, omnes
Contremuere, animos fati præſentia tangit
Altius, exanimat tremulas pauor, omnibus idem
Pulſat corda dolor, dolet ipſe à colle Tribunus
Proſpiciens, caſumq́; omnis turba aduena luget.
Subſtiterat monſtrum admirans, nã cætera mẽbris
Corpora nudatis exponebantur, ab ipſis
Edidicit vinclis prædam fore, fertur aperta
Fauce igitur, ſenſimq́; mouet veſtigia tardum
Mole graui, reptans inſtar teſtudinis amplæ
Verrit humum, paßiſq́; ad prædam annititur alis.
Vt procul aſpexit pietate Georgius ardens
Tam crudele nefas, tanta dignum ſcelus ira,
Infremit ac miſerans cruce pectora ſignat, equumq́;
Concitat, & preſſa monſtro volat obuius haſta,
Admirari omnes Iuuenem, tam interrita corda
Obſtupuere, orant ſuperos his auſibus adſint.
Magnanimos nixus iuuit Deus, intima mucro
Guttura perfodiens latam penetrauit in aluum,
Nigraq; mortifero traiecit corda veneno
Pulcher eques, monſtro ferali animoſior, ictu
Tam valido compulſus equus ſubſiſtere paulum,*

Impete

Impete mox rapitur flagrante, nec audit habenas,
At poſtquam ſubitum poſuit breuis ira furorem,
Vertitur, & greſſu elato, cilioq; ſuperbo
Sæpè vomens patulis reſonantem naribus auram
It quaſi deteſtans animis ingentibus hoſtem.
Nec minus eſt feruens equiti calor, eximit enſem
Sole repercuſſo iaculantem in mœnia flammas.
Atq; ferox ſtricto redit in certamina ferro.
Telum aliud ſubiens per corda, per ilia, & aluum
Iuerat in vulnus, totumq; abſconderat intra
Viſcera, diſtendens amploſe bellua campo
Extremam incuruis rodebat dentibus haſtam.
Sed iam depoſita ſerpens feritate iacebat
Fuſus humi, extendens artus in puluere grandes,
Atq; extrema trahens ſuſpiria pectore anhelo.
Continuò exurgunt plauſus à mœnibus altis,
Lætaq; confuſas attollunt gaudia voces.
Semianimi reges vt res audita, ſenectæ
Obliti celerem rapiunt ad mœnia curſum.
Præcipitiq; iubent ſolui pietate puellam
Pallentem, gelidamq; metu, penè exanimatam:
Stant circùm tenero affectu, mirantur, hiantq;
Virginis ora ſuper, nec habent æqualia tantæ
Lætitiæ verba, illachrymant, & brachia tendunt.
Ac velut elingues, animum non vocibus edunt
Sed geſtu, penè ipſam efflant in gaudia vitam.
Tam miro ſuper euentu ſuper inſperata
Proſperitate gregatim, omnes dant murmura, narrant

Laome-

Laomedonteæ paria infortunia natæ,
Quam Ceto obiectam Phrygias dum permeat oras
Reddidit incolumen patri Tyrinthius Heros.
Sunt quoq; qui credant equitis ſub imagine tectum
Eſſe vel Alciden, vel Caſtora, belligeramve
Pallada, vel Martem, dumq; vrbs vario inſtrepit ore
Pandite iam tuti portas, accurrite clamat
Victor, & iſtius grates perſoluite Chriſto
Muneris authori, parent, & limina pandunt.
Certatimq; ruunt, ceu torrentiſſimus amnis
Cùm rapit ex altis ingentem vallibus æſtum,
Circumſtantq; equitem, ac proni reuerenter adorant.
Ille fero incumbens iubet eſſe ſilentia, moto
Alloquiturq; alto turbam ſermone frequentem.
Præteritos memorat caſus, ſæuumq; Draconem
Narrat ab obſcuris immiſſum manibus, orco
Annitente agros omnes extinguere, & vrbem
Crudeleſq; deos quorum delubra colebant
Eſſe docet, iurans ſucceſſibus inuida noſtris
Omnia quæ vano decepti numina ritu
Obſeruare ſolent, & ſolo nomine monſtrat
Eſſe deos, cùm ſint infernæ dæmones aulæ.
Proſequitur magni reſerans arcana Tonantis
Qui mare, qui terras, qui ſydera fecit, & iſtum
Natura non arte Deum, numenq; docebat
Omni mole carens, nullis mutabile formis.
Huic aras rituſq; ſacros, huic orgia ſoli
Deſtinat, æterni ſubdit quo pignora patris

Ordine

Ordine ab excelſo pietas deduxerit axe,
Et quo membra modo ſumens mortalia Chriſtus
Fudit in humanas cæleſtia lumina mentes.
Vt ſcelus antiquum moriens deleuerit, vtq;
Ipſe ſuis victo ſurgens ſe oſtenderit orco.
Victor vt æthereos demum conſcenderit orbes.
Vt noua templa nouos patri ſacrarit honores,
Et miſſum auxilio miſeris ſe narrat ab ipſo,
Cui ſubſunt erebi manes, & numina falſa.
Talia vociferans populos errore vetuſto
Liberat, & clamans turbas inuitat ad vndam.
Affuit huic operi fautor Deus. Vndiq; ad amnem
Itur, & accipiunt latices in vertice ſanctos.
Eijciuntq; deos veteres, luſtrata Tonanti
Sacrant templa, docet ritus, ſacroſq; miniſtros
Inſtituens aperit ſacris accommoda rebus
Tempora, & in faſtos vertentem digerit annum.
Poſtremò ardenti nemorum ſtrue grandia monſtri
Membra cremant, picta ſerpentis imagine in altis
Aedibus, vt veniens legat hæc horrentia facta
Poſteritas, & eat ventura in ſæcula fama.
Inſtituunt ludos horum monumenta laborum
Ac tantorum operum, quos plebs vrbana quotannis
Concelebret, quales faciebat Græcia quondam
Archemoro, magno Alcidæ, patriq; Tonanti.
Adueniunt reges, atq; ad veſtigia ſancti
Halcyonem pronam inclinant, ac talia fantur.
Quod ſuperant ciues, quòd nos & pignora, munus

Hoc

Hoc eſt ſancte tuum victor, q numina nobis
Vera reuelantur, facit hoc tua maxima virtus.
Deniq; tu nobis animas, tu corpora ſeruas,
Et tibi nos ipſos, ipſam debemus & vrbem.
Sic reges, mox antè viri veſtigia ponunt
Dona, relucentes gemmas, vaſa aurea ſignis
Aſpera, regalis quot longo tempore luxus
Tuderat, & chlamydes auro argentoq; ſuperbas.
Vrbs quoq; & aſſerti ciues maiora parabant,
Omnia quæ Chriſto victor donauit, & ingens
Imperat vt matri diuûm de marmore viuo
Vrbe ſtruant media Romano ſchemate templum.
Nec mora, quo molis fuerant ponenda ſuperbæ
Fundamenta loco, nitidis vberrimus vndis
Qualem Pierides habitant in Phocide, qualem
Gratiæ in Orchomeno, campis Arethuſa Sicanis,
Fons oritur, qui potus agat toto omne venenum
Corpore, quo miſeram monſtrum inceſtauerat vrbem.
Ergò quot hac peſte infecti per tecta iacebant,
Auxilium ſacro membris à fonte petebant.
Et velut Alberti veniunt ad pocula turbæ
Cùm redit Auguſtus, ſic vrbs ea tota quotannis
Qua fuerat producta die, veniebat ad vndam.
Fecit & in ſtagnum labi, quo ſurgeret vltra
Excreſcente lacu ripas, & flumine facto
Per ſteriles campos reſidem deuolueret aluum.
Sic fuit & populo pietas, induſtria & agro.
Nec mirum ſi dira luem produxerit iſtam

Bellua, cùm feralis aper Calydonia rura
Depopulans, Eueni oram commouerit omnem.
Sus quoq; Mænalius magni pars tanta laborum
Herculis, Arcadicam viſus ſubuertere gentem.
Mœonios quondam fines ad Sangaris amnem
Proditus in lucem ſerpens vaſtauit, & altum
Egerat in luctum Lydos, Mæandria rura
Pactoli meminiſtis aquæ. Nec deſtitit antè
Id ſæuire malum, claua quam fretus & arcu
Amphitrioniades ſtygiam compeſcuit iram.
Et Rhodus in prædam colubris data, cœperat iſta
Inſula de cauſa Graijs Ophiuſa vocari.
Affuit afflictis Phorbas, Triopæa propago
Phorbas, & hydrorum genus exitiale peremit,
Auſonias vicina palus deleuit Amyclas,
Tanta papyriferæ ſoboles viroſa lacunæ
Eſt molita, agros ac totam ſuſtulit vrbem,
His adiunge feram, ſi fas tam immania monſtra
Appellare feram, quæ tempeſtate Mineruæ
Non vnam ſolum in plebem, non mœnia in vna
Pernicioſa fuit. Spirans incendia primum
Sæuijt in Phrygiam, mox per iuga frondea Tauri
Flammigeras Libani ſyluas incendit, ad Indum
Tranſijt, & Gangem, repetens Syriamq; Sabamq;
Per Hiericontinos frutices, & odora cucurrit
Per nemora, Aegypti ſegetes, viridantia latè
Paſcua conſumpſit, ſuperata à Pallade tandem
Deſijt hæc hominum genus infeſtare Megara.

Talis

Talis erat Campe in Libycis quam Bacchus arenis
Turbine conuoluentem agros atq; oppida grandi
Perculit Eois remeat dum victor ab Indis.
Et fera non diſpar, quam dum Romanus Eliſæ
Regna petit miles, magno molimine tandem
Vix ruit, & Romam non paruum inſigne triumphi
Tergora nudatis miſit ſquammantia coſtis.
Quid per multa vagor, res mira, cuniculus olim
Longè imbelle animal, Balearica regna coëgit
Poſcere Romanam multo cum milite claſſem.
Quid iam de trucibus monſtris, quid credere non fas?
Sed ratis eſt iter ad cœptum flectenda. Tribunus
Inde per Aegyptum, Syrias deuenit ad vrbes,
Atq; Palæſtinam regi tum fortè rebellem
Cæſareo grauibus bellis Romana coëgit
Iura pati, & tumidam fecit reſipiſcere gentem.
Tum veniens Luzam magni veſtigia templi
Vidit, & Heliadas ſanctos, qui vaſta colebant
Per deſerta caſas. Carmelum aſcendit, & alto
Vertice Reginæ Diuûm ſacrata reuiſit
Templa per Idalios vmbram mittentia fluctus,
Templa genitrici Meſiæ quę prima dicarunt
Heliadum patres. Vnde & cognomina ducunt.
Quæſijt & ſi, quæ Chriſti monimenta manerent,
Ceu ſpelæa caui ſaxis inciſa ſepulcri,
Et collis loca Golgotei, quæ abſcondita longùm
Cæſaris inuenit paruo poſt tempore mater,
Lazareoſq; lares, Marthæ quoq; limen & Annæ,

Et iuga ieiuno facta immortelia Chriſto.
Omnia quæ Heliades tenuere ſilentibus armis,
Incolumi Romæ imperio, graſſata procellis
Heu grauibus leges vt gens Agarena Latinas
Expulit indè, viri ſanctos liquere penates
Ire per occaſus incognita regna coacti.
Mox adijt Perſas, vbi ſacramenta reliquit
Omnia militiæ cupiens cœleſtius æuum
Ducere, vt Heliades opere & ſermone docebant.
Nanq; per illorum gradiens habitacula ſanctos
Imbiberat mores, & relligionis amorem
Hauſerat, ac terrenarum faſtidia rerum.
Tunc veteres diui Phœbus quem Perſica Mitram
Lingua vocat, cum Marte Venus, cum Pallade Luna
Cum Ioue Saturnus, cum Baccho Athlantius Hermes
Cum Iunone pater Pelagi, cum principe Auerni
Tiſiphone, Alecto, Proſerpina, dira Migæra
Concilium Babylona vocant, qua regia quondam
Tecta Nini fuerant. Vbi ſic eſt fata Minerua.
O comites tanta qui conregnauimus olim
Maieſtate, quibus Babylon, quibus inclyta Memphis
Paruit, & regum domitrix Mauortia Roma,
Cernitis vt fracta noſtrum ditione labare
Incipit imperium, dudum euaneſcimus vt nix,
Cùm zephyri verno perflant iuga candida vento.
Et quanquam Chriſto (licet hoc antè ora fateri
Veſtra mihi) maris & terræ ſint debita regna,
Noſtra tamen magno nobis incuria damno eſt.

Plus

Plus audet mortale genus, maior reſiſtunt
Quum bellis homines atq; obſedione premuntur
Sæpe animo quam nos. Pueris imbellibus vltrò
Cedimus, & verbis ſignoq; fugamur inani.
Dedecus immortale, quod hoc pudet ore fateri.
Illa ego quam dicunt Tritonida, quam Phryges olim
Arcibus in ſummis cuſtodiuere, putantes
Inde ſuam & Troiæ arſuræ pendere ſalutem,
Quam rapuere hoſtes, quam poſt Troiana per vndas
Bella tulit pius Aeneas, quam Roma colebat
Inter honoratos Veſtæ ſub culmine diuos,
Nunc lateo, & furtim cogor pauca iſta profari.
Sors eadem nobis, omnes iactamur eodem
Turbine, tempeſtas eadem nos obruit omnes.
Vna emergendi reſtat via, ſi ſimul vnum
Coniurati in opus totas effundimus artes,
Hanc fulcire poteſt concordia ſola ruinam.
Nunc igitur quando reges ad noſtra Latini
Orgia concurrunt, noſtraſq; cremantur ad aras
Thura, reſumamus vires, animoſq; leuemus
Altius, & toties læſum vlciſcamur honorem.
Si delere nephas genus hoc, offendere fas eſt.
Eſt ſatis aduerſum quoties contendimus hoſtem
Maiorem numero atq; opibus, ſi vincere fas ſit
Interdum, ſi non caſtris ſpoliamur ademptis,
Soſpita maieſtas ſatis eſt certamine tali.
Nec video cœlum cur formidabile, certè
Exilium nobis & ſola & maxima pœna eſt,

Id patimur ſine ſpe veniæ, quia poſcere nobis
Turpe. Deo indignum dare non poſcentibus illam.
Quæ mala ne accreſcant igitur grauiora verendum?
Num forſan, num more hominum decedere vita
Eſt metus? an noſtros onerant mortalia ſenſus
Viſcera? vt in morbos labi timeamus & enſes?
Nos elementorum expertes, nos entelechiæ
Simplicis & nudæ, naturæ eſſentia quintæ,
Nec morimur, nec cœliuagis ſubmittimur aſtris.
Nos ſuperis æquale genus, generoſius illis.
Illi etenim ſeruile iugum ſeruiliter vltrò
Accepere animis deiecti imbellibus omnes.
Seruitij nobis eſt viſa miſerrima iam tum
Conditio, & memores naturæ & originis altæ
Turpia magnanimis iuga detractauimus auſis.
Et quia tantum auſi, longo regnauimus æuo,
Regnaturi etiam, paribus ſi accingimur armis.
Ergò alacres, ergò ite animis præſtantibus, Ite
Cæſareos ite in thalamos, & Maximianum
Atrocem, dirumq́; hominem, noſtra arte vocatum,
Noſtra ope ad imperium Romæ, irritate veneno,
Quo ſolet in reges vti bona lena Megæra.
Concipiat lethale odium, iubeatq́; necari
Chriſtigenas, cæſi in grandes cumulentur aceruos,
In flammam in gladios mittantur, in ora ferarum.
Et fumum exhalent paßim fora cæde cruenta.
Sic metuant Chriſtum celebrare, palamq́; fateri.
Principio regni iſtorum niſi prouida cura

Nos

Nos ſeruaſſet, erant nobis ſurrepta per orbem
Vndiq; ſacra, & hac quoq; tempeſtate ſuperſunt.
Fecit cura, labor fecit, vigilantia fecit.
Qui ſibimet deſunt, illis iure omnia deſunt.
Sic affata truces vmbras truculenta Minerua.
Laudauere deam Lemures, & ad omnia promptos
Se fore promittunt pro maieſtate deorum.
Ergò ſuper Syriam lati, ſuper alta Cythera,
Et ſuper Idæos ſaltus, ſuper Acrocorynthum
Alcinoiq; ſuper quondam pomaria & Aethnam
Perueniunt Romam, ſubeunt penetralia regum
Somnia componunt noctu crudelia, dira
Nanq; deos fingunt in maieſtate querentes
De populis, de Cæſaribus, ſua templa relinqui,
Ac tolerari homines quoſdam qui numina damnent.
Quive trahant populos à relligione deorum.
Iſta vident reges, videt iſta inſomnia conſul.
Iſta ſenatores, & qui Capitolia ſeruant
Pontifices, tremit ingenti formidine Roma.
Sacra iterant, cultris rimantur viſcera, fibras
Inueniunt longè iratas, paßimq; minaces,
Bella canunt vates, morbos diuinat Aruſpex.
Omniaq; aduerſos minitant præſagia caſus.
Deniq; continuo reges rumore coacti
Chriſtigenas ad ſacra trahi iuſſere per orbem
Vndiq;, & edictum paßim crudele pependit.
Hinc ortæ innumeræ cædes, hinc tanta cruoris
Copia defluxit, quantam ciuilibus armis

Aemathia & campi nunquam videre Philippi.
Tunc diuûm creuere vrbes. Tunc omnia turmas
Sydera viderunt ad cælum annare frequentes.
Hic furor Aſſyrios, furor hic penetrauit Erembos.
Non fuit Aegyptus multo ſine ſanguine. Nilus
Sæpè cruentato defluxit in æquora tergo.
Venit & ad Perſas cædes hæc tanta Tyrannos.
Et penè ex omni Chriſtus defluxerat ore
Nemine ſe Chriſti cultorem audente fateri.
Decoxiſſe fides nuſquam lucentibus aris
Iam poterat credi, vulgoq; extincta putari.
Hæc ſimul ac vidit tam dira Georgius acta
Non tulit, exutus ſaga bellica, paupere panno
Hiſpidus antè ipſum Datianum irrumpit, & ore
Libero ait, Præfectè tuos Datiane relinquo
Ecce deos. Datianus enim ſub regibus illis
Præſes erat grauis, inclemens, truculentus & atrox.
Qui veritus præclarum equitem famaq; tribunum
Inſignem celebri, nec enim mutata valebat
Occultare chlamys, ſola vulgo indole notum,
Principio verbis hominem compellat amicis,
Ac tentat mollire animos, & frangere in illo
Propoſitum ſectæ infamis, ſic ipſe vocabat
Chriſti dogma nouum veteres quod diſpulit aras.
At vbi conſtantes animos & neſcia flecti
Pectora perpendit, ſunt Cæſariana Georgi
Hæc ait in tales quæ nos inſurgere cogunt
Imperia, edictum potuiſti audire per omnes

Iſſe

Iſſe oras. Quid agas ipſum tę conſule, & audi,
Nil temerè audendum, ſpargi tua tempora canis
Iam video, matura ætas matura capeſſat
Conſilia. Ingrederis fragili maria alta carina,
Naufragium tumidis ſubitum paſſurus in vndis.
Contrahe dum fas eſt veſtigia, more gigantum
Cum diuis certare caue, cum Cæſare fruſtra
Quem mare, quem tellus trepidant, contendere noli.
Ille nihil tali motus ſermone, Reliqui
A teneris Datiane Deos, Chriſtumq́; recepi
Dixit, & hac viuens in relligione tot annos
Appoſui lucro quot eunt ab origine prima
Pubis ad albentes canos ineunte ſenecta.
Quæ mea nunc fuerit leuitas, amittere paruo
Omnia momento, quæ longa parauerat ætas?
Hos lapides, hæc ligna quibus me accedere mandas
Quòd non eſſe Deos conſtat, neq; tecta Deorum,
Vtpote quæ Pluto colit, & Plutonides vmbræ
Omnibus infenſæ mortalibus, execramur.
Atq; Deum ſobolemq́; Dei cognomine dictam
Argolico Chriſtum ſequimur, verumq́; fatemur
Eſſe Deum, ſanctas huius libamus ad aras.
Hoc opus eſt canis dignum atq; ſenilibus annis.
Nec quicquam temerè audemus, ſapienter & alto
Conſilio freti, magno quoq; numine fulti.
Hac iter ingreſſi dudum, nec in æquora mittor
Tam fragili cymba, nullo ſuperabilis æſtu
Nauigio iam portum aſpiciens, iam proxima cernens

Littora, iam patriæ ſubiens paradyſidis oram.
Iam lego quæ faciant reduci noua ſerta carinæ
Gramina, iam flores varium rediguntur in orbem.
Et mihi pro diuis contra impia tartara bellum eſt.
Edidit has Cæſar leges impulſus ab orco,
A grege tartareæ plebis deluſus, & iſtas
Miſſus in ambages, credens ſeruire Tonanti
Tiſiphonæ ſeruit, tecumq; inſanit & errat.
Parce minis, non ſum caſu mutabilis vllo.
Continuò in furias ſurgens Datianus & iram
Flammigerantem, ignes clamat, mora nulla, miniſtri
Huc afferte ignes, hominemq; extendite, duros
Huc adhibete vngues, & ad ilia mittite flammas.
Parent imperijs crudelibus. atq; Tribunum
Victorem toties, toties felicibus armis
In varios caſus Romano à Cæſare miſſum
Fune ligant, facibus torrent, ac viſcera ſulcant
Vnguibus, emungitq; adipem cum ſanguine tortor.
Irritatq; fricans ſale ſaucia membra dolorem
Inteſtinum, adigitq; animæ in penetralia pœnam.
Ille immobilibus cælos animisq; oculisq;
Suſpiciens, ô Chriſte, inquit, ſi forſitan armis
Aut aliter nequam deliquimus, ablue in iſto
Igne nefas, iſto ſcelus in certamine totum
Diffluat, inſontemq; animam concede reuerti
Ad ſuperos vinclis & opaco carcere functam.
Talibus orabat poſitus flammam inter & ignes
Cæſarienſis eques, ferrum aſpernatus & ignem.

Sic

Sic mulctatus abit ſpelunca in clauſtra profunda,
Quæ ſuberant regum tectis ac turribus altis.
Dum leuat Eoum nox intempeſta leonem,
Ac tenebris obfuſa ſilent animantia, cælo
Labitur, & portans ſub olentem carceris vmbram
Lumen ab æterno ſtellarum lumine odorem
Ex Hiericontini. vbi ſunt opobalſama ſyluis,
Nuncius extinctis accendit gaudia curis,
Et ſuccos adhibens latos orientis ab horto
Delet adhuc fluido ſtagnantes ſanguine plagas.
Multaq́ de ſummo mundani Principe regni
De ſuperis mira auditu tam dulcia viſu,
Vt mox quicquid ineſt homini mortale, caducum,
Inſyncerum abigant. fatus diſceſſit in auras,
Cùm iam libra ſuas gradiens per ſydera lances
Tolleret, & Venerem comitans aurora rediret.
Lux aderat quando ferus à cuſtode Tribunum
Audijt admirans, membris animoq́ valentem
Præſes, & id magicis factum ratus eſſe ſuſurris,
Neſcio quem Thamyram tali vocat arte potentem,
Inſignem tota Vrbe magum, quem ſemine nati
Fœta parens tulerat, genitos ita Perſica nanq;
Relligio vult eſſe magos, & talia fatur.
Chriſtigenæ noſti quanta improbitate reſiſtunt
Cælitibus noſtris, qua garrulitate tuentur
Dogma ſuum, nihil eſt illis Academia duplex,
Nil Stoa, ſe iactant ipſum vidiſſe Tonantem
Aetherio fultum ſolio, diuosq́ loquentes

Audiuiſſe

Audiuiſſe ſuper venturi ætatibus æui.
Dic ſodes modò ſi quid habes, quo vincere poſſis
Inſignem quendam in vinclis imoq; iacentem
Carcere, dic magicis tantum ſi cantibus audes.
Ille quid hic dubij? populos accerſe, periclum
Indicio fuerit, deducere ſydera cœlo
Omnia ſi ſit opus, deducam ſydera cœlo,
Si ſit opus magnos tranſire per aëra montes,
Efficiam magnos tranſire per aëra montes.
Si ſit opus ſimulare feras, formare dracones
Fingere bella, fretum fluctus attollere in altos.
Pluraq;, de magicis educere cantibus auſim.
Lætus & exultans iudex totam aduocat vrbem.
Iamq; aderat condicta dies, fluit vndiq; vulgus,
Nec fora iam capiunt turbas, rapiuntur in alta
Culmina, plebs ſummis hiat ad ſpectacula tectis.
Aere catenatus longo de infamibus antris
Ducitur os nitidum referens interritus heros,
Et noua feſtiuo venit in certamina vultu.
At magus apportans cyatho incantata venena
Non expertus adhuc Chriſtum, venit ore ſuperbo
In medium vulgus, dextraq; ſilentia mandat.
Murmure confeſtim poſito ſilet omne theatrum.
Continuò vocem attollens magus altius infit.
O populi dudum de relligione Deorum
Lis exorta hodie nobis dirimenda venena hoc.
Si bibat hos ſuccos impunè Georgius, eſto
Chriſtigenum ſit vera fides, nec plura loquutus

Pocula

Pocula porrexit,porrecta Georgius haurit
Funditus,& guttas etiam legit ore cadentes
Subridens,vultuq́; homini dat pocula læto.
Stant magus & iudex intento lumine,& omnis
Turba putans ſubita pœnas iam morte daturum,
Iam caſurum hominem.Vultu manet ille nitenti,
Nil magicas artes,nil impia murmura curans.
Id magus attendens mutato ſquallidus ore
State viri exclamat,ſunt hæc præludia,reſtant
Pocula adhuc,reſtant maiori accenſa veneno.
Dixit,& infundens cyatho noua pharmaca,moto
Murmurat ore ſuper,totaq́; illabitur arte.
Interea iudex meditans diſcrimina caſus
Præcipitis ſeſe accuſat,ſeroq; pericli
Pœnitet,& damnat modicæ incantamina fraudis.
Pallet ad euentum ambiguum & tremit intima corda.
Accipit intrepidus riſu mala pocula & haurit
Lethales ſuccos populo admirante tribunus.
Quòd cùm impunè magus factum videt,ô Datiane
Vincimur exclamat.Chriſti omnipotentia maior
Numinibus noſtris,& me præcor accipe(dixit)
Chriſte patris ſummi ſoboles,neu ſperne nocentem
Hanc animam,hic magicas artes,hic falſa relinquo
Numina,nudus inops ad te à Plutone reuertor.
Cingula ſic memorans ſoluit,tunicasq́; fluentes
Exuit,& ſtratus ſancti ad veſtigia reptat
Militis,ac toto plorans Chriſtum inuocat ore.
Tum præſes quo conſilio,qua debeat arte,

Turbine

Turbine de tanto quaſſatam educere puppim
Cogitat ambiguus, placuit ſententia tandem
Impia, victorem iubet in ſua claustra tribunum
Ire, magum gladio plecti, truncumq́; relinqui,
Et caput in plebis foriam cum iurgio agendum.
Mox grauibus titubans curis in tecta receſſit,
Et rurſum in furias iudex noua cogitat arma
Atq; nouis tormenta modis. Rota querna praealtis
Orbibus extruitur, caelos adit, atq; rotatu
Difficili primum, facto mox impete, curſu
It rapido ſtridens, credas rugire leones
Quum eſuries aut ira nocet, mucronibus horrens
Vndiq; confixis dentes praetendit ahenos.
Hos reus in gladios trahitur iaciendus, acutis
Heu roſtris in mille miſeriam fruſta ſecandus.
Sed ſimul ac vidit genus hoc immane tremendi
Supplicij pugilem virtus diuina repentè
Protectura ſuum, ventos immiſit ab Auſtro,
A Borea, à Zephyro, nec non & ab Indi o Euro.
Qui ſemel & canthum & radios axemq; polosq;
Turbine praecipiti rapuere per aëra, & orbem
Praeſes inops animi, qui rem ſpectabat ab altis
Praetori ſpeculis mox ſe in conclaue recepit,
Et pudor è conſpectu hominum ſe auferre coëgit.
Altera lux aderat cùm fraude armata tyranni
Mens, iubet educi vinclis ſiſtiq; Tribunum
Cui ficto ſic ore refert. Clementia diuûm
Iam tibi nota ſatis, quando ſic laeſa Georgi

Auxilia-

Auxiliatur adhuc,nec te voluere veneno
Non gladijs non igne mori,conuertere tandem,
Ad regum mandata veni,tu tantus in armis
Quid decora & titulos iſta leuitate profanas?
Quid tua quid maculas inſignia facta parentum?
Eſto age quid magica valeas ambage,periclum
Feceris,& longè ſupra Zooaſtridas artes
Te veniſſe mihi,noſtraq́; oſtenderis vrbi.
Iam ſatis eſt,compone animos & honore fruaris
Militiæ veteris.Romam fama ibit ad vrbem
Te Perſas viciſſe magos,cum veneris illuc
In te conijcient oculos populusq́; patresq́;,
Atq; audita volent ex te cognoſcere reges.
Poſthac Euphratis cedent tibi carmina,cedent
Theſſalici,quorum nomen tam illuſtre,ſuſurri,
Maior erit Pſillis,maior tua gloria Marſis,
Quos impunè ferunt nigros tractare colubros.
Hirpinis prælatus eris,quos munere tanto
Dignatur ſancti cuſtos Soractis Apollo,
Vt ſuper incedant nudis incendia plantis.
Dijs faueas,& viue,viris Roma indiget iſtis.
Ille videns hominem fictis applaudere verbis
Ac tentare dolis ſanctam ſubuertere mentem,
Poſtquam me tandem (dixit) mente accipis æqua.
Et quibus elicitur verbis amor,in tua victus
Vota feror.Diuis thura immortalibus antè
Ora patrum plebisq́; feram.Tu coge ſequenti
Luce cateruatim populos in templa Deorum.

Lætior

Lætior & grandi iudex potiturus honore
Incedit gaudens, ac rege ſuperbior ipſo
Geſtit & ad celebrem vulgus ciet ære triumphum.
Ac ſecum vano demens ſic murmurat ore.
Venit in hanc pugnam hic miles tam fortis & audax
Vt poſſet quoq; regem ipſum terrere loquendo.
Crediderat ſe Therſiten ſeu Sardanapalum
Inueniſſe, Sinoniaca quem eluderet arte.
Tantus hic Aeneas Diomedem inuenit, Achillem
Hector apud Perſas, Vincis Datiane, triumphum
Dij tibi dant, victo decus immortale reportas
Milite tam rigido, tam immani, tam truculento
Hoſte Iouis, diuos poterat qui pellere Olympo.
Dij gaudete, diem pompa celebrate frequenti.
Chriſtigenas omnes in milite vincimus vno.
Tanti eſt eſſe vafrum, tantum valet eſſe diſertum.
Eſſe animo magnum, verbisq; ferocibus acrem,
Migret ad Antipodes, vbi non ſunt nomina Chriſtus,
Migret, & hos illic quærat ſibi libere honores
Non ferat hic tales vbi nata ſcientia nugas,
Hic ſi præfectum ſegnem, ignauumq;, rudemq;
Nactus erat, tanta eſt ori facundia, fronti
Maieſtas, cordi conſtantia, victor abibat.
Inuenies paucos qui tanta animalia caſſes
Contineant, opus hic non quos orditur Arachne
Sed Mitylenæis laqueis ô Pittace, tandem
Inuentus tam grandem amnem qui ſiſteret, obex.
Talia lætitia ſecum Datianus inani

Garribat,

Garribat, vacuam ſolus dum permeat aulam.
Vrbs fluit interea, veluti cùm flantibus Euris
Certatim in Zephyrum volitant facto agmine nubes.
Dum fora, dum delubra ſonant, & garrula more
Barbarico varijs it plebs in murmura linguis,
Liber & exemptis reus alta in templa catenis
Ducitur, extemplò tenuere ſilentia preſſo
Murmure, & intentis oculis atq; auribus aſtant.
Ille genu ſubmiſſus humi ſuſpexit, & orans
Ore Deum tacito molem ſolui ocyter altam
Poſtulat, & ſciſsis ſubitò compagibus ire
Funditus in cineres, quò dij de ſedibus acti
In chaos æternum redeant, populiq; tumultu
Admoniti tanto ducant in ſydera mentem,
Ac ſuperos diſcant & numina ſancta vereri.
Finierat, fragor auditur. ſimul aura coruſco
Igne micat, terra os aperit, concuſſaq; raptim
Machina confractis trabibus teſtudine aperta
Abſorbetur humo, flammisq; ſequentibus ardet.
Ingentem ſtrepitum miſſasq; per aëra voces
Attonitæ plebis vicina ſuburbia & agri
Audiuere, iuit tremor vſq; in tartara, & vmbræ
Tartareæ timuere omnes, ne terra dehiſcens
Concideret, ſtygiasq; domos oſtenderet aſtris.
Vix iudex vix ira quibus diuina pepercit
Præpido pauci curſu euaſere ruinam.
Ex adytis pulſi lemures per inania terræ
Spiramenta viam celeres iniere ſub ima

Tartara, ſecretisq́ diu latuêre cauernis.
His ſuper attonitus, nec habens quibus amplius arma
Dimicet, affatur tali ſermone Tribunum.
Heu miſer heu cunctorum hominũ immaniſsime, tantũ
Quid ſcelus attentaſti? vno tot millia perdis
Interitu, cur te miſeris mortalibus hoſtem
Tam atrocem natura tulit? non te pudet vno
Hanc vrbem ſimul atq́ Deos ſepelire ſepulcro?
Sic iudex, contra ſic pauca Georgius orſus.
Inſanis, Datiane, potes qui credere ſaxa
Eſſe Deos, quæ ſe dum non à turbine & igne
Submoueant, quo te pacto defendere, & iſtam
Aduerſis ſeruare valent in caſibus vrbem?
Si tamen vt ſuperos iterum, Datiane, colamus
Forté iubes, aliam (venio) ſubeamus in ædem.
Ille aliam reſpondit habes fortaſſe ruinam
In manibus, quæ me, reliquam quæ deleat vrbem.
Sat mihi de tanto ſemel euaſiſſe periclo.
Rex autem qui tunc aderat congreſsibus iſtis,
Nec poterat ferre vltrà hominem ſic numina apertè
Falſa retundentem reginam affatur, & inquit,
Heu funeſta dies, quæ me tam dira vomentem
Iurgia diuorum ſic irreuerenter honorem
Conculcantem, odio ardenti, ſtygioq́ veneno
Contigit audire, & maculare his vocibus aures.
Tabeſco, expiro, & nequeo tolerare Deorum
Dedecus, hunc opus eſt fatis abolere citatis.
Rex ita: turbato regina ſubintulit ore,

Vtpote

Vtpote quæ tandem poſt tot miracula lumen
Viderat, atq; animam Chriſto patefecerat omnem,
Quæq; erat has dudum pœnas perteſa tribuni.
Deſine, rex, odijs gentem tam atrocibus iſtam
Deſine, rex, inſectari, pone impia, pone
Corda miſer, miſerere hominum, miſerere pientum.
Dæmonijs longo ignari ſeruiuimus æuo.
Verus in his loquitur nobis Deus, iſtius ora
Organa ſunt animante Deo reſonantia in aures,
Rex inſane, tuas, ſed te mala numina obumbrant.
Has ſimul atq; dedit voces regina, furorem
Rex init, & tanquam coluber qui verbera paſſus
Cùm ciet ignem oculis & cùm micat ore trilingui,
Concitus, appendi nudam iubet arbore ab alta
Crinibus ad ramum implicitis, & verbere cædi
Vſq; ad ſingultus, vſq; ad ſuſpiria morti
Proxima, & accenſus ſemper magis, acrius inſtat.
Verbaq; reginæ repetens quibus altius illum
Torſerat, in faciem quaſi tot flammantia mittens
Spicula clamabat, ſed te mala numina obumbrant
Rex inſane, odijs gentem tam atrocibus iſtam
Deſine rex inſectari, pone impia pone
Corda miſer, lemures illum tanto igne premebant.
Illa autem nondum Chriſti renouata lauacro
Lumina ad aſtantem vertit pudibunda tribunum
Dic inquit, ſacri fontis iactura Georgi
Sancte precor num me forſan fraudabit Olympo?
Ille in conflictu poſitam miſeratus acerbo

Vade ait, ô longè fœlix regina, nec vndas
Quære alias, nec te ſacri iactura lauacri
Sollicitet. Tu cæde tua tu ſanguine ſacro
Tincta triumphalem duces ad ſydera pompam.
Illa autem tales, conuerſo in ſydera vultu, &
Fato inſtante, dedit multum conata loquelas.
Chriſte faue, Chriſte omnipotens ſate virgine, dextram
Porrige & in ſedes miſeram me accerſe beatas.
Hæc vbi dicta, animam tenues efflauit in auras,
Oraq; compreſſo ſpirarunt lumine vitam.
Poſtquam longa ſatis vidit certamina paſſum
Inſignem hunc heroa Deus dignum æthere, dignum
Qui regno cœli ac terræ ſuccedat & vndæ,
Ite, ait, ô diui celeres, occurrite ſanctæ
Iſti animæ, ſupremum illi prædicite bellum,
Vltima vos habeat pugna & victoria teſtes,
Deniq; pompali comites eſtote triumpho.
Altera florigeri facies aſcendere Tauri
Cœperat, atq; nouo vernabat gramine tellus,
Cùm pugilem Diui tetro in ſquallore repertum
Talibus aggreſſi verbis. Salue inclyta proles
Cappadocum, victor lemurum celeberrime ſalue.
Te ſaluere iubent noſtri collegia cœli
Omnia, & omnipotens qui præſidet omnibus author.
Craſtina lux lucem æternam tibi conferet, iſtis
Eruet ærumnis, & in æthera mittet apertum.
Hactenus egiſti Chriſto ipſo iudice, & omni
Cœlituum patris qui ſtant ante ora ſenatu,

Fortiter. Vna dies ſupereſt latura coronam.
Eia age ſupremi benè fer certaminis æſtum.
Semper ab extremo pendet victoria nixu,
Horaq́; præteritos felicitat vna labores.
Nec metuas, ne longa nimis te pugna fatiget.
Eſt breue quod palmam tribuet ſtratagema futurum.
Tecum in pace erimus, tecum in certamine, tecum
Aetheris excelſam demum veniemus in arcem.
Sydera dum labente polo ſurguntq́; caduntq́;
Conſumpſit varius nocturna ſilentia ſermo.
Et iam ſole dies nocti ſucceſſerat orto
Cùm prolata reum iußit ſententia tauris
Indomitis vrbana trahi per compita, tandem
Subdere funeſtæ ſanctißima colla ſecuri.
Quæ ſimul ac completa, cohors amplißima diuûm
Circumſtant fœlicem animam, dulciq́; per auras
Lætum iter ingreßi properant ad ſydera cantu.
Sed fatale prius caderet quàm in vulnera ferrum
Vltima, iam vitæ ſupremo in margine, primo
Mortis in ingreſſu, manibusq́;, oculisq; ſupinis
Exoraſſe Deum fertur, ſuffragia voto
Ne ſua Chriſtigenum quiſquam ſperaret inani.
Audijt omnipotens, diuis præſentibus auræ
Inſonuêre, Veni, tua vox audita Georgi.
Talia dum fierent, aderat cum milite & armis
Ingenio iudex crudo ferus, ore ſuperbo
Imperioſus, inops mentis, miracula qui non
Per tam clara Deum cognouerit, inſcia vitæ

Marmora crediderit ſemper fore numina,& æra,
Lignaq́; adorarit nec cœlum aſpexerit vnqnam,
Quod ſplendore ſuo monet illa in ſede Tonantem
Viuere,& æternis illic accumbere menſis
Rectores terrarum animos,& nectare paſci,
Ambroſia veſci,ſummoq́; aßiſtere patri.
Propterea rediens(dictu mirabile,viſu
Terrificum,ſecloq́; omni memorabile)in arcem
Ignibus è cœlo lapſis cum milite toto
Arſit,& extemplò in cineres atramq́; fauillam
Corpora,& in ventos cineres,in tartara verò
Crudeles abiere animæ,cæco igne ſepultæ.

Baptiſtæ

BAPTISTAE MAN-TVANI CARMELITAE, THEOLOGI:DE VITA D. LVdouici Morbioli Bononienſis,

Carmen

AD INNOCENTIVM OCTAVVM, Pontificem Maximum.

MAxime pontificum, triplicẽ qui fronte coronam
Et duo ſacrata qui geris arma manu.
Noſtra tuis impar meritis facundia, nondum
Auſa eſt in laudes ſoluere vela tuas.
Creſcat vt interea, quædam leuiora canemus,
Parua leuem faciunt ad grauiora viam.
Vadat vt audaci ſpacioſa per æquora curſu,
Diſcit in exiguo currere cymba lacu.
Non igitur præclara tuæ primordia dicam
Gentis, & excelſum nobilitate genus.
Non patriæ innumerans dotes, quæ ſufficit vna
Claſſe ſua toto bella mouere freto.

Bella mouere freto, partosq́ referre triumphos.
Tam validè remos tractat & arma Lygur.
Adria & Adriaci meminerunt littora ponti,
Quàm grauis à Lygurum venerit vrbe furor.
Cùm Genuæ miles terram populatus, & æquor,
Oppreßit Venetos obſidione lares.
Prætereo ingenuos mores, mentemq́ benignam,
Aureaq́ ægroto munera miſſa mihi.
Munera quæ vires inſtaurauere caducas,
Et quibus in longos it mea vita dies.
Quale refrigerium terræ ſolet imber aduſtæ
Ferre, ſub ardenti cùm iacet ægra cane.
Tale dedit nobis fuluo piſcator in auro,
Qui trahit ex alto retia plena mari.
Dona laborantem, rapidoq́ in vortice tortam
In placidos portus reſtituere ratem.
Prætereo ſummum terræ cœliq́ fauorem,
Et data virtuti præmia tanta tuæ.
Tu regis æternis immenſum legibus orbem,
Et premis æquali colla ſuperba iugo.
Sancta procul poſiti ſubeunt tua limina reges,
Et pedibus figunt oſcula prona tuis.
Nec tamen in tanto tibi mens inflatur honore,
Sed vehitur placida mitis habena manu.
Hæc, & plura ſuis olim memoranda diebus,
Nunc ſileant citharæ languida fila meæ.
Nunc lege, quæ tenui reſides excudimus orſu
Carmina, cœleſtis de pietate viri.

De

De pietate viri,cuius mirabilis ardor
Rettulit in priſcum tempora noſtra decus.
Ipſius illuſtrat præſentia ſæcula virtus,
Et leuat ex imo tempora noſtra loco.
Occiderat noſtro diuûm reuerentia ſæclo,
Nullaq́; diuinis gratia rebus erat.
Pro pietate dolus,pro relligione libido
Venerat,ex toto fugerat orbe fides.
Numina ridebant homines,vanumq́; putabant
Vota dare auctori relligioſa ſuo.
Iſte Lycaonios mores in pallida mittens
Tartara,virtutes in ſua regna tulit.
Qualis in Habramo pietas,vel qualis in ipſo
Pectore ſacrifici Melchyſedecis erat,
Talis in hoc dum vixit erat, ſcelus omne ſubegit
Victor,honeſtatis protulit omne genus.
Huic erat humanum ſuperans patientia morem,
Qualis in antiquæ ſemine gentis erat.
Qualis in Aegypti patribus,qui rura colebant
Inuia,& ardenti marmora cocta die.
Nomen erat ſacro ductum Lodouicus ab amne,
Myſtica cùm tenerum diluit vnda caput.
Morbiolus vero priſcæ cognomine gentis
Dicitur,hac omnis cognita voce domus.
Protulit,& teneris puerum nutriuit ab annis,
Et natale ſolum Felſina docta fuit.
Felſina dicta fuit ſermone Bononia priſco,
Metropolis Tuſcæ dum regionis erat.

Flamminios tractus Boytenuere coloni,
Ex quibus hæc vrbi nomina facta ferunt.
Priſca noui caſus mutare vocabula poſſunt,
Et fieri nouitas à nouitate ſolet.
Tunitium nunc eſt, Byrſam dixere priores,
Vrbs noua nunc, olim Parthenopea fuit.
Mœnia quæ veteri fuerant Bizantia voce
Inclyta Romani nomina regis habent.
Gens huius nec clara fuit, nec nominis expers,
De medio vrbanæ ſanguine plebis erat.
Non robuſta nimis, ſed nec ſine robore membra,
Non nimis aſſurgens, nec breue corpus erat.
Forma decens homini, coma mento & vertice nigra,
Criſpaq; cæſaries, oraq; fuſca parum.
Iſte ſuæ nuper fœlicia tempora vitæ
Clauſit, & ad cœli limina fecit iter.
Vltima ſeruiuit ſtudijs melioribus ætas,
Immundas habuit prima iuuenta manus.
Namq; venenoſi ſenſit contagia mundi,
Et vada lethææ penè ſubiuit aquæ.
Prima malis oritur circundata moribus ætas,
Et mouet in mentes plurima bella nouas.
Sordet, & eſt ingens ſcelerum ſentina iuuentus,
Nec patitur frenos, nec iuga ferre poteſt.
Ipſa poteſt toti tenebras inducere vitæ,
Et vitijs canos commaculare ſuis.
Eſt fera, nec leges, nec publica iura veretur
Sæuit, & indomiti more ſuperbit equi.

Eſt

Eſt igitur primùm duris arcenda lupatis,
Atq; graui ſemper ſollicitanda metu,
Ne ferat in præceps hominem, ſubigenda flagellis,
Excrucianda ſiti, conficienda fame.
Adde, quòd humanum rabies temeraria Ditis
Fallit inaudita calliditate genus.
Hic iuuat inferni riuos oſtendere fontis,
Qui ſtygis in mundum flumina nigra ferunt.
Ambitioſus honos, & opes, & fœda voluptas,
Hæc tria pro trino numine mundus habet.
Hæc ſunt præcipites furiæ, quibus vtitur ardens
Orcus, & in terram ſeminat omne ſcelus.
Hic rapuit miſero Saphiram cum coniuge vortex,
Terraq; mendaces condidit vna duos.
Hæc obſcura pium merſit Dauida vorago,
Hinc Salomon præceps iuit in omne nephas,
Abſalon elati furijs agitatus honoris,
Flebile de querna fronde pependit onus.
Hæc pariunt rixas, rabidis fora litibus armant,
Hæc acuunt acri Martia bella ſono.
Hæc adigunt duros hominem tentare labores,
Et maris & terræ ſollicitare ſolum.
Huc humana ſuos vertit prudentia ſenſus,
Huc homines curas, & ſua vota ferunt.
Te quoq; certarunt hi tres Lodouice tyranni
Perdere, & in ſtygios præcipitare lacus.
Sunt maris & terræ diuiſa pericula nobis,
Quenq; ſua Syrtes & ſua Scylla manet.

Illi. itis

Illicitis virides lucris peſſundedit annos,
Et vigil iniuſtas accumulauit opes.
Fingere, fraudari, fictos componere vultus
Doctus, & incautos illaqueare pedes.
Qualiter hiberno lupus inſidiatur ouili,
Ad tepidum matris dum cubat agna latus,
Taliter ad nummos hic inuigilabat, & iſtud
Eximia dignum laude putabat opus.
Mercurij tales memorant ſub ſydere naſci,
Verſutos, duplices, fœdifragoſq; viros.
Callidus ad merces fuit, ingenioſus ad aurum,
Nec minus in Veneris gaudia pronus erat.
Talibus inſidijs clauſus languebat, & iſtis
Artibus ingenium ſe iuuenile dedit.
Affuit indulgens ſummi clementia patris,
Et Stygio lapſum traxit ab amne pedem.
Sæua virum cæco febris circundedit æſtu,
Intimaq; inuaſit feruidus oſſa calor.
Procubuit lecto, gemitus, lamentaq; ſurgunt,
Et trepidant alto ſaucia corda metu.
Arida lingua ſitim patitur, ſuſpirat anhelum
Pectus, & alternis vocibus ora gemunt.
Morte premi, veniſſe putat ſua fata, diemq;
Funeris, & vitæ tempora ſumma ſuæ.
Vertitur ad ſuperos, & numina ſancta precatur
Votaq; dat. Res eſt relligioſa timor.
Sic quoq; Franciſcus tenebras pallentis auerni
Fugit, & eſt tali raptus in aſtra modo.

Sunt qui blanditijs, ſunt qui terrore vocentur,
Et tamen hos omnes ſpiritus vnus agit.
Blanditijs Simon, flammis & fulgure Paulus,
Qui fuit ex acri fulmine pulſus equo:
Aegra caro prodeſt animo, defuncta reuixit
Mentis ab ægroto corpore nata ſalus.
Mens oculos in ſe vertens ſua vulnera vidit,
Erubuit, ſordes ingemuitq; ſuas.
Aethereăm pulſa vidit caligine lucem,
Et noua de cœli ſplenduit arce dies.
Mox furor eſt extinctus opum, deleta voluptas
Noxia, mundani pulſus honoris amor.
Ars hominem diuina nouum formauit, vt ipſe
Ad veras patriæ nos animaret opes.
Eſſet vt ignauos homines qui poſſet ab orco
Flectere, ad æternæ limina ſancta domus.
Huius vt exemplo poſſet reſipiſcere demens
Felſina, & errori ponere frena ſuo.
Felſina quæ rixis & fuſo ſanguine ſemper
Sordet, & æterna ſeditione fremit.
Felſina quæ turget faſtu diſtenta ſuperbo,
Felſina auariciæ luxuriæq; parens.
Hic tibi monſtrauit ſanctæ compendia vitæ,
Atq; breue ad cœlos inſinuauit iter.
Sic Deus Albertum Drepano conceſſit, vt omnis
Inſula per monitus iret & acta ſenis.
Illum magnus Eryx, illum Lilybœus honorat,
Et vada meſſani libera facta maris.

Sed

Sed mihi nunc eſſet plectro meliore ſonandum,
Nam modò virtutis ſingula facta canam.
Hæc erat heroo res extollenda cothurno,
Nec fuit imparibus commemoranda modis.
Cùm primum extincto cœpit reſipiſcere mundo,
In piceam vertit tegmina prima togam.
Nec color artis erat, ſed vellere natus in ipſo,
Qualia Carmelus tegmina verus habet.
Poſt aliquot cœpit tunicis albentibus annos
Veſtiri, & cultu pauperiore tegi.
Sed neq; mox abijt ſummam virtutis in arcem,
In loca maturo ſetulit alta gradu.
Vt maiora potens ſumebat robora virtus,
Sic magis in corpus durus & aſper erat.
Arbor vt ex ima radice valentior exit,
Durior eſt cortex, aſperiorq; liber.
Hæc duo creſcebant pariter, ſurgebat in horas
Corporis aſperitas cum probitate ſimul,
Sicut vbi æquæua vitis coniungitur vlmo
Vtraq; certatim tollit in aſtra caput.
Ipſe decembrales brumas, & frigora Iani,
In rudibus pannis, ſimplicibuſq; tulit.
Calce tulit nudo gelidi graue ſydus aquari,
Frigore concretis cùm Padus albet aquis.
Calce lutum nudo, glaciemq; ferebat, & imbres,
Tergaq; ſaxoſi puluerulenta ſoli.
Forſitan obijcies nudis incedere plantis,
Qui Meroës habitant Aethiopumq; domos.

Et quà Nilus agros pingui fœcundat arena,
Qui nigro pluuias à Garamante vehit.
Quà vetus extruxit Babylona Semiramis vrbem,
Tygris vbi Armenias in mare voluit aquas.
Scimus, & hæc illis placidi clementia cœli
Dona locis fecit, temperiemq́ dedit.
Illic perpetuo veſtitur gramine tellus,
Semper & aßidui munera veris habet.
Semper alunt Arabes redolentia cynnama campi,
Semper habet fœlix pinguia thura ſolum.
Humida ſemper habent tepidæ ſua balſama valles,
Semper habet violas, lilia ſemper humus.
Illic rura vides nullis albere pruinis,
Ferre licet nudos illa per arua pedes.
Noſtra nimis gelidam regio declinat ad Arcton,
Terraq́ ſub ſterili languet aduſta gelu.
Nos nimium flatu Boreas infeſtat acuto,
Et vincunt Scyticas frigora noſtra niues.
Vidimus aſtricto rapidißima flumina tergo
Ferre viros longis plenaq́ plauſtra vijs.
Pertulit æſtiuos nudato vertice ſoles,
Atq́ caloriferæ morbida ſigna canis.
Veſtibus attritis inopes circumdabat armos,
Qui prius ardenti murice clarus erat.
Impexi capiti crines, impexaq́ barba,
Oraq́ neglectæ ruſticitatis erant.
Expulit argenti zonam ſplendore nitentem
Funis in immunda fortè repertus humo.

Coniuge

Coniuge deſerta viridi quam duxerat æuo,
Duxit ad extremam tempora caſta diem.
Et quia non eſt fas gratis dimittere nuptam,
Plærique hoc illi non licuiſſe volunt.
Sed ſcelus eſt, homini ſcelus hoc impingere ſancto,
Nam quæcunque fuit cauſa, pudica fuit.
Sedibus incertis errans aliena ſubibat
Tecta, ſibi propriam non tulit eſſe domum.
Vrbe vagus, tandem Lupari intra limina Pauli
Fecit in obſcuro vilia clauſtra loco.
Nec domus ampla fuit, verùm breuis, atra, latenſque
Manſio, & in media vix adeunda die.
Legerat hoc, veteris mores imitatus Alexi,
Hoſpitium pallens, multiforemque caſam.
Mœſta ſepulturæ fuit hæc pallentis imago,
Sic potuit fati flebilis eſſe memor.
Sic potuit multos animi compeſcere motus,
Et ſtimulos tali debilitare modo.
Hac reſecare ſolent ſancti mala gramina falce,
Et nimis ardentes mortificare focos.
Lectus humus, vel ſtrata ſolo ſarmenta, vel aſſer
Durus, & ad nudam pallia dura cutem.
Sternebat fragilem ſtipulam, cùm molle grabatum
Debilibus membris poſceret ægra caro.
Sic cùm ſanus erat, ſic cùm languore cubabat,
Vita fuit paulum delicioſa ſcelus.
Ceruical non mollis anas, non plumeus anſer,
Non dedit exuto vellere tonſa pecus.

Sed

Sed lapis, aut rigida conuulſus ab arbore truncus.
Ne premeret ſegni membra quiete ſopor.
Longa fames macie tenues affecerat artus,
Criſpabatq; cauam pallida ruga cutem.
Neve fameſcentem caperent obſonia linguam,
Ibat in appoſitas multa fauilla dapes.
Neve putes ſolitum lautis accumbere menſis,
Altius hæc repetam, lucidiuſq; canam.
Pinguibus abſtinuit, nec viſcera contigit ore
Ne fieret menti ſeditioſa caro.
Panis, poma, nuces, hortenſia gramina raro
Cocta, cibus luſtris iſta fuere tribus.
Gramina ſi coxit nunquam tamen vnxit oliuo,
Nulla dedit ventri gaudia, nulla gulæ.
Squammiferum forſan voluit ſi mandere piſcem,
Torruit ardenti prandia parca foco,
Victus erat, qualem mundo primæua recenti
Terra dedit, ſalſo non vitiata mari.
Antè ratem Noes, & fluctus antè marinos,
Quam iuga fatalis ferret in alta liquor.
Tunc erat agreſti ſimplex ſub ceſpite vita,
In lare fumoſo, pauperibuſq; caſis.
Tunc gula parcebat gregibus, ſecura cubabat
Turtur, & inſidias non metuebat aper.
Si pecus occiderat ſenio, morſuve luporum
Forſan, & audaci ſi fera capta manu,
Tergore direpto nudatis viſcera coſtis
Dilanianda feris, alitibuſq; dabant.

f Pelli-

Pellibus hirſutos velabant corporis artus,
Maſſagetas contrà, Byſtoniaſq́ niues.
Nulla peregrino rutilabat murice lana,
Nam neq́ tingendi velleris vſus erat.
Veſtis erat, qualis pecori color antè fuiſſet,
Paſtor erat gregibus concolor ipſe ſuis.
Carica, iuglandes, communia pabula menſæ,
Diuitibus priſcis, lactea maſſa faui.
Nunc autem rapidi diffuſa licentia ventris
Gramen, auem, pecudes, deuorat atq́ feras.
Non mare, non tellus ſatis eſt, inuaditur aër,
Prædaq́ victrici ſunt elementa gulæ.
Creſcit aqualiculus, pingues lemargia vultus
Pingit, & ad ventris pabula ſemper hiat.
Hinc Venus, & Veneris proles, & inertia ſurgit,
Mens hebet, ars dormit, ingeniumq́ labat.
Sed ne fortè ſuo nimium de calle recedat,
Deſerat excurſus verſa carina vagos.
Summa fuit genio fraudes inferre voluptas,
Et parco Veneres extenuare cibo.
Pocula flumen erat, liquido vel flumine Bacchus
Debilis, & cyatho frigida vina breui.
Terra eſt omnipotens, fit inutilis æquore Bacchus
Propterea nautis præda iocuſq́ fuit.
Noctibus in lachrymas oculos, in verbera pectus
Soluit, & admiſſi criminis vltor erat.
Corde graues Chriſti pœnas voluebat amaro,
Membraq́ crudeli dilacerata manu.

Vincula,

Vincula, & innocuo currentes ſanguine riuos,
Vulnera, & in ſacrum ſpicula fixa caput.
Imbre graues oculos, humentem cæde columnam,
Et madidam fluidi rore cruoris humum.
Raptus imaginibus numen conceperat iſtis,
Plenaq; diuinæ pectora lucis erant.
Pro miſeris mendicus erat, pro paupere quæſtor,
Diuitijs inopes ſæpè iuuabat inops.
Languida ne feſſam ſopirent ocia mentem,
Sculpebat facili candida ſigna manu.
Effigies albo ſacras ſignabat in oſſe,
Cæleſtes imitans mente manuq; viros.
Oßibus illorum vultus ſibi reddere mores
Doctus, in officio ſanctus vtroq; labor.
Ne leuis incautam tentaret gloria mentem,
Suſpectum armato milite clauſit iter.
Namq; ea virtutum ſurgit de ſemine peſtis,
Fœtus vt è pingui noxius exit humo.
Sæpius in vanas tranſit vindemia frondes,
In lolium ſegetes degenerare ſolent.
In vitium, niſi ſit virtus abſcondita, tranſit,
Et ſpoliat mentes gloria vana pias.
Ipſa ſuis igitur metuens hunc frugibus imbrem,
Inuenit facilem ſedula cura modum.
Nam modò per vulgus pando vectatus aſello
Ibat, & vrbanæ fabula plebis erat.
Vimine nunc duplici compreſſus acumina linguæ
Per fora communis publica riſus erat.

Nunc in vincla manus mittens, ad colla capiſtrum,
Effigies capti vera latronis erat.
Sæpè ſuos hoſtes bonus hoc ſtratagemate miles
Vicit, & ex pugna ſæpè rediuit ouans.
Artibus his curas legi ſubdebat inanes,
Iſta rebellantis vincula carnis erant,
Dignior eſt qui ſe, quam qui fortiſsima vincit
Oppida, nec virtus altius ire poteſt.
Eſt hominum natura ferox & dura, leonum
Impetus eſt leuior, tigridis ira minor.
Centauros, hydram, Lapithas, Nemeæq; leonem,
Cacum, & Gerionen, æripedemq; feram.
Phlegreos, Erycem, volucres, & Amazona fortem,
Antæum, heſperides, Oebalioſq; lares.
Et geminos angues, Acheloia cornua, Troiam,
Alcides domuit, tergeminumq; canem.
Omnia qui domuit Veneri ſeruiuit, & iræ.
Pertulit hoc nullo victus ab hoſte iugum.
Diſcite quos ducit per ſordida luſtra cupido,
Quos vaga per paruum ſemita flexit iter.
Diſcite quas leges honor, & quæ lora voluptas
Poſcat, ad iniuſtas quod medicamen opes.
Vertite per greſſus hominis veſtigia ſancti,
Vos feret in mores orbita ſancta pios.
Hæc mala proſperitas grandem latura procellam
Ducit ad ignoti ſtagna vadoſa freti.
Flectite vela citi, loca iam male tuta videntur,
Excitat iratos Scylla propinqua canes.

Sancta

Sancta per hunc ſacri creuit reuerentia cultus,
Et pietas miro floruit aucta modo.
Namq; ſalutiferi corpus venerabile Chriſti,
Exigua vetuit relligione coli.
Candida ſolenni celebrentur vt orgia ritu,
Inſtituit tædas, multipliceſq; focos.
Ardentes ſtatuit lichnos altaria circum,
Vt ſacer accenſo luceat igne locus.
Summa Dei claram poſcit ſibi gloria lucem,
Flamma Deo debet, cœlitibuſq; dari.
Sicut enim triſtis nox eſt æterna ſub orco,
Perpetuam cœli ſic habet aula diem.
Taliter immenſos ſuperûm teſtamur honores,
Nec minimum lux eſt relligionis opus.
Ardentes pedibus nudis orabat ad aras,
Ipſa premens nudo marmora nuda pede.
Interea tremulo torpebant frigore membra,
Et ſenſim penetrans ibat in oſſa rigor.
Feruida diuino virtus accenſa calore,
Durabat nullo diminuenda gelu.
Illecebras vitæ molles Deus odit, Olympi
Clauſa voluptati deſidiæq; domus.
Sicut in ardenti Phœnix ſe collocat igne,
Vt reparet vitæ tempora longa ſuæ,
Sic meditans longos cœli Lodouicus honores,
Omne laboriferum ſponte ſubiuit opus.
Nec tantum exemplo, verûm & ſermone vocabat
Ad ſuperûm turbas limina ſancta rudes.

Vndiq; vicinas ſtuduit documenta per vrbes
Spargere, & extinctam viuificare fidem.
Id Mutinæ pubes meminit, Lepidiq; propinqua
Mœnia & agreſtes culta per arua caſæ.
Et noua quæ niueis albet Ferraria muris,
Et ſenior vitreo Mantua cincta lacu.
Romanis aquilæ ducibus vexilla, ſed iſti
Chriſtus in albenti ſindone pictus erat.
Hoc inſigne manu per rura ferebat & vrbes,
Sola docens magni caſtra ſequenda Dei.
Diſcite quas curas, quantos conceperat ignes,
Quantus in accenſo pectore feruor erat.
Quo ſtudio, quali Chriſtum retinebat amore,
Sancta fides animo robora quanta dabat.
Artibus his animos reſides, & ſurda mouebat
Pectora, & ad cæli numina calcar erat.
Et melior nolens alijs maiorve putari,
Sæpè aliquod finxit deſipientis opus.
Namq; ſacerdotum ſacros ambiuit honores,
Et tumido faſtu ſe ſimulauit agi.
Non tamen auſteræ ſummo de culmine vitę
Decidit, anguſtum continuauit iter.
Iamq; inſtare videns ſupremæ tempora vitæ,
Lætus ad æternas corda leuabat opes.
Cantat, & ingratos vitæ finire labores
Geſtit, vt ad mortis limina venit olor.
Præmia conſpiciens longi ſudoris arator,
Gaudet frugiferæ meſſis adeſſe diem.

Sic

Sic alacris noſtro fugiens Lodouicus ab orbe,
Id ſibi iucundum ſignificauit iter.
Anxia corda premens vitæ iam limina morbus
Cæperat, & fato callis apertus erat.
Cùm domus ægrotum miſerans tellure iacentem,
Membra dedit molli iam moribunda thoro.
Non potuit plumas, nec lignea ſtragula ferre,
Sed reptans gelidam corpore preſſit humum,
Corpus, ait, terra eſt, humili date corpora terræ,
In ſua fœlici mens eat aſtra pede.
Poſt ſacros fidei ritus de more peractos,
Mens abijt putri diſſociata luto.
Febris, & exiliens latè de naribus humor
Sanguineus, mœſtæ cauſa fuêre necis.
Extinctum tumulo ſolenni funere corpus
Redditur, & celebri condita buſta oco.
Singula tractanti, nulla ratione tacendum,
Quòd propriam multò viderat antè necem.
Vidit, & antè nouem dixit ſua funera menſes,
Et ſibi ſupremam non procul eſſe diem.
Mens pia ſubſidium medicæ ſibi noluit artis,
More Agathes ſoli fidere docta Deo.
Frigus & hibernum tolerat ſine crinibus imbrem
Arbor, & exuto corpore nuda tremit.
Aſt, vbi clauſa tepens per rura fauonius intrat,
Incipit albenti luxuriare coma.
Humida per ligni graciles alimonia venas
Serpit, & imbibitus ſuſcitat oſſa calor.

Purpurium miſcet frondis cum flore decorem,
Et parit ornatus multi coloris opes.
Taliter hic iacuit plures inglorius annos,
Et tulit immenſum vilis & æger onus.
Sed modò cæleſtem poſt funera ſumptus in aulam
Gliſcit, & æterna fertilitate viret.
Sic quoq; defunctum poſt debita ſecula corpus
Surget, & antiqua veſtiet oſſa cute.
Tunc iterum notos animus labetur in artus,
Altaq; terreſtri vadet in aſtra pede.
Nona pruinoſi iam lux erat orta nouembris.
Cùm leuis ad patrem ſe tulit vmbra ſuum.
Luſtra decem vitæ, binoſq; peregerat annos,
Hæc fuit humanæ meta ſuprema viæ.
Antè fores Petri gelidam conuerſus in arctons
Eſt locus antiquæ relligionis opus.
Hic iacuit primum, poſt ſex à funere menſes
Erutus, & magna conditus æde fuit.
Hic noua concurſu fiunt miracula magno,
Votaq; dat ſacro Felſina tota loco.
Qui venit ægrotans, redit ad ſua limina liber,
Et miſeros homines oſſa ſepulta iuuant.
Loripedes, oculis capti, Nodiſq; podagræ
Diuinam illabi teſtificantur opem.
Summa virum probitas, ſimul & miracula ſanctum
Eſſe probant, fidei ſi ſit habenda fides.
Magne pater, qui res hominum ſpecularis ab alto
Vertice, conſultes iudiciumq; feras.

Nam

Nam nihil audendum temerè,nec dicere ſanctos
Conuenit,aſſenſum numinis antè tui.
Si tamen hunc liceat cæleſtibus addere diuis,
Surgeret ætatis gloria ſumma tuæ.
Sit tibi proſperitas,te Neſtoris atq; Sibyllæ
Sæcula in æterni nectaris arua ferant.
Hactenus hæc,olim cùm nos donaueris vrbe
Romulea,plectro te meliore canam.

EIVSDEM IN LAVDEM IOANNIS BAPTISTAE PRO NATALI eius,Carmen.

AGnifer æterna Iuuenis digniſsime vita,
Antè Deum præco,lucifer ante diẽ.
Nam puerum ſupra puerilem gratia ſenſum
Te tulit,vt fieres nuntius antè Deũ.
Sancta tuis hodie libamina ponimus aris,
Et damus in feſtos thura Sabæa focos.
Scilicet vt vitæ caſus expertus iniquos
Auxilio generi ſis memor eſſe tuo.
Hæc eſt illa dies,qua primæ gaudia prolis
Accepit ſenio feſſus vterq; parens.

Magnus es, & ſancti retines loca prima ſenatus,
Et propè virgineum crederis eſſe latus.
Et ſibi te præfert, niſi ſint oracula vana,
Omnis in ætherea ſancta caterua domo.
Nec putat indignum toti qui præſidet orbi
Quòd iuuenis tetricos poneris antè ſenes.
Illic in precio virtus, contemnitur ætas,
Nec quantum ſed quo vita ſit acta modo.
Iure igitur propter meritum, præclaraq́; geſta,
Te decorat primo turba beata loco.
Ad te virginea venit puer inſitus aluo,
Et ſine vocali protulit iſta ſono.
Naſcere magne puer, propera digniſſime natûm,
Sæcla noua, & legem nuntia adeſſe nouam.
Et genus humanum veracibus argue dictis,
Et Solymas gentes ad vada ſancta voca.
Diuitias aliјs perituraq́; regna relinque,
Et niſi cœleſti non moueare bono.
Præmia terrenæ mentes terrena ſequantur,
Regna manent alio nos meliora loco.
Noxia multiuolæ fugias conſortia turbæ,
Sit tua ſylua domus, terra cubile tuum.
Hiſpida ſylueſtres tibi dent velamina capræ,
Squallat intonſis os iuuenile comis.
Accolæ Iordanis fruticantia flumina, tollat
Vnda ſitim, gramen ſiue locuſta famem.
Vade prior, præcede meos noue lucifer ortus,
Iam meus auroræ limina pulſat equus.

Ibimus,

Ibimus, & cæcum ſimul illuſtrabimus orbem
Luce noui ſolis, ſyderibusq́; nouis.
Dum complexa ſenem mater virguncula matrem
Colloquitur, puero tradidit iſta puer.
Dum populo ſacri caneres noua dona lauacri
Ad vada quæ geminis multiplicantur aquis,
Ille puer factus iam corpore maior & annis
Suppoſuit digitis ora lauanda tuis.
Iure igitur tua nunc adeunt altaria turbæ,
Et tibi iure dies iſta dicata fuit.
Nam Deus illorum ne ſint iubet irrita vota,
Arma clientelæ qui ſubiêre tuæ.
Nos quoq; ne mores damnare putemur auitos
Verbenis gerimus tempora cincta tuis.
Sic faueas nobis, vt te veneramur, oportet,
Et precibus debet nulla repulſa dari.
Exorare, faue miſeris, pia vota ſecunda,
Voce, oculis, tibi cor ſupplicat, atq; manu.
Iſta dies alijs fac ſit felicior, adſis
Omnibus, & clemens ad tua templa veni.
Si tamen eſt quiſquam, qui orare procaciter auſit,
Auferat indignas mobilis aura preces.
Hic petet annoſæ longiſsima tempora vitæ,
Alter amiciciam principis, alter opes.
Fortè erit & vetitos demens qui quærat amores,
Et dominam mitem poſtulet eſſe ſibi.
Parce iuuentuti, ſed luxuriantia muta
Pectora. fert iuuenes impetus, atq; furor.

Orabit

Orabit pluuiam rapido qui læditur æſtu:
Forſitan hoc omnes fœmina virq́ volent.
Vix ferimus rapidi flagrantia ſydera cancri,
Nec pater extinguit Iuppiter illa tuus.
Iam renouat veteres tellus exuſta querelas,
Et puero currus extimat eſſe datos.
Areſcunt gelidi fontes, moriuntur & herbæ.
Perdidit infelix paſcua læta pecus.
Hunc igitur minui ſiquis rogat imbribus æſtum,
Agnifer illius ſunt bona vota, faue.
Des petit abſentis reditum noua nupta mariti,
Et gemit & ſupplex ora pudica mouet.
At mulier grauida quæ pignora ſuſtinet aluo,
Nonaq́ iam celeri luna propinquat equo.
Da facilem dicit iuuenis ſanctiſsime partum,
Ponere cùm ventris pondera tempus erit.
Languidus auxilium medicæ cui defuit artis,
Te vocat, & tremulis vocibus ambit opem.
His ego non moueor, nec me terrena remordet
Cura, polos vltrà mens animoſa volat.
Hæc alijs dentur, meus it ſublimius ardor,
Et bona contempto vult meliora ſolo.
Vna potens res eſt me reddere ſola beatum,
Quæ tibi per verſus fiet aperta duos.
Eſſe tuo coràm vultu Deus optime rerum
Semper, & aſpectu liberiorē frui.
Hoc peto, tu ſanctos inter digniſsime ciues
Hoc hodie votum ne ſit inane, faue.

Sit

Sit puerile licet, gratum tamen iſtud habebis
Carmen, & vt venias in mea vota precor.

EIVSDEM IN DIVVM ALBERTVM CARMELITAM SICVLVM Hymnus.

Menſis Auguſti redeunt honores
Fulget auleis paries, & aræ
Ignibus lucent, Tymiama nubem
Fundit odoram.
Cœtus Alberto populi frequentis
Vota perſoluat, referatq; grates,
Et ſalutaris veniant ad vndæ
Pocula turbæ.
Sapphicis ergò modulemur hymnis
Arua tam claræ decorata partu
Prolis, & nunquam celebranda dignis
Laudibus acta.
Hinc leuat frontem Lilybœus altam,
Arduas illinc Erycis cacumen
Deſpicit rupes, Drepanumq; curui
Littoris vrbem.
Quà vident Phœbum Siculi cadentem
Atq; Didonis Tyriæ ſuperbum

Littus

Littus, & regnis inimica ſemper
Regna latinis.
Indè præclarum genus, indè ſanctæ
Traxit Albertus documenta vitæ,
Atq; Carmeli fuit & Sicanæ
Gloria terræ.
Cùm puer ſeptem ſuperaſſet annos,
More Baptiſtæ fugiens paternum
Limen, ad ſacram properauit almæ
Virginis ædem.
Hanc Palæſtini tenuêre patres,
Qui per occultas habitare valles
Vatis Heliæ ſtudium ſequuti
Antè ſolebant.
Candido velans humeros amictu
Vertit ad mores tenerum ſeueros
Corpus, & canos iuuenilis ætas
Induit annos.
Vicit altricem ſcelerum iuuentam,
Atq; fallaces Erebi figuras,
Cum puellari redimita cultu
Venit imago.
Semper à curis animum caducis
Flexit ad vitæ ſtudium beatæ,
Riſit humanæ genus omne laudis,
Riſit honores.
Præuigil ſomnos abigens inertes,
Vel pios ibat manus in labores,

Vel

Vel reuiſebat meditans vtrunq;
Lingua volumen.
Feruidam ventris moderans orexim,
Fluminum potu, tenuiq; menſa,
Debiles rarò recreabat ægri
Corporis artus.
Regiæ ſpreuit thalamum puellæ,
Arua, theſauros, Parijsq; fultas
Porticus ſaxis, Tyrioq; veſtes
Murice tinctas.
Ibat in caſus patienter omnes,
Proſperam ſortem tulit & ſiniſtram,
Sicut inuicto ſcopuli marinos
Pectore fluctus.
Criminum nullo ſuperatus æſtu,
Maximos cœli meruit fauores,
Et poteſtatem ſuper ima mundi
Regna minoris.
Arua Meſſanæ cruciata longa
Martis ærumna, meminere quando
Vexit ignotus pelagi per vndas
Nauita fruges.
Ciuitas duro famis in periclo
Mox erat triſti peritura fato,
Motus Alberti prece ſupplicantis
Audijt æther.
Tota vicini regio Pelori
Riſit ad tantæ ſubitum ſalutis

Nun-

Nuncium, verſæ petiere prora
Littus Hiberum.
Languidos pota reparauit vnda.
Inde translatus fuit ad nepotes
Mos, vt vndanti fluuio quotannis
Labra coronent.
Spiritus aulæ ſtygiæ procaces
Qui ſub humanis violenter audent
Inquietantes habitare membris,
Truſit ad orcum.
Iura naturæ rigidamq; legem
Mortis, & fati validum potentis
Robur inflectens animam latentim
Traxit ab orco.
Tale mirati facinus profundæ
Iudices noctis timuere rurſus
Ne Dei proles iterum ſilentem
Viſeret vmbram.
Tranſijt ſiccis rapidum per amnem
Paßibus, caſtum tulit vnda corpus,
Militat caſus pietas inermis
Tuta per omnes.
Ora leproſis populata ſquammis
Oſculans tetra cute ſæuientem
Depulit morbum, nituitq; primo
Corpus honore.
Spiritus iacto vitreum lapillo
Fregerat lychnum, puero legenti

Nocte lucentem, tenuiq́ lumen
Igne ferentem.
Fruſtra collegit puer & ſilenter
Triſtis effudit lachrymas ad aram,
Fruſta coniunctis coiêre labris
Corpus in vnum.
Antè conſpectum populi frequentis
Ad viri funus cecinere laudes
Nuncij ſummo tenuem per auram
Aethere lapſi.
Corporis manans odor inſepulti
Extitit multis medicamen agris
Ipſa languores varios fugabant
Saxa ſepulcri.
Sponte non vllo ferientis ictu
Aera de ſummis ſonitum dedêre
Turribus, quando ſuperûm petiuit
Spiritus arcem.
Antè nocturnæ referentur vmbræ
Et dies phœbi fugiente curru
Occidet, quàm ſit recitata tanta
Gloria laudis.
Nunc ab illuſtri Siculos Olympo
Cernit, & curans patriæ ſalutem
Aequor & notæ ſpacioſa terræ
Regna gubernat.
Sic precor noſtri miſeratus æui
Tempus infœlix miſeramq́ ſortem

Peſtis inſtantem, famis atq; belli
Auferat iram.
Auferat vitæ ſcelus expiandæ,
Et ſuis placans precibus Tonantem
Non ſinat tantis hominum ſubeſſe
Regna periclis.
Non ſinat gentes Aſiæ ſuperbas
Ferre per noſtros truculenta fines
Ora, nec ſæuis violare noſtras
Ignibus vrbes.
Sed per optatam placidæ quietem
Pacis ad mundi melioris altam,
Quando ſupremæ volet hora vitæ,
Transferat arcem.

BAPTISTAE MANTVANI CARMELITAE THEOLOGI, FASTORVM LIbri xij. à mendis permultis, quibus hactenus ſcatebant, repurgati.

STVDIOSO LECTORI HENRICVS Angelus Carm. S. D.

CVm nuper libros Faſtorum, clariſsimi viri Baptiſtæ Mantuani, amice lector, Maternus Cholinus huius inclytæ ciuitatis Bibliopola, fortè fortuna ſumpſiſſet in manus, intelligeretq; illos non ſolùm mihi, ſed & alijs quoq;, ijsq; pijs & doctis viris plurimùm probari, cùm propter carminis iucundam facilitatem, tum propter ſynceram & quam perpetuò ſpirant Chriſtianam pietatem, nõ indignos eſſe arbitratus eſt, quos prælo ſuo curaret excudi, quò nimirum haberent ſtudioſi adoleſcentes, in quibus grauioribus ſtudijs defatigati ſeſe oblectarent, atq; ab ipſa

iuuenta pietatis exempla imbiberent, qualia hîc innumera ferè à probatiſsimis authoribus petita, Baptiſta noſter congeſsit. Neq; enim aſſentior ijs, qui ſeuero nimis, parumq́; ſano iudicio poëtas omnes tanquàm indignos, qui Chriſtianorum manibus terantur, è Repub. Chriſtiana, & maximè è cœnobijs, exturbandos eſſe cenſent. Siquidem cùm rigidi illi cenſores, ſuæ temerariæ aſſertionis non aliam rationem proferre poſsint, quàm quòd quidã diuina poeſi abutentes, obſcœna & turpia artificioſis verſibus, quibus iuuentus ad nequitiam alioqui ſatis procliuis, facilè capi poſſet, & ad omnem turpitudinem inflammari, conſcripſerunt, iam omninò ex eorum ſententia conſequens erit, omnes diſciplinas indifferenter, omnesq; artes abijciendas, ſed & ipſam quoq; ſacroſanctam Theologiam prorſus exibilandam eſſe. Nulla enim ars, nullaq; ſcientia antehac reperta eſt, qua non ſint improbi homines aliquando grauiter abuſi: Nemo tamẽ ſanæ mentis, & cui vel mica ſalis fuerit, propter hunc abuſum quenquam à S. Theologiæ aliarumq́; ingenuarum artium ſtudio deterrendũ eſſe exiſtimabit. Rectiùs proinde iudicant, qui

inter

inter poëtas delectum habendum arbitrantur, eosq́;, qui citra periculum non leguntur, vtpote quibus non modò vanis, ſed & obſcœnis verſibus pagina turget, procul â Chriſtianorũ finibus pellendos: Eos verò, quorum ſcripta nõ ſolùm nihil latentis veneni continent, verùm etiam plurimum promouent Chriſtianã pietatem, retinendos eſſe, & interdum iuuẽtuti prælegendos: inter quos non poſtremas partes obtinent Aur. Prudentius, & hic Baptiſta Mantuanus, authore eruditiſsimo Ludouico Viue, viro emunctæ naris, & acerrimi iudicij, in libro quẽ de tradendis diſciplinis prænotauit, qui & præcipuè Baptiſtam commendat à copia & facilitate. Quod iccircò dictum eſſe volo, ne quis temerè damnare, aut cõtemnere velit, quem tantus vir, non ſine ratione, ſua commendatione dignum cenſuit. Verùm vt ad inſtitutum redeam, Maternus obſecutus amicorum precibus, hos duodecim libros Faſtorum, ſumpto exemplari probè caſtigato, typis ſuis (vti vides) excudere non eſt grauatus, qui & hoc diligenter cauit, vt quàm emẽdatiſsimi prodirent in publicum. Quocircà candide lector, vtriuſq; & authoris & typo-

 graphi

graphi fruere laboribus, ſenties procul dubio tandem non tam huius, quàm illius piam diligentiam tibi profuiſſe. Benè vale. Coloniæ Agrippinæ, ex cœnobio Carmelitarum, xv. Calend. Maij.

MATTHIAE SCHVRERIO GENTILI CHARISSIMO, IACOBVS VVIMPHELingius Seletſtatinus Salutem plurimam.

REpperi ex inſperato in Bibliotheca nepotis mei Iacobi Spiegel, Imperialis Secretarij, Baptiſtam Mantuanum in libris Faſtorum lectu dignißimum, in quibus noſtra iuuentus vitam, & bonos fines Diuorum abſq; fabellis, & alia ſcitu vtilia, ſine veneno (quo Tibullus, Propertius, Catullus, Lucretius, Marullus, & horũ laſciui ſimiles reſperſi ſunt) à teneris annis imbibere, ſeq; & cæteros aliquando delectare poſſet: ea ſi Chalcographia

phia propagarentur, confido Hieronymum Gebuuilerum, Ioan. Sapidum, Geruaſium Sopherum, cæteroſq; politiorum, & Chriſtianarum literarum profeſſores, ſuis diſcipulis interpretaturos. Chriſtiani enim ſumus, & eſſe, & dici volumus. Proinde ſi tu mi Matthia ſalutiferę iuuenum inſtitutioni conſulere, & caſtorum clauſtraliũ, qui ex his carminibus delitias per otium capient, faſtidia leuare voles, exemplar ſpe nõ indignaturi nepotis à me accipies, cũ expreſſa Baptiſtæ effigie, vt in operis tui veſtibulo iucundum tanti viri, maturitatiſq;, & modeſtiæ ſuæ, vti præ ſe fert, præbeat ſpectaculum. Sunt haud dubiè vobiſcum, qui eam nobiliſsimi vatis & theologi imaginem pictura, & cælatura aptiſsime reddere poſsint. Nam & ab annis quinquaginta, quibus vrbi veſtræ Argentinenſi affectus ſum, memini in ea pictores præclaros, ſculptoreſq; excellentiſsimos floruiſſe. Vale, & incolumitatis tuæ (quam cum ſummo gaudio intellexi in te reſumere vires) rationem habeto. Ex patria noſtra communi Calen. Maij, Anni Chriſti. M.D.XVIII.

BAPTISTAE MANTVANI CARMELITAE THEOLOGI, AD IVLIVM II. Pontificem Maximum præcinium.

MAxime Quercentum princeps & ſumme ſacerdos,
Qui iurà & leges, Diuumq; hominumq; gubernas:
Enſe potens gemino, cuius veſtigia adorant
Cæſar, & aurato veſtiti murice reges,
Non Italæ ſolùm gentes, ſed tota per orbem
Sparſa tibi æternas grates Eccleſia ſoluit.
Nam poſtquàm in Petri ſolium te Roma leuauit,
In decus antiquum maieſtatemq; vetuſtam,
Publica res Chriſti tandem reuocata tyrannis
Reſpirare poteſt, & ducere gaudia victis.
Nunc Ariminiacas arces, quas verberat ingens
Adria Petrus habet, veteris nunc Sarſina Plauti
Patria deuenit Romam, diuturna Rauennæ,
Iam iuga confractis proiecit in æquora loris
Vis tua, & extincta eſt longæua iniuria fraudis.
Felſina, quam limo immerſam Serrana tenebat
Factio, nunc veluti longa ſerpigine tandem
Munda cutis nitet in priſcum translata decorem.

Adde

Adde Fauentinam tetricis cum montibus vrbem,
Adde Forumliuij, ſed cur ego ſingula verſu
Proſequor, enumerans ea, quæ temerarius hoſtis
Traxerat ex Petri imperio, regniſq; Latinis?
Tota latrocinijs erat hauſta Eccleſia longis,
Et poſita in luctu lamentabatur amaro.
Non erat aſſertor, medijs vt ouilia ſyluis
Quæ paſtore carent, incuſtodita iacebat,
Præteriti quanquam labi ſua regna dolerent
Pontifices: non audebant tamen arma ciere,
Et nimium fortes bello irritare tyrannos:
Sed ſtabant ſimiles Prognæ ſua parua videnti
Pignora de nido tracta à ſerpente vorari.
At tua crudeles nec diſſimulare rapinas,
Nec tolerare poteſt virtus heroica, & ingens
Cognita in hoc excelſi animi præſtantia bello.
Perge agé, & inceptis paſtor Romane memento
Talibus eſſe pium laxis incumbere habenis.
O vtinam pater omnipotens tibi proroget annos,
Vt valeas olim poſt hæc certamina, Romæ
Ad malé compoſitos animum conuertere mores.
Sicut enim tua regna rapax lacerauerat hoſtis
Improbitas ſic & ſanctos Acherontigenarum
Laruarum impietas, & pernitioſa libido
Corrupit mores, quibus illa antiqua parentum,
Semideorum ætas totum condiuerat orbem:
More ſalis, ſine quo nemo conuiuia quanquam
Mille dapes habeant, & ſint ſaliaria, laudat.

Hæc morum iactura magis deflenda videtur,
Quàm regni prior illa tui, nam diſſipat omne
Imperium Chriſti, toto iam cognita mundo.
Mendacem facit eſſe Deum, qui dixit Auernum
Imperijs non poſſe ſuis inferre ruinam.
Ecce ruunt, charitas friget, ſpes pallida languet,
Aegra fides fragili vix ſuſtentata bacillo
Ex procerum tectis fugit, & gurguſtia quærit.
His tribus incumbit tanquam tribus alta columnis
Tecta domus Chriſti: tribus his labentibus ergò
Eſt opus vt ruat hæc moles validiſſima quondam,
Nunc ſenio, morboq; tremens, rimiſq; dehiſcens.
Nec te magne pater latet hoc, prudentia pectus
Tanta tuum vegetat: ſed idonea tempora quæris,
Expectasq; diem, quæ det fæliciter iſti
Principium diuino operi, ſtat ad oſtia Chriſtus
Cum grege cælituum tecum venturus in iſtam
Militiam, tua magne pater præcordia pulſent
Anteferenda alijs hæc ſancta negotia curis,
Hæc animo res digna tuo, qua ſanctior eſſe
Nulla poteſt, nulla vtilior mortalibus. Eſto
Qui decus hoc habeat, quem gloria tanta coronet.
Ad Romam conuerte oculos, luxumq; fluentem
Aſpice, & indignos Chriſti propagine mores,
Tota in capreolos it vinea, tota comantem
Effluit in ſyluam folijs ſpargentibus vmbram
Peſtiferam ſegeti, dulces neq; parturit vuas,
Hos ſteriles ramos, nemus iſtud inutile trunca,

Nam

Nam bibit humorem terræ, qui paſceret altas
Alcinoi ſyluas, Athlantiadumq; ſororum
Auriferas malos, & odori ſemina Coſti.
Erue mortiferas taxos, aconita, cicutas,
Et ſere vitales herbas, vt cinnama, nardos,
Balſama, thura, crocos. Veterum reminiſcere patrum:
Gregorium pone ante oculos, magnumq; Leonem,
Sylueſtrum, & reliquos, quorum eſt imitabilis alto
Vita animo, regnoq; humeros ſuppone labanti.
Qui te cunq; colunt optant hæc cernere, & iſtud
Expectant ardenter opus. Sed bella videntur
Maturanda prius, placidam cenſoria pacem
Verba decent, vacuumq; odijs, & ſanguine tempus.
Si potes his alium debes adiungere, toto
Sic hominum, Diuûmq;, choro poſcente laborem,
Ecce ſuis Graios vt agat fortuna per orbem
Sedibus, expulſos Turcas genus ecce ſuperbum
Vt ſtygij manes certent extollere contra
Fas, & iura vides, regna inter Barbara ſanctum
Chriſtus vbi voluit claudi ſua membra, ſepulchrum.
Aſpicis à Chriſto quantum ſubduxerit orbis
Terrarum Machometus Arabs, Aſiatica regna
Cuncta tenet, tenet in Lybia noſtri maris oram
A Mauris vſq; ad Nilum, tenet Hellada totam,
Threicias vrbes, longinqua binominis Iſtri
Hoſtia in Europa, pudet ah pudet iſta fateri,
Quæ damnum, quæ ignominiam, quæ opprobria vulgât
Publica Chriſtigenûm, quibus inſipientia noſtræ
Arguitur

Arguitur Gentis,noſtriq́ ignauia ſecli.
Tempus adeſt,quo regna velit Deus iſta repoſci,
Et certam promittat opem: te maxime Paſtor,
Te res iſta vocat,bella his agitata diebus,
Maius ad hoc fuerint quædam præludia bellum:
Hùc aures,hùc verte oculos,hùc omnia transfer
Conſilia:Europæ vires cogentur in vnum,
Sarmatici reges,Cymbri,vetereſq́ Britanni,
Pannonij, & quot ſunt populi ſub Cæſare, Galli,
Hiſpaniq́ ruent,omnes tua ſigna ſequentur:
Audio iam lituos,audit iam claſsica pontus
Terraq́,& armorum ſtrepitu tonat vndiq́ cælum.
Dum loquor extremis mundi mihi venit ab oris,
Fama canens tali Chriſto inſpirante Iacobum,
Scotorum regem ſe deuouiſſe labori:
Vt Fabij quondam ſe deuouêre trecenti.
Audio & Auguſtum ſimili pietate moueri,
Et cupere in Turcas totas effundere vires.
Audio Franciſcum Romæ vexilla ferentem,
Gonzagam Franciſcum inquam,qui regnat in armis
Auſonijs,talem dudum ſperare palæſtram.
Betica Fernandus domitis qui littora Mauris
Aſſeruit,Lybicas bellum tranſmiſit ad oras,
Chriſtigenis parcens,Getulica fulminat arua,
Et premit infidos Numidas,nec tempora perdit,
Cernis vt in bellum hoc ſint inclinata tuorum
Pectora? ſe ſiſtunt nondum à præcone vocati.
Hæc tria quàm primùm fœlici abſolueris aſtro,

Abſolues etenim ſi te collegeris, & ſi
Spiritus ingenii tuus aſſurrexerit auſu,
Vertice frondoſo quercus tua ſydera tanget,
Et feret æternum nomen ſublimior omni
Arbore, & in totum ſua brachia porriget orbem.
Tempus erit, quando propter tot fortiter acta
Poſteritas tibi ſacra ferent, & habebere Diuûm
Primus apud populos, votiſq; vocaberis olim.
Hercule maior erit, maior tua gloria Baccho,
Maior Alexandro, Romano Cæſare maior.
Iſti etenim quanquam victricia ſigna per orbem
Tranſtulerint, tamen ad cultum mortalia corda
Non traxêre Dei, nec pro pietate tulerunt
Arma, ſed inuentos tanti fluxêre labores.
O vtinam me fata dies patiantur in illos
Viuere, & hos noſtræ gentis ſpectare triumphos:
Atq; tuas noſtro complecti carmine laudes.
Viue igitur, nec te faciat ſocordia lentum.
Immemorémue tui, præclara negocia ſecum
Immortale ferunt decus, æternamq; ſalutem.

EIVS-

EIVSDEM EX TRAGOEDIA quæ dicitur Atila.

Chorus.

PErditam gentem,ſtygiumq́; vulgus,
Cui Deus venter,Venus,& libido
Aeris,& fulua rabies moneta
Quis ferat vnquam?
Mitius nigro Rhadamantus Orco
Imperat,nec tam truculenter vmbras
Vexat infernas,minus inquieta
Fulminat ira.
Venit externis furor hic ab oris,
Et velut grando per inane ventis
Pulſa Rhiphæis,pecus,& virentes
Obruit agros.
Et niſi ſummus Latio relicto
Ad Padi ripas veniens Sacerdos
Arma frænaſſet,penitus ruebant
Oppida & vrbes.
Peſtilens iſtud genus, & malignum
Aeſtimat quicquid facit eſſe ſanctum,
Seq; ait niti licitè,& Tonantis
Eſſe flagellum.
Iſte tam largus fauor imputatur
Cœlites vobis,odioſa gens hæc
Barbaros omnes,Italosq́; in omni
Crimine vincit.

Conteri

Conteri noſtris potiùs flagellis
Debuit tanto madidus veneno
Hunnus,& noſtris violenter armis
Orbe fugari.
Ergò iam tandem ſuperi precantum
Vocibus veſtras adhibete mentes,
Et ſupernates,Phlegethonte ab iſto,
Ducite ad auras.
Tempus eſt tantas prohibere clades,
Nam ſatis,ſi ſic voluiſtis vllum
Crimen vlciſci,ſcelus expiatum eſt
Sanguine tanto.

BERNARDI MATII Vercelenſis Carmen.

IMpia ſuſtulerat pius omnia ſanguine Chriſtus
Feſta, quibus luſit ſecula priſca Iouis.
Vana ſuperſtitio ſeceſſerat,& bona toto
Relligio verum ſparſerat orbe Deum.
Priſcorum tantùm Faſtorum nomina vt artes
Ingenij ſtabant,hic tamen vſus erat:
Ac veluti cineres tutò haud calcantur inuſti,
Et ſæpè excerpit ſaucia virgo roſas:
Sic quoq; dum præbes picta tectoria linguæ
Naſo,animi poterunt impietate capi.

At pater omnipotens tandem vt cumulatior eſſet
Vera ſalus, nobis prabet & eloquium,
Ecce fluens omni modulamine, ſe quoque vincens,
Naſo alter Faſtos dulcius ore ſonat.
Attamen hic noſter tantò praſtantior extat,
Quantò alios cultus vicerit alma fides.

QVINTIANI CARmen.

Ethnica cùm caderent primos celebrata per annos
Feſta, ferunt menſes ſollicitaſſe Iouem,
An fas, noſtra cadant diruptis nomina Faſtis,
Quæ poſuit doctis Naſo voluminibus.
Tum Deus æternis do nomina veſtra diebus
Quilibet, vt proprio nomine menſis eat,
Noſtra cadent pia feſta, quibus meliora fugatis
Succedent, longis cognita temporibus.
Hoc Baptiſta dabit, quem Mantua gignet. In huius
Carmine, erunt mores in noua feſta noui.
Laurigeras veluti rapuit ſibi Mantua frondes,
Hæc adimet noſtris myſtica numinibus.

BAPTI-

BAPTISTAE MANTVANI CARMELITAE, THEOLOGI: IN LIBROS DE ſacris diebus. Ad Leonem Decimum Pontificem Maximum.

RElligioſa dies redigens in carmina ſacros,
Lectorem moneo (ſi quis tamen iſtius vnquam
Libri lector erit,) ne fortè volumine in iſto
Numina falſa, lares ſtygios, infamia ſacra
Quærat, & ambages, deliramentaq; vatum.
Iuppiter hic nullus, nulla eſt Saturnia Iuno,
Nulla Venus, non ſtupra leges immunda Deorum,
Non habet hic Europa locum: Non filia Solis,
Non Helenæ mater, nec Auerni principis vxor,
Hic habitant. Liber iſte docet quo tramite ad aſtra
Peruenêre illi Heroës, quibus annuit arcem
Aethereram Pater omnipotens, quorum annua feſta
Terrigenæ accenſis faciunt ſolenniter aris.
Nec tanen hoc omneis fas eſt includere Diuos
Carmine, cùm numero careant, inſignia vulgò
Feſta magis, magis illuſtres hæc pagina ſanctos

Continet, & Regis Diuûm qui ſecula fecit
Vltima, depulſis laribus celeberrima facta.
Ergò mihi nec vis, nec mens eſt omnia fandi,
Multaq́; venturis poſt me dicenda relinquo.
Adde quòd ætherei ciues augentur in horas,
Et ſi fortè velis omnes celebrare, futurum eſt.
Totus vt in cultu Diuùm pertranſeat annus.
Quo fit, vt iſte labor ſcribendi extendere ſeſe
Poßit in excreſcens vllo ſine fine volumen:
Hanc igitur nobis ſatis eſt abſoluere partem.
At quia conſuerunt nobis illudere paßim
Iſacidæ cœlo inuiſi, reſecabimus iſto
Illorum figmenta loco. Solennia quando
Nos celebrare vident, feſtiſq́; inſtare diebus,
Audent ſubſanare, rati nos debita ſoli
Sacra Deo libare homini, qui maximus eſſet
Error, & impietas totum damnanda per orbem.
Talia baubantes dictis explodimus iſtis.
Omne bonum ſublime iubet natura quibuſdam
Inſignire modis, certoq́; extollere cultu.
Primus honor ſacrum eſt, prima excellentia, qua non
Eſſe poteſt maior, patris excellentia ſummi eſt:
Ergò hic eius honor, quo teſtificamur ab ipſo,
Quòd ſumus eſſe Deo, quòd viuimus, atq́; mouemur,
Ipſe opifex, nos eius opus, pro talibus ergò
Offerimus meritis illi libamina ſoli.
Alter honor ſunt Pyramides, altaria, templa,
Hymniſonæ laudes: iſtum perſoluere Diuis

Cogimur,illorum mirati ingentia corda,
Magnificamq́ fidem,debellatoſq́ tyrannos:
Talis honor Diuis etiam ſine corpore natis,
Qui lemures auſos regem detrudere Olympo,
More giganteo ſtygias egere ſub vmbras
Redditur,ipſa Deo perſoluimus orgia ſoli.
Miſſa vocant noſtri-vox eſt Hebræa tributum
Significans,ipſum ſacrorum in fine ſacerdos
Nominat,& populum ſacro iubet ire peracto:
Et quia Diuorum damnant ſimulachra,loquendum
Et ſuper hoc aliquid:Moſes cùm regna videret,
Omnia ſacrilego Ditis putreſcere cultu,
Ne ſua plebs,quæ tunc erat imbecilla rudiſq́
Declinaret ad hunc morem vanum,atq́ pudendum:
Nam nec adhuc erat improbitas patefacta Deorum,
Damnauit ſtatuas,picturæ,& marmoris vſum
Suſtulit è templis,& multicoloria ſigna:
Nunc autem poſtquàm penitùs natura Satanum
Cognita,& antiqua ſine maieſtate relicta eſt,
Nulla ferunt nobis ſtatuæ diſcrimina,nullos
Fert pictura dolos,iam ſunt innoxia ſigna,
Sunt modò virtutum teſtes,monimentaq́ laudum
Marmora,& æternæ decora immortalia famæ.
Roma triumphales etiam modo ſuſpicit arcus,
In quibus apparet probitas antiqua virorum:
Sic colitur virtus,honor hic eſt debitus illi.
At quoniam genus Hebræum memorabile ſolis
Cladibus & lucris damnatum infamibus omni

Laude caret, titulos odit, monimentaq́; damnat.
Id nec omittendum, quòd dijs regnantibus olim
Moris erat Faſtis ius exercere diebus,
Quodq́; dies Iuris vacuos dixêre nefaſtos.
Nos verò ad ritus alios traduximus annum,
Priſcaq́; nominibus ceßêre vocabula noſtris:
Nam dicenda dies veniunt ad iura profeſti,
Sacra damus feſtis, fora iudicialia ponunt
Murmura, & occluſis foribus trahit ocia Prætor.
Tunc nos templa vocant, tunc indulgêre Tonanti
Tempus, & ingenium ſacris impendere rebus.
Hoc igitur Diuis mare perſuadentibus intrat
Noſtra ratis, date fœlices ad veſtra volanti
Littora, per ſcopulos & per vada cærula curſus
Cælicolæ magni, nec nos dum quærimus aſtra
Ire ſub infernæ ſtygis antra obſcura ſinatis.

DE HEBDOMADIBVS & diebus.

SEd tamen hebdomadas breuiter tractare, diesq́;
Ante opus eſt, quàm feſta manus ad ſingula vertã.
Cæſar, vt in menſes diuiſit Iulius annos,
Ordine ſic alio partitus tempora Chriſtus,
Traxit in hebdomadas menſes, habet hebdomada aũt
Vna, dies ſeptem: Tamen obſeruantia venit
Talis ab Hebræis, quibus hoc quoq́; tempore ſemper
Septima lux eſt ſacra Deo: nam dicitur olim

Sex

Sex opus hoc tantum Deus abſoluiſſe diebus.
Septima lux expers operis fuit, atq; recepit
A requie nomen, ſed nos Titana ſequentem
Tradidimus Chriſto, quia tunc rediuiuus ab orco
Venit agens longo ſquallentem carcere turbam.
Ogdoas hinc oritur, nam lux octaua recepit
Septima, quem longo cultum perceperat æuo.
Prima dies Diuini operis, qua condita lux eſt,
Eſt ea qua Chriſtus victo ſurrexit Auerno,
Et tulit in lucem fuerant qui nocte ſepulti
Tænaria, antiquos manes, tunc fulſit in omnes
Lux animas, priſcæ legis, quæ ſolueret omne
Credentum de mente chaos, quæ oſtenderet orbem
Aetherium, populis vbi læta fidelibus arua:
Sic antiqua nouis cedunt, ſic priſca faceſſunt
Sabbatha, cumq; nouo fiunt noua ſecula ritu:
At veluti redeunt conuerſo ſabbatha gyro
Sic Domino ſacrata dies ſine fine recurrit
Semper, vt hebdomadis curſus compleuerit orbem,
Rurſus init dictam Domini de nomine lucem.
Noſtra Deo primam lucem, Iudæa ſupremam
Hebdomadam impartit, quia prima, & maxima noſtris
Cura Dei, Hebræis, vel nulla, vel vltima ſemper.

DE NOMINIBVS dierum.

VT meus euadat labor hic fœlicior, addam
Hic obiter, quæ ſit nomenclatura dierum.
Et ſi forſan in his rudis, illepidusq́ videbor,
Da veniam quicunq́ legis, res ipſa leporis
Impatiens, negat ornari, contenta doceri:
Prima dies ergò geniti celeberrima mundi
A Domino cognomen habet, quia morte perempta
Ipſa reſurgentem vidit de funere Chriſtum:
Conſtantinus enim (tam relligioſa ferebat
Corda) diem tali decorauit nomine ſanctam,
Quinq́ dies alij quanquam ceſſare labores
Non faciant nomen tenuere quietis, & oci:
Nam quamuis operum ſudent ſub mole, vocantur
Feriæ, & ipſarum numeris oſtenditur ordo
Forſan, id eſt cunctis nomen commune diebus,
Quod nobis ſit iuge ſacrum velut eſſe ſolebat
Hebræis, feſtiq́ aliquid ſibi vendicet vna
Quæq́ dies, dum depoſitis ad templa fideles
Aßiduè veniunt, operis vitalia liba
Viſuri, & calices iunctis ad pectora palmis:
Quòd ſi nunc mos iſte manet, quid tempore priſco,
Cùm pietas noua florebat, quid credimus actum
A patribus, qui corda fide inflammata ferebant?
Ergò dies veluti quaſdam, quibus ibat ad aras
Victima, ſignarunt tali cognomine gentes

Sic

Sic noſtri, quia quottidie libare ſolebant,
Omnibus hunc patres titulum fecêre diebus.
Septima ab Hebræis ſabbat, à gente Latina
Appellata quies, ideò, quòd vt antè relatum eſt,
Omnipotens facto genitor requieuerit orbe.
Hæc quoq; Saturni poſſet cognomina ferre,
Prima quod ipſius (ſtellis ſi credimus) hora
Dicitur Erronis primi, cui nomen in oris
Auſoniæ Saturnus erat, mandata ſubire.
Altera lux nomen cauſa Titanis eadem
Induit, inſtabilis Lunæ lux tertia, Martis
Quarta, Dei pedibus qui fert Talaria, quinta,
Sexta Iouis, poſtrema Deæ, quæ nata profundo eſt.
Sic igitur primæ partis dominator in ipſam
Nomina transfundit lucem, quæ ſolis ab ortu
Surgit, & it ſolis rurſum redeuntis ad ortum:
Hæc vt i nota magis tibi ſint, ſtudioſiùs audi.
Illius Erronis lucem qui nominat, horam
Eſſe memor primam, da ſuccedentibus aſtris
Ordine quem retinent orbes vbi ſydera fulgent.
Quæ ſuperant horas, neu decipiare caueto:
Nec ſemel id feciſſe ſat eſt, quoniam vaga non ſunt
Sydera tot, quot lux horas habet vna, reuertens
Sæpius hoc facito, donec perueneris horam
Lucis ad extremam, mox ad primordia ſolis
Alterius tranſi, ſtellam migraſſe ſequentem
Inuenies illuc, primoq; in limine fixam.
Lex agit iſta dies, ſtellis errantibus ordo

Eſt alius: Saturnus enim conſedit in alto
Aethere ſtellati propter confinia mundi.
Iuppiter accepit ſedem ſub patre ſecundam:
Sub Ioue Mars, ſub Marte diem qui ducit Apollo.
Quintà Venus, Sextum retinet Cyllenius orbem.
Vltima veloci curſu vaga Cynthia, vultu
Inſtabili ſemper, ſine nubis imagine nunquam
Significat, quæ ſit rebus natura caducis.
Taliaq; à noſtro traxit contagia mundo:
Hinc fit, vt errones imitari Muſica credas,
Cùm ſubitò ſaliunt in quartam carmina vocem:
Ab Ioue namq; Venus quarta eſt, ſi ſydera cernas,
Cerne dies, facto iungunt confinia ſaltu,
Lux etenim Veneris Iouis eſt contermina luci.
Nec graue ſit veterum nobis audire Deorum
Nomina, quæ ſtellis, quæ ſunt conceſſa diebus,
Vt Iouis, & Martis: nam poſtquàm facta bonarum
Nomina ſunt rerum, vim depoſuère nocendi,
Vt nepa ſi cuſpis caudæ reſecetur adunca.

QVAEDAM DE NATVra ſolenniorum.

HIc etiam memorare decet ſolennia quædam
Officio laudum, quas decantare miniſtri
Sacrorum aſſiduè, tacitisve recurrere verbis
Sunt ſoliti, prorſus ſeſe contenta fateri,
Quædam aliud poſcunt, operam ceſſare per vrbes,

Et

Et per rura volunt ſtudijs inimica prophanis,
Sunt quædam ex iſtis ſua quæ protendere in octo
Vſq; dies faciant laudum præconia, quanquam
Publica non faciant ceſſare negotia tantum.
Horum etiam ſunt, quæ ſolùm noctemq; diemq;
Expertes operum reddant, nec tendere curent
Vlterius: ſunt quæ noſtros ceſſare labores
Pluribus, & genium iubeant regnare diebus.
Ex his prima damus nato ſine patre Tonanti,
Cui Stephanus, cui coniungit ſua feſta Ioannes,
Funeraq; infantes plus quàm crudelia paſſi.
Hîc etiam monuiſſe decet primordia feſtum
Sumere ab occaſu Solis, quando Heſperus exit,
Et cum ſole iterum tenebris occumbere obortis:
Namq; dies feſtos vna inchoat, altera finit
Veſpera, ſed vento tempus dare vela ſecundo,
Et celeri curſu per ſingula feſta volandum.

DE CIRCVNCISIONE.

CHriſtigenæ regale genus, regalia feſta
Aduenêre, togas opus eſt proferre nitentes,
Atq; ſimul pompis ad templa frequentibus ire.
Exornate lares, longo torrete ſuilla
Exta veru, genio licet indulgere, propinquis
Mittite dona, inopes, vt eant communia totum
Gaudia per vulgus, menſis paſcantur opimis,
Vos locuples aperite penu, quibus horrea plena,

Aere graues loculi, varia quibus alite chortes
Manè fremunt, quibus in ſtabulis armenta gregesq́;
Huc conferte dapes, quicquid dederitis egeno,
Fœnore centuplici reddet Deus. Ecce per agros
Quanta ſeges, dum tu dormis tibi terra laborat.
Et Deus infundit campis per ſydera tanquam
Per ſpeculas quaſdam cœli de limine fruges.
Prima dies noſtri (ſaluete) renaſcitur anni,
Quæ tamen eſt octaua Dei lactentis ab ortu.
Cùm pluit infantis primum genitale cruorem
More ſuæ gentis, quæ circuncidere natos,
Et nudare ſolet teneram velamine glandem.
Nam Deus Hebræam cupiens diſtinguere gentem
Gentibus à reliquis, primorem ſeminis eius
Compulit Abramum ſaxo præcidere acuto,
Vt lex priſca docet, ſupremi colis amictum.
Hoc inſigne tulit Pater, hæc inſignia Natis
Tradidit, & docuit ſic inſignire nepotes.
Tum quoq; Iudæa veniens ab origine Ieſus,
Nomen adoratu dignum, venerabile, ſanctum
Diuinæ impoſitum ſoboli (ſotera per vrbes
Significat Graias, Itali dixêre ſalutem,
Siue ſalutiferum, quæ congrua nomina, magno
Vltima ſaluatum venit qui ſecula Chriſto.
Prima dies Iani tanto ſplendore coruſcat.
Ianus enim primo feciſſe vocabula menſi
Dicitur à priſcis, ſed qua de gente vel vndè
Venerit, hoc noſtro nondum cognoſcitur æuo.

Propterea ſuper hoc aliquid memorabile fandum.
Ianus hic vt perhibent clara de ſtirpe Gigantum
Maximus ille fuit Noë, qui ſecula Pyrrhæ
Deucalioneos fluctus præceßit, & vndas
Ogygias, tantum nobis antiquior ille eſt.
Iſte igitur, quando terras abſorbuit ingens
Alluuies, monitu Diuûm recluſus in alto
Nauigio, cum prole ſua ſe credidit Auſtro.
Aſt vbi iam poſito tumidum mare concidit æſtu,
Suppleuit genus humanum, mißisq́; colonis
Ad triplicis mundi fines, extremaq́; regna,
Per mare Tyrrhenum vectus Tyberina petiuit
Hoſtia, & aſcendens vbi nunc eſt Roma, locauit
Thybridis ad ripas Etruſco in colle penates.
Et poſt fata ſui collem menſemq́; reliquit
Nominis hæredes, quod non abolebitur vnquam.
Ianus ei cognomen erat de nomine tractum
Aßyrio Iain, Vinum dixêre Latini.
Ipſe etenim primus vitis viniq́; repertor
Fertur, & id talis nomenclatura docebat.
Sed Iainum primi, qui rectiùs illa ſonabant,
Nomina dixerunt, mox litera tertia priſco
Pulſa loco, fecit fraudato nomine Ianum.
Fingitur eſſe biceps, quoniam duo ſecula vidit,
Vnum quod pluuijs auctum mare ſuſtulit, vnum
Quod ſucceßit aquis, atq; hac ab origine fluxit.
His quæ de Iano canimus facit inclyta magnam
Fama fidem: memorant etenim ſub principe Iano

Aequorea primùm ſignata numiſmata puppi:
Iſta fuit puppis, quæ de fatalibus vndis
Eripuit terreſtre genus, ſobolemq́; volantum.
Sed falluntur in his, quia non nouêre parentum
Primorum annales Danai, veteresq́; Latini.
Sancte ſenex igitur nobis fœliciter annos
Exordire. Puer ſupremi conditor æui
Eſto tuæ genti, noſtroq́; ſalutifer æuo.

DE S. BASILIO.

HAec eadem ſacrata dies tibi Magne Baſili,
Atq; tuum primæ celebrant natale Calendæ,
Sed quia cedendum Dominis maioribus, illinc
Te trahis, & transfers in idonea tẽpora, iuxta
Diuerſos hominum mores, vſumq́; locorum,
In tua decurrit Graiûm ſapientia fluxu
Corda redundanti, ſicut decurrere noſtrum
In mare conſueuit magnis Athlanticus vndis
Oceanus, ſeſeq́; amplum diffudit in æquor.
Nec fuit ambarum diuina ſcientia legum
In te larga minus, nec Graiæ copia linguæ
Pauperior, tua relligio quaſi vinea denſis
Palmitibus fruticans, longè lateq́; per orbem
Eſt vulgata, latens in Cæſarienſibus agris
Trans Phryges & Galatas, & trans Bebrycia regna,
Heſperiæ populis procul apparebat & Indis:
Rumor hic à Lybicis traxit regionibus Efren,

Inſignem

Inſignem probitate virum. Deſerta reliquit,
In quibus à teneris æuum tranſegerat annis.
Ad ſpectanda tuæ venit miracula vitæ
Iam ſenior, tecumq́; loquens exire videbat
Ex labris accenſa tuis atq; ignea verba.
Iſte domi motus laudum rumore tuarum,
Orauit per ſignum aliquod ſe illuſtre doceri,
Quantus apud ſuperos eſſes, cui nomen apud nos
Tantum fama dabat paßim, viditq́; Columnæ
In ſpeciem, dum nox claris incenderet aſtris,
Ingentem flammam ad cœlum caput vſq; ferentem,
Et ſimul audiuit vocem quæ à ſydere labi
Viſa per aurarum tractus, verba iſta ſonantem:
Talis apud ſuperos virtus ac tanta Baſili eſt,
Hæreticis: at præcipuè quos fecerat impos
Cordis, & obſcuræ mentis torpedine captus
Arrius, impugnator atrox, ac malleus ingens
Semper erat, iuuenem qui cæco illuſus amore
Tradiderat ſeſe Plutoni, & ſanguine demens,
Ipſe ſuo ſeruum ſtygio ſe ſcripſerat orco
Aſſeruit, populo inſolitum ſpectante duellum:
Nam pater hinc prenſo Iuuenem rhenone trahebat,
Inde lemur, longo tandem certamine victus,
Cum ſtridore graui fugit per nubila Dæmon.
Sæpè Valens, qui tunc extinctis fratribus omne
Romanum ſine conſortis formidine agebat
Imperium, dum vult hominem proſcribere, fractis
Eluſus calamis, tandem crudele reliquit

Offi-

Officium, cùm niti odio ſe vidit inani.
Vita viro, cùm mox eſſet moriturus, in vnam
Eſt producta diem, quo natum ſemine gentis
Hebraicæ, medicum, ſacra perfunderet vnda.
Ipſe ſuis manibus, dictu mirabile, poſtquam
Huic ſatis officio factum, diſceßit in auras
Spiritus, & clauſo requierunt viſcera ſenſu.
Cæſariæ, paſtor ſanctiſsime, porrige dextram
His animæ clauſæ in tenebris, & carcere cæco.
Et veluti quondam nurui peccata remiſit
Te impetrante Deus, ſic te impetrante dolores
Auferat & noſtros, & noſtra piacula ſoluat.

DE DVOBVS MACARIIS.

MAcarios (vt fama) duos Aegyptia tellus
Progenuit vita inſignes, ac nomine claros.
Dijs ſtygijs ambo infeſti, veterumq; Deorum
Coniurati hoſtes. Primus Sitæa per arua
Vixit, & inuento, vacuos dum permeat agros,
Verticis humani cranio, veſtigia fixit,
Atq; ait: O quiſquis caput iſtud inane ferebas
Tempore mortalis vitæ, per maxima patris,
Per nati, & Flatus ſancti te numina iuro,
Quæ fuerit tua ſors doceas, dum vita manebat,
Quæ modò ſit, quando es membris, & corpore functus.
Illa nihil cunctata ſonos erupit in iſtos.
Centurio Romanus eram Ioue principe, nunc me

Orcus

Orcus habet, tantùm penetrans in viſcera terræ,
Aethereis quantum tellus diſcedit ab aſtris,
Sub nobis genus Hebræum eſt, gens infima verò
Chriſtigenæ, mores qui non tenuêre parentum.
Vmbra viro tales dedit adiurata loquelas.
Tempore pòſt paruo deſerta per auia eunti
Occurrit Lemur ampullis pendentibus extra
Pertuſæ chlamidis rimas circum vndiq; onuſtus,
Et percunctanti quid tot ſibi vitrea vellent
Vaſcula, reſpondit monachis ſe pharmaca ferre,
Pharmaca ſunt curæ, quæ nos vti dulcia primùm
Pocula delectant, ſed mox in toxica verſæ
Nos cruciant, ſic præda ſumus fallacibus vmbris
Vndiq; de nobis ita gens lethæa triumphat:
Talibus excellens ſignis iam grandior æuo
Occubuit primi menſis Titane ſecundo
Illuſtrante breui frigentia rura volatu.

DE ALTERO MACARIO.

ALter ab Antoni fruticans radicibus altum
Creuit, & vmbroſas porrexit in aëra frondes.
Incola Thebaidos fuit exanimumq; cadauer
Rettulit in vitam, nam cùm defendere ſanctam
Neſciret ſermone fidem, confugit ad iſtud
Argumentum ingens, ad quod contabuit hoſtis.
Neſcio quem dubio confectum vulnere quando
Morte obita iam corpus erat ſine ſanguine, fecit

Ore loqui, ſontis pœnas ne incurreret inſons.
Cùm fraudata ſua ſic eſſet imagine virgo,
Mercurij technis vt equam pater eſſe putaret,
Saluifico Chriſti mendacem nomine formam
Suſtulit, & veterem fecit prodire figuram.
Singula ſi pergam numero comprendere longas
Ibit in ambages ſermo prolixior æquo.
Quindecies Ianus reuocarat ab æquore ſolem,
Cùm ſenio fractus diſceſſit in æthera longo.

DE EPIPHANIA.

SExta dies ſplendore Magos gradiente per altum
Aëra, deducens toti ſpectacula mundo
Admiranda tulit, gentes ad ſydera verſis
Attonitæ ſtabant oculis, ſolemq́; putabant
Aduentaſſe nouum, qui non, quia nocte dieq́;
Spargebat latè radios, occumberet vnquam.
Stella nouo fulgore ardens veniebat ab ortu
Trans Tigrim, trans Euphratem, Babylona volando
Vidit, & Armenios dextra, læuaq́; relinquens
Thuriferos Arabes Syriæ bipatentibus alis
Ingruit, & tali votis famulata Magorum
Officio, nati ſtetit ad præſepia Chriſti.
Nec reges vt opinor erant, nec enim tacuiſſent
Hiſtoriæ ſacræ autores genus iſtud honoris,
Inter mortales quo non ſublimius vllum.
Adde quòd Herodes, vt magnificentia regum

Poſtu-

Poſtulat, hoſpitibus tantis regale dediſſet
Hoſpitium, ſecumq́; lares duxiſſet in amplos.
Ille penes Perſas magus eſt, qui ſydera norit,
Qui ſciat herbarum vires, cultumq́; Deorum,
Perſepoli facit iſta magos prudentia triplex.
Adiungunt pleriq́; licet ſit credere vanum,
Eſſe opus ex natis illos, & matribus ortos.
Hi moniti patrum libris, de ſemine gentis
Iudaicæ venturum hominem, qui regna per omnes
Porrigeret populos, orituraq́; ſydera eodem
Tempore, quæ indicium nati patriæq́; domusq́;
Mobilibus radijs facerent: in montibus altis
Peruigiles noctu cœlum obſeruare ſolebant,
Vt videre ignes, Chriſto naſcente, ſubortos,
Corripuêre viam Regi tria dona ferentes:
Hæc tria ſunt, aurum fulgens regale metallum,
Thus redolens, quo feſta ſolet decorare ſacerdos,
Myrrhaq́; qua tumulo tradenda cadauera inungunt.
Sic magus à prima monſtrauit origine, quòd rex
Chriſtus erat, quòd mortalis, ſummusq́; ſacerdos.
Sunt qui luce velint iſta primordia ſignis
Tradita mirificis, dum connubialia feſta
Exhilarans Chriſtus laticem mutauit Iaccho.
Iſta dies rurſum cœlo labente reuerſa,
Ad Iordanis aquas Chriſtum conſiſtere vidit,
Cùm pater audito per cœlum murmure Chriſtum
Eſſe ſuam docuit prolem, cùm ſanctus apertis
Spiritus ablutum ſupra caput aſtitit alis.

Hæc Epiphaniam Graij ſolennia dicunt,
Quòd diuina prius ſoboles incognita nobis
Claruit, & tribus his facta eſt celeberrima cauſis.
Pauca loquar contra Solymos, contra impia corda
Leuigenum, quò conſtet eos de tempore Chriſti
Nobiſcum ſenſiſſe, licet modò turpiter errent
Cùm veniſſe negant, paucis memorabimus ergò
Hiſtoriam, cuius noſter Suetonius author.
Cùm regeret terrarum olim Nero Claudius orbem,
Rumor ab Hebræis oriens peruaſerat omnem
Latè Aſiam, penetrans vltrà Gangetica regna,
Iudæa de gente virum Mauorte potentem
Venturum ſubitò, terras qui cogeret omnes
Ferre nouas, permutato rerum ordine, leges.
Rumor hic implêrat gentes, totoq; oriente
Fama volans in ſpem populos adduxerat iſtam.
Iſta fides Iudæûm animis ſic hæſerat, vt nil
Romanum imperium veriti, contemnere gentem
Auſoniam fuerint auſi, probriſq; Latinos
Irritare duces ſtrictoq; inuadere ferro.
Propterea Nero rex indignabundus, & ira
Percitus ardenti, magno molimine bellum,
Quo genus id toto penitùs depelleret orbe,
Miſit in Aſſyriam. Tum latè efferbuit æquor
Claſſe noua. Cum patre Titus noua claſſica fecit
Clangere per Prothei fluctus, per Agenoris oras.
Talia veridico memorat Suetonius ore.
Iſte furor tantus, tanta hæc audacia mouit

Iudæo-

Iudæorum animos, quia tunc inſtare videbant
Tempora pacifici multum expectata Meſiæ.
Credebant ad ſe imperium deſcendere, & orbis
Terrarum ſe rectores, dominosq́ futuros.
Non aliter ſe Romanis opponere vulgus
Præſumſiſſet iners, neq; plebs ingloria contra
Cæſaream maieſtatem fruſtrà arma leuaſſet.
Hæc igitur communis erat ſententia genti
Apparere dies Chriſtum debere per illos,
Sed deluſa fuit, quia quanquam venerit, vt nos
Aſſerimus, non arma tamen regalia ſecum,
Non adduxit equos, neq; murice fulſit, & auro,
Vt fore credebant. Tenui veſtitus amictu,
Atq; gerens perſonam inopis per rura per vrbes
Iuit, & ex oculis vt quædam euanuit vmbra.
Et nunc aduentus Chriſti tranſiſſe fatentur
Tempora iam pridem, ſed quòd non venerit (aiunt)
Eſſe ſuæ gentis ſcelera infelicia cauſam.
O genus inſipiens vndè hæc aoraſia fluxit?
Veſtra videns errata, Deus ſi mittere Chriſtum
Inſtituit, cur non miſit? ſi mittere forſan
Non ſtatuit, quare aduentus prædicere tempus
Veridicum fecit veſtro de ſanguine vatem?
O cæcas omninò animas, peccata volentem
Tollere, & errores noſtros diſſoluere fingunt
Effugiſſe hominum ſordes, quæ amentia maior
Eſſe poteſt, quàm nugari ſanare potentem
Omne genus morbi medicum languoribus ipſis

 Offenſum

Offenſum non velle ægros inuiſere natos?
Infantem nouére Magi, Iudæa loquentem
Non cognouit, erat curis abſorpta profanis
Funditus, atq; graui ſomno reſoluta iacebat.
Felices ſaluete Magi, qui clara ſecuti
Sydera, vidiſtis puerum, qui ſydera fecit:
Sic vtinam nobis ſeſe poſt fata videndum
Præbeat, & greſſus noſtros in ſydera ducat.

DE S. PAVLO, PRIMO Eremita.

SIcut erat celebris cultu, numeroq; Deorum
Cùm Iouis imperium ſtabat, Nilotica tellus:
Sic vbi terreſtres cœlo deſcendit ad oras
Expectata ſalus, patribus fuit inclyta ſanctis,
Qui Nitriotarum campos, Scytæaq; rura,
Thebaidosq; caſas loca deſolata colebant.
Nam cùm Cæſarei gens ſanguinolenta tyranni
Prædarentur oues Chriſti, nullasq; liceret
Chriſtigenis habitare vrbes, impunè ferarum
Conſortes facti, fines tenuêre ſupremos
Orbis, & arentes Cancri feruentis arenas.
Primus ad hos (vt fama) locos veſtigia vertit
Sub Decio Paulus, cùm iam vigeſimus iſſet
Annus, & æſtates illuc incognitus egit,
Treis noniesq; decem, propter vada vitrea fontis,
Cui ſuper extentis faciens vmbracula ramis,

Palma homini tanquam nutrix, alimenta ferebat.
Ipſe etiam tunicas de frondibus arboris eius
Texere, & ambuſtos artus veſtire ſolebat,
Atq; famem patiens vſq; ad ſurgentia noctis
Sydera, ſoluebat tenui ieiunia menſa:
Nox vt in occaſum ſummam inclinauerat vmbram,
Ex tepida ſurgebat humo, ſeptemq; triones
Non procul à terris motu reptare videbat
Tardigrado, lentoq; polum circundare gyro.
Tunc animo procul à curis terreſtribus acto
Diuertebat apud ſuperos, vbi dulcia tempe,
Et ſyncera quies, & conſummata voluptas,
Tum Deus in ſenſus illabebatur & ora,
Diuinasq; canens vſq; ad Titania laudes
Lumina, cæleſti totus languebat amore.
Conſimili pietate calens Antonius arua
Sole ſub hyberno dum per deſerta vagatur,
Inuenit ſenis hoſpitium, paruosq; penates.
Tum ſolitus Paulo Cererem deferre per auras
Quottidie, victus inopis plus attulit ergò
Hoſpitis Antoni, poſuitq; in limine, Coruus.
Coruus enim, vel fortè aliquis ſub imagine Corui
Angelus, vt naſci ſtellas vidiſſet ab ortu,
Ignotis epulas homini portabat ab oris.
Tum ſua diuinans ſibi fata incumbere Paulus,
Atq; volens ſine teſte mori, venerabilis hoſpes
Vade precor, dixit, nec te mora tardet, & affer
Quas tibi donauit tunicas Athanaſius olim.

Nam mox vt fuero functus vitalibus auris,
His Deus inuolui mandat mea frigida membra,
Atq; ſub egeſtas mecum deſcendere arenas.
Ille volans abijt, rediensq; agnouit in aura
Pauli animam per iter Diuos ſublime petentem,
Atq; ait: Ah ſic me fraudas pater, atq; relinquis?
Ibo tamen, tua ſancta iterum ſaltem ora videbo.
Iuit, & extincti dum ſe inclinaret ad ora,
Cum gemitu lachrymans lamentabatur amaro.
Patris ad hoſpitium ſoliti diuertere quondam
Dum viuebat, humo duris (res mira) leones
Vnguibus egeſta iuſtum fodere ſepulchrum,
Non ſecùs ac ſi nota viri menſura fuiſſet.
Nec minus eſt mirum quòd ad illatabile buſtum
Iuerunt pleraq; feræ, quæ tempore longo
Cum ſene verſatæ fuerant, viſaq; iacentem
Deplorare virum, duris odioſa tyrannis
Simplicitas potuit mollire animantia bruta.
Mox igitur tunicis, quas apportauerat artus
Implicitos ſuperinfuſis tumulauit arenis,
Iam gelidi decimo Iani Titane reuerſo.

DE S. HILARIO.

HIc quoq; natalis tuus eſt memorandus Hilari,
Tertia poſt decimum Iani cùm frigida tellus
Sub niue dormiret, te lux aſcendere ad aſtra
Vidit, & ingenti ſuperos occurrere pompa.

Tu in terris poſitus membris mortalibus alto
Verſabare polo, votis rapientibus illuc
Ingenium, mentem, atq; animum, poterasq; putari,
Etſi viuus eras functus iam corpore, & arces
Aetherias habitare inter tot millia Diuûm.
Integritas vitæ, legum prudentia, cultus
Cœlituum, tutela inopum, diadema, pedumq;
Victauienſe tibi, dum nil mortalia curas,
Dum viuis tibi ſorte tua contentus, ab omni
Ambitione procul, populo applaudente tulerunt.
Non nocuit tibi progenies, non obſtitit vxor
Legitimo coniuncta thoro, non horruit illa
Tempeſtate Deus thalamos, cunabula, tædas,
Sola erat in precio, quæ nunc incognita virtus
Sordet, & attrito viuit cum plebe cucullo.
Propterea leges quæ ſunt connubia contrà
Eſſe malas quidam perhibent, prudentia patrum
Non ſatis aduertit, dicunt, quid ferre recuſet,
Quid valeat natura pati, ceruicibus, aiunt,
Hoc inſuaue iugum noſtris imponere Chriſtus
Noluit, iſtud onus quod adhuc quàm plurima monſtra
Fecit, ab audaci, dicunt, pietate repertum.
Tutius eſſe volunt, qua lex diuina ſinebat
Iſſe via, veterumq; ſequi veſtigia patrum,
Quorum vita fuit melior cum coniuge, quàm nunc
Noſtra ſit, excluſis thalamis, & coniugis vſu.
Adiungunt etiam primi ieiunia veris,
Quæ niſi ſint ſeruata, volunt nos ire ſub orcum.

Aſpice quàm duris (aiunt) frenata capiſtris
Gens electa fuit, lex Chriſti æterna, nec vnquam
Ceſſatura, ſinus (dicunt) ſine tendat in amplos,
Vt ſit conueniens, habilisq́, & idonea toti
Humano generi, non importuna ſenectæ,
Non oneroſa inopi, non importabilis ægro:
Adijciunt populis habitandam pluribus vrbem
Non eſſe anguſtis claudendam mœnibus, arcto
Conuenit eſuriens (aiunt) plebecula clauſtro.
Hebræûm gens qualis erat, quam limite paruo
Legifer incluſit, grauiumq́ indagine legum.
Illud onus Chriſtum dicunt minuiſſe, ſuisq́
Indulſiſſe. Sed hac Chriſti indulgentia viſa eſt
(Vt memorant) laxata nimis ſapientibus iſtis,
Qui legem ſtultè ex placida fecêre moleſtam.
Duriciem verò legis ſatis arguit, aiunt,
Prouida poſteritas, ſtudijs exercita ſacris,
Quæ maiorem hominum partem de Syrtibus iſtis
Subtrahit, & pelago functam pronunciat iſto,
Non iuuenes donec ceſſent adoleſcere, & ægros
Excipiunt, ſenioq́ graues, & quos labor haurit
Aßiduus, fabros, & qui ſub pondere ſudant
Vomeris, & raſtri, qui pro mercede locant ſe
Atq́ operas vendunt, & quos fortuna coëgit
Mendicare cibos, quæ turba miſerrima, quiq́
Prægustare ſolent epulas ad prandia regum,
Adde viatores, & quos oneroſa fatigant
Munia, nutrices cunis quæ lactea præbent

Vbera, prægnantes, fœtas, cui debile pectus,
Cui caput infirmum, ſtomachi quos humida crudi
Pituita infeſtat, cauſas numerare quis auſit?
Exclamant, & vti inter ſe quandoq; iocantur,
Theſtylis hanc nimio pultem ſale fecit amaram.
Adde quòd & patres auſi taxare Latinos,
Cauſabantur eos ſtultè, imprudenter, & æquo
Durius ad ritum Romæ voluiſſe Pelaſgos
Cogere, & antiquum tam præcipitanter amorem:
Tam ſtolido temeraſſe auſu, concedere Roma
Debuit aiebant, potiùs quàm rumpere pacem,
Humani quæ iuris erant, modò ſalua maneret
Lex diuina, fides Chriſti, doctrina ſenatus,
Quam primus tulit ore ſuo, quia tradita ab ipſo
Chriſto erat humanæ doctore & lumine vitæ.
Nec curandus erat morem conſenſus in vnum
Vſq; adeò, dicunt, quod perſuadere laborant,
His breuibus dictis: Quiſquis diſcrimine nullo
Vult gentes differre duas, velit ora duorum,
Quod natura nequit, faciem concurrere in vnam.
Vna Dei domus eſt mundus, ſed non tamen vna
Omnibus eſt facies rebus. Circumſpice terras,
Contemplare orbes cœli, diuerſa videbis
Omnia, Saturno facies eſt pallida, Marti
Ignea, reſplendens Veneri, nunc clara Dianæ
Nunc obſcura, Iouis frons eſt affabilis aſtro.
Ipſa quoq; in varias abeunt elementa figuras.
Cerne hominum genus, & pecudes, frigentia cerne

Marmora, quæ Spartæ, Pariјs quæ oriuntur in agris,
Quæ Aegyptus ſecat, ac humidis quæ nauita portat
Dempta iugis, quæ Luna parit, quæ Tybure creſcunt.
Aſpice & Indorum ſparſas per littora gemmas,
Multiplices vocum flexus mirare volucrum,
Diuerſoſq; habitus, & multicoloria terga.
Sic quoq; tam grandi ſub relligione per omnem
Fuſa orbem fas ſit, dicunt, diſcedere Graios
Gentibus à noſtris aliquo diſcrimine legum,
Quas(aiunt) mutare poteſt humana facultas.
Nam leges, quas ipſe tulit Deus eſſe neceſſe eſt
Perpetuas, nec fas homini diſcedere ab illis.
Hæc ideó volui noſtris intexere chartis,
Vt quoties patres, quibus eſt cuſtodia cymbæ
Petridos, à ſummo coëunt paſtore vocati:
Sint memores magno ad leges opus eſſe ferendas
Ingenio, multis oculis examine recto.
Sed quò mente vagor? video, mea longior æquo eſt
Ecbaſis, ad ſancti feſtum redeamus Hilari.
Hic pater à ſuperis caſtum ne forté pudorem
Perderet, obtinuit magno pro munere mortem
Coniugis, immundum Veneris ſic oderat ignem.
Impetrauit idem natæ, quæ nomine dicta eſt
Appia, & ad cælum, quò peruenturus & ipſe
Poſt breue tempus erat, miſit cum matre puellam.
Cura viro munire fidem primaria ſemper
Cùm foret, ex libris armamentaria ſacris
Fecerat, & contra Chriſti ſe armauerat hoſtes,

Præſcr-

Præſertim Arriadas, quorum ſpirabat in orbem
Aura, ferens diram Chriſti per ouilia peſtem.
Sanctum nectar olens doctæ facundia linguæ,
In mentes hominum Chriſti inſpirabat amorem.
Propterea exilium paſſus peruenit in arua
Cincta freto, Ligures inter Cyrnæaq; ſaxa.
At cùm plena forent atris ſerpentibus, acta
In crucis effigiem dextra procul ire coëgit
Mortiferas pecudes, iuſſitq; habitare ſeorſum,
Limite ſignato pulſi (res mira) colubri
Seruauêre patris ſemper confinia ſancti,
Inuenitq; feras, quibus eſt infame venenum,
A pietate minus quàm corda humana remotas.
Audijt infantis ſacro ſine fonte recentem
Emigraſſe animam, vetuitq; à morte teneri.
Nam proſtratus humi iacuiſſe in puluere fertur,
Nec ceſſaſſe Deo lachrymas offerre tepentes,
Donec in exangues artus reuocata lacertos
Protulit, & matri blandis arriſit ocellis.
Tum ſubitò immerſit luſtralem crinibus vndam,
Ne ſine lege iterum fato concederet infans.
Multa quoq; in ſcriptis animi monimenta reliquit,
In quibus effulget diuina ſcientia dulci
Eloquio, & linguæ cultu decorata Latinæ,
Semine tam claro tellus Aquitanica gaudet.
Nos quoq; ſancte pater facias gaudere precamur
Semper in Elyſijs tecum poſt funera campis.

DE

DE S. GREGORIO Nazianzeno.

CAppadocum tellus eſt illuſtrata virorum
Ingenijs, pietate, fide, præconia quorum
Temporibus recitanda ſuis. Nunc maximus ille
Gregorius, cui dat diuina ſcientia tantum
Nomen adeſt, hodie ſacros habiturus honores.
Præſule patre ſatus, nam tunc id iura ſinebant,
Paſtorale pedum geßit, poſt funera patris:
Cùm verò iuuenis quondam veniſſet Athenas,
Et tota ingenuas ſe conuertiſſet ad artes
Mente, ferunt illum nymphas ſub luce diurna
In thalamo vidiſſe duas, neu fortè putaret
Eſſe malos lemures, prior eſt ſic ore locuta:
Ne noſtros trepides vultus, Sapientia nomen
Eſt mihi, nomen habet quæ me comitatur, Honeſtas,
Adſumus vt ſancto tibi coniungamur amore,
Et ſimul æternos tecum viuamus in annos.
Sic igitur factus liber formidine contrà
Mouit in amplexus, & in oſcula mutua greſſum.
Talia de magno quædam finxêre Pelaſgi
Hercule ludentes, & de Scipione Latini.
Quæ verò à priſcis hoc de paſtore feruntur,
Nemo hominum figmenta putet, duo namq; Tonantis
Imperio diui tales iniêre figuras,
Vt iuuenem facerent illis aſſueſcere curis,

Et

Et totam grauibus ſtudijs intendere mentem:
Vel ſimulachra duo, forſan duo dona fuêre,
Virtuteſq; duæ, quas tunc infudit in alta
Corda Deus ſubitò. Quod longi temporis vſu
Quærere mortales, & conſuetudine poſſunt,
Hoc afferre ſolet virtus diuina repentè
Cùm libet, eius enim tanta eſt opulentia, tantus
Eſt theſaurus opum, cauſas vt ſæpè ſecundas
Præueniens, donet bona, quæ ſine fine redundant.
Hoc ego crediderim potiùs, ſapientia namq;
Eius ab ingenio teneris ita fluxit in annis,
Mox vbi cæleſtes formas aſſiſtere vidit,
Vt populis non ſit minus admirabile viſum,
Quàm ſi luciferum Phœbi præcurreret ortus.
Cùm verò in patriam rediens propè Troadis oras
Vela daret, ſubitò Boreas à vertice lapſus
Ingruit antennis, & propulſauit ad vſq;
Littus Abydenum freta per ſalientia pupim.
Territus hoc caſu iuuenis diſſoluit ab omni
Vitæ huius fermento animum, penituſq; recepit
Corde Deum reuocans curas à ſenſibus omnes.
Tum populos farrago omnes Ariana ferebat
In rixas, in bella etiam, liteſq; cruentas.
Gregorius contra peſtem hanc, vt maximus olim
Alcides contra terrarum immania monſtra,
Byzantina tulit fauſtos in mœnia greſſus.
Nam tunc fortè Valens Cæſar deceſſerat, eius
Qui ſectæ defenſor erat dum viueret: Ergò

Opportuna

Opportuna videns operi data tempora ſancto
Iuit, & incepit ſtudijs dare vela, repentè
Fama viri traxit varijs ex gentibus agmen
Diſcipulorum ingens, illic Academica fecit
Gymnaſia, & veteres illuc traduxit Athenas:
Nam quot erant toto orbe viri, qui ſcire profundos
Scripturarum aditus vellent & myſtica ſenſa,
Et Cabaliſtarum latebras, ea littora adibant.
Hieronymum fama eſt illuc veniſſe trilinguem,
Et legis didiciſſe ſub hoc arcana magiſtro.
Ad ſummos igitur breuiter peruenit honores,
Nam patriarchatus ſceptrum, ſanctamq́ cathedram
Eſt largita homini conſenſu Thracia magno.
Dicitur & longo ſacram coluiſſe poëſim
Tempore, & heroo modulatus carmina plectro,
Quæ ſuperant, quibus Aonij dant oſcula vates.
Sed cùm iam ſenio foret incumbente parumper
Segnior effectus, & ſe liuore videret,
Inſidijſq́ peti, patriam repetiuit, & illic
Cùm Ianus gelidas iam perueniſſet ad Idus,
Pacifica tandem migrauit in æthera morte.
Relliquias eius multo pòſt tempore Thraces
Metropolitanam reuocaſſe feruntur in vrbem.
Nunc procul à Graijs vectæ recubare putantur
Quà ſedet in medijs Manto Cadmeia lymphis.

DE

DE S. HONORATO.

PArs Aſiæ verſus Boream Nicomedia patrem
Miſit Honoratum, ſemen regale canendum
Heroæ clangore tubæ, ſed lenta ſenectus
Obſtat, & in tenues cogit deſcendere verſus.
Andronicus puero nomen fuit, vt pueriles
Præteriens annos Chriſti perſenſit odorem,
Continuò figmenta Iouis, veterumq́; Deorum
Poſthabuit, fugitq́; ſuos cum fratre parentes,
Et duce Capraſio veri cultore Tonantis,
Qui nemoris vaſti latebras habitabat, & vmbram,
Ad fontem vitalis aquæ peruenit, & aura
Vectus Hyperborea, Nicomedica regna reliquit,
Naue per Aegæum pelagus peruenit ad Iſthmon,
Naue per Ionium Siculas adnauit ad vrbes.
Poſt tranſmiſſa maris Tuſci vada, naue relicta,
Venit ad excelſum montem, qui nomen ab albo
Accipit argento, ſummoq́; in vertice montis
Proſpiciens noctu lucem, ſe à luce vocari
Credidit, accedens igitur venerabilis antrum
Macrobij ſenis inuenit, quem corpore functum
Poſt biduum magno lachrymans ſepeliuit honore.
Tranſijt Apennini apicem, ſalebroſaq́; ſaxa
Verſus ad Inſubres, ad amœna ſub alpibus arua,
Ad iuga quæ cum tot Pœnorum millibus olim
Annibal aſcendit, teneris inuenit ab annis

Hoc

Hoc iter ad ſuperos, vt ſic mutaret Olympo
Magnanimus Iuuenis ſatis ampla, opulentaq́; regna,
Vt reperiret opes ad quas extendere dextram
Nec mors, nec fortuna poteſt, nec mobile cœlum,
Et fratri cui nomen erat Venantius, acres
Addebat ſtimulos, verbiſq́; animabat ad aſtra.
Cingitur æquoribus noſtris breuis inſula, contrà
Maßiliam, verſus montani flumina Vari
Non procul à terris, Galli dixêre Lirinam,
Inſula deſolata priùs, ſerpentibus atris
Hoſpitium, deuota hydris, vaſtata colubris,
Et ſimili pecudum generi, terra inuia noſtris
Greßibus, & formidandis oppreſſa venenis.
Huc, ope diuina fretus, Nicomedis alumnus
Cum ſocijs venit, quem tanquam incendia diræ
Expauêre feræ. quædam ſubiêre latebras,
Interitu quædam ſubitò iacuêre per agros
Exanimes, quarum nidor teterrimus auras
Inficiens, peſtem vicina per arua ferebat.
Propterea, miſerante Deo, mare creuit, & æſtu
Vndiſono loca percurrens inceſta, venenum
Abſtulit, & zephyrus valles luſtrauit, & agros.
At quia non aderant dulcis ſolatia lymphæ,
Continuò multa riguum prece marmore ab ipſo
Cotibus è duris fecit decurrere fontem.
Mox probitas, mox relligio producere fruges
Incêpere ſuas, tantoq́; ardore refulſit,
In tantum iubar excreuit validißima virtus,

Vt multos, populis ex circumſtantibus, ad ſe
Traxerit: Expediam paucis, pòſt tempore paruo
Inſula in Elyſium potuit conuerſa putari,
Vt chalybem magnes, ſic inculpabilis aurum
Vita trahit, portantur opes, delubra, domoſq;
Aedificant, redolent horti, viridaria frondent,
Citrus olet, florent myrti, fruticant cyparißi.
At cùm maiores Iuuenis veniſſet ad annos,
Et caua iam gelidis alberent tempora canis,
Quamuis enixè renuens multumq; reluctans,
Eſt Arelatenſis magno molimine paſtor
Factus, & accepit tandem mitramq;, pedumq;.
Quò viuens, quo poſt obitum ſplendore reluxit,
Mirandorum operum fari non ſi mihi centum
Ora forent auſim: ſancti miracula Patris
Obſtupuit Ligur, & Gallus, trans æquora fama
Iuit ad Athlantem, ſubijt Garamantas, & Indos.
Pulſus ab hæreticis, qui ſeditionibus vrbem
Vexabant miſeram, ſeſe in loca tuta recepit,
Vt mos eſt nautis, cùm tempeſtatibus atris
Aequora vexantur, ſæuitq; Aquilonibus aër.
Sed breue poſt tempus rediens, de cordibus iras
Hauſit, & eloquio accenſam compeſcuit vrbem.
Tandem vbi completo fatalia tempora curſu
Aduenêre, graui Deus in languore iacentem
Commiſerans animam mißis ad ſydera diuis
Tranſtulit, optatoq; frui conceßit Olympo.
Poſt decimam Iani lucem, tum ſextus in altum

Sol abiens, cæli ſummum conſcenderat axem.

DE S. ANTONIO.

Septima poſt decimam torpentis frigore Iani
Antoni tibi feſta dies altaria cingunt
Frondibus, hybernas quæ non timuêre pruinas.
Laurus adeſt, hederæ veniunt, prouinca lacertis
Quæ ſparſis proſerpit humi, redolentia myrti
Vimina pacificæ per templa ligantur oliuæ,
Et quos fama refert immortales Amaranti.
Te memorant olim Satyros vidiſſe bicornes,
Panaq́ capripedem, dum per deſerta vagaris
Inuia, trans Memphim, trans centum mœnia portis
Inclyta, ſoliuagi luſtrans veſtigia Pauli.
Te memorant non cum Lapithis, quæ gloria parua eſt,
Non cum Centauris, ſed quod mirabile multò
Amplius eſt, cum tartareis Belialibus olim
Decertaſſe ipſo ſtante ad ſpectacula Chriſto:
Qui quia te vidit pugnaſſe viriliter, ire
Continuò totum tua nomina fecit in orbem.
Tu ſatus in campis, vbi quondam mœnia magnus
Fecit Alexander, domini ſeruantia nomen.
Diceris ignipotens, & fers incendia dextra,
Quòd tua vis ignem votis eſt extinguere ſacrum.
Et quia (res miranda) ſoles quandoq́ proteruos,
Et nimis infrenes, qui relligioſa malignis
Templa, domos animis audent volare, furenti

Aggre-

Aggrederis morbo,ſubitaq; vredine torques.
Sæpiùs hoc aliàs,noſtro quoq; tempore viſum
Non ſemel eſt,ſalit extemplò per viſcera peſtis
Ignea,& oſſa rapit,neruoſq; imaſq; medullas,
Fulminis in morem vorat,in nihilumq; reſoluit.
Et ſunt qui diuos auſint contemnere,nec dum
Tot moniti exemplis homines aduertere poſſunt
Eſſe Deum,ſanctaſq; animas humana potentes
Vlciſci ſcelera,atq; animos cohibere furentes?
Cùm demum tetricæ poſt tot miracula vitæ
Iam longæuus iter vellet conuertere ad aſtra,
Diſcipulos circumſtantes ſermone potenti,
Quem dabat affecti cordis ſuauiſſimus ardor
Erudijt longum,conuerſus ad oſcula tandem,
Aeternùm,dixit,mea viſcera ſancta valete.
His dictis alacri tantam prætendere vultu
Lætitiam,& tanta viſus clareſcere luce eſt,
Vt iam cum ſuperis verſari & viuere credi
Poſſet,& antè Deum mutata aſſiſtere vita.
Dumq; ea ſic fierent ſubitò,velut vltima flamma,
Quæ fugit aſſumpta penitùs face,purior auro
Spiritus in tenues abiens ſe ſuſtulit auras.
Nunc colit æternumq; colet ſublimia mundi
Culmina,perpetuæ gradiens per paſcua vitæ.
Et quoniam nox iſta vigil ſolet eſſe quotannis.
Currite votorum memores,deponite lænas,
Renones,dupliceſq; togas,accurrite nudi,
Et pulſo in lucem ſomno vigilate reuerſam,

Ponite ſegniciem, ſurgit iam veſpera, flammis
Iam rogus in templi medio rutilantibus ardet,
Fallite colloquijs noctem, percurrite ſanctos,
Qui coluêre olim deſerta Aegyptia patres
Arſenium, Vitalem, Helenum, quo tempore Paulus
Et quare ad ſteriles primus deuenit arenas
Dicite, ſit ſermo vobis Euagrius, Efren,
Et Cronius, magno de Beſſarione loquendum,
Pambus, & Eulogius memoretur, & inclytus Hāmō,
Ac reliqui, quorum conſors Antonius orcum
Vicit, & in terras fecit deſcendere Diuos.
Pergite. Cùm rapida cæli vertigine tempus
Euolat, & celeres ad curſum concitat horas:
Iam cecinit mediam volucris Titania noctem,
Et Leo decedens ſummo declinat Olympo,
Ne ſinite extingui flammas, date ligna miniſtri,
Et ramis onerate focos, opus ignibus altis
Expugnare gelu flatuſq; Aquilonis acuti.
Pergite, iam totus Chiron ſurrexit ab vndis,
Incipit apparere Caper, iam Lucifer altus
Aſtra fugat, vicina dies albeſcit ab ortu,
Præcipitat Cancer, gelidis iam terminus vmbris.
Pyramides dudum magnæ tinnire Parenti
Incipiunt. Canit excubitor feruentiùs Ales.
Matutinus adeſt, tyriaq; in veſte ſacerdos
Fert manibus calices, genibus procumbite flexis,
Atq; Deum ne vos tetrico pater arguat ore
Quærite, & ad cælum totas conuertite mentes.

Ite

Ite domum, nec vos hodie dementia cogat
Fingere perſonas, ſumptiſq; incedere laruis,
Sancta dies ſanctæ debet ſuccedere nocti.

DE S. SEBASTIANO.

INclytus armorum ductor de nomine Graio,
Quòd ſi quis velit in noſtram traducere linguam,
Dicet adorari dignum, venerabile, ſacrum,
Tractum nomen habens colitur, procedite turbæ.
Ad ſacrum ſolenne dies vigeſima quando
Crudeles pœnas, & fata immania paſſus,
Tranſijt ad ſuperos, villas inuitat, & vrbes.
Mox vbi percepit Chriſti myſteria, duxit
Cœleſtem in terris, hoc eſt ſine crimine vitam,
Confregitq; ſuis manibus ſimulachra deorum
Plurima, & aduerſum manes tulit arma ſuperbos,
In pœnis etenim quas deteſtabilis ætas
Illa dabat noſtris, ſi quos titubare videbat,
Mox aderat reuocans animos, & pectora verbis
Grandibus attollens, non clàm ſed vocis aperta
Fulmine, & vt tragicis mos eſt, clamoribus altis,
Ante ipſos etiam circo admirante tyrannos.
Sed tum præcipuè tantos prorupit in auſus,
Taliter exarſit, quando ex primatibus vrbis
Romuleæ geminos duro in certamine fratres
Perdere paulatim vidit roburq; fidemq;.
Vxores etenim flentes, & parua ferentes

Pignora demiſſis aderant per terga capillis,
Orabantq́; viros, ne ſe natoſq́;, domumq́;
Desererent, nec tanta ſuis opprobria ferrent,
Neu ſubitò traherent peſſum genus omne ſuorum.
Iſtud idem pater orabat, moriturąq́; mater
Præ lachrymis, præ lamentis, præ angore dolorum:
Tum pius exiliens miles: fortiſſima, dixit,
Pectora quo pacto robur mulicbribus omne
Blanditijs amiſiſtis? quò veſtra receſſit
Strenuitas? quæ tanta tulit diſcrimina Martis
Tum cùm pro tenui decertabatis honore?
Nunc eſt propoſitum vobis cœleſtis Olympi
Imperium, dabit hæc vobis victoria ſemper
Viuere cum ſuperis, & conregnare, Deumq́;
Cernere, cum diuis æterna in luce ſedentem.
Eia agitè excelſos animos in ſydera ferte,
Cœpta nec ignauo maculate ingentia fine,
Ne trepidate Iouem, quamuis Capitolia & arcem
Tarpeiam teneat, ſterilem contemnite Veſtam,
Saturniq́; genus totum, Cybelenq́; profectam
A Phrygijs Romam, quæ dementire miniſtros
Cogit, & epotis homines emaſculat vndis:
Abiurate deos veteres, quot tota per orbem
Terra colit, matrem Aeneæ, patremq́; Quirini.
Chriſtus adeſt laturus opem certamine in iſto
Vltimo, & exili triſtes deponite curas.
Vos quoq; conſortes, importuniq́; parentes
Ne lugete, polos adeunt, non perditis illos,

Sed præcunt vobis regnum immortale paratum.
Taliter ante oculos plebis, patrumq; locutus.
Ipſum ideo leuibus ſcopulum fecêre ſagittis,
Totq; tulit plagas, quot ſeptem tela pharetræ
Quot potuêre arcus emittere ſpicula ſeptem.
Quæ ſtipata meat ſpinis bicoloribus hyſtrix,
Tot ſuper armato non fert haſtilia tergo.
Viſcera mortiferis tandem contuſa flagellis
Corporeis animum vinclis ſoluêre potentem,
Italiam peſtis quondam graſſata per omnem
Non priùs extingui potuit, quàm condita diuo
Ara ſagittato, ſic admonuêre Prophetæ
Atq; ſacerdotes, qui pro moriente precati
Plebe Deum diuos ſic audiuêre loquentes.
Venit vt in vulgus fama hæc, Ticinia plebes
Accinxit ſe ſacro operi, ſubitoq; dicauit,
Quæ quoq; nunc magnis celebratur honoribus aram.
Propterea te ſanctè vocant tua feſta frequentant.
Qui ſtygiæ peſtis trepidant crudele venenum,
Et tibi iam non ſolùm aræ, ſed plurima vbiq;
Schematibus varijs ſurgunt ingentia templa.
Tu Narbone ſatus, fecit te Inſubria ciuem.
Mortuus in terris, & apud mortalia regna
Viuus in Elyſio, non quod mare circuit vndis
Oceanitidibus, quæ fortunata poëtæ
Arua vocant, non quod media telluris in aluo
Dicitur Aeneæ Phœbi monſtraſſe ſacerdos.
Sed neq; lunari quod gens antiqua ſub orbe

Aëris in campis poſuit, ſed quod ſuper altis
Cardinibus mundi fouet alta in pace beatas
Atq; nihil terrena animas contagia olentes.
Oſſa cubant vltra Chriſti veſtigia Romæ,
Appia Campanas qua ſemita tendit ad vrbes,
Ad cryptas Calliſte tuas tenebroſaq; buſta.

DE S. AGNETE.

LVx Agnetis adeſt, Iani vigeſima prima
Romanas aurora nurus ad adorea ſacra
Conuocat, vrbanæ properant ad templa cateruæ.
Virginei prodite chori, velata rubenti
Candida virginitas venit in proſcenia cocco.
Hæc eſt quæ vanis adhibere repagula curis
Vos docuit, ſtolidi furias quæ fregit amantis.
Nam Romanus eam iuuenis tam perditè amauit,
Vt fuerit cæco nullum medicamen amori,
Huic genitor præfectus erat, teneramq; puellam
Quò iuuenis tantos, vel ſic extingueret ignes
Proſtitui nudamq; trahi per compita iuſsit,
Dum trahitur (res mira) ſuis ſic clauſa repentè eſt,
Sic veſtita comis, vt opus non eſſet amictu.
Tanta fuit cœlo reuerentia virginitatis,
Vt crines pro veſte pedes deſcendere ad imos
Fecerit, inceſtæ contra petulantia turbæ
Lumina, cui Deus eſt Venus, & lamargia & aurum.
At domus immundæ tenebroſa, & olentica flora,

Quo

Quo perducta fuit, tanta reſplenduit aura
Lucis, vt immenſo radiorum ardore ſepulta
Non poſſet virgo à turba ſpectante videri.
Cùm verò iubar id ſanctum furibundus, & æſtus
Impatiens tanti temerè incurriſſet amator,
Expirauit agens animam fœdam, & graue olentem.
Ipſa autem iuuenem precibus commota parentis
A ſtyge vitales iterum reuocauit ad auras.
Hæc veteres pertæſa deos confugit ad vndas
Chriſte tuas, & terga dedit fallacibus vmbris,
Quæ velut antra feræ ſtatuas habitare ſolebant.
Ardentes heu nuda rogos intrare coacta
In geminas iuſſit flammam deſcendere partes,
Et veluti Moſes quondam maris æquora rubri,
Innocuas præbere vias incendia fecit.
Virgineæ Chriſtus dilector ſimplicitatis
Non aberat, ſed ei pugnam comes ibat in omnem.
In fauces tandem enſe violenter adacto,
Limina victricem tulit ad cœleſtia palmam.
Quæ cupitis matres ſexus vtriuſq; iuuentam
Vulnificos cæci vitare cupidinis arcus,
Et caſtam ſeruare domum, celebrate puellam,
Hanc ornate diem, Diua hæc iuuenilia ſanctis
Corda ligat ſtudijs, frenumq; imponit amori.
Hoſpitio longinqua quidem, ſed proxima fiet
Auxilio, neq; vos ſurda fruſtrabitur aure.
Ite nurus ad templa piæ, ne hyberna timete
Frigora, iam redeunt clementia ſydera, vernum

 Tempus

Tempus adeſt, prodite domo, per rura volucres
Apricantur, humus virides iam cogitat herbas.
Hac quoq; luce ferunt longo quaſi frigore functos
Vadere per ſepes, & per dumeta lacertas.

DE S. VINCENTIO.

ALtera Vincenti tua lux, tua gloria gentes
Heſperias decorat, ſicut carbunculus aurum,
Vnio ſegmentum, ſplendor Titanis Olympum,
Cùm clamore ferox fureret Datianus atroci
Magna minans, vt te ſtygijs ſubmitteret vmbris,
Sic memorant crudo te reſpondiſſe tyranno:
Pone minas operam perdis Datiane, memento
Chriſtigenas quoties pro relligione duellum
Ingruerit, ſolitos ferrum contemnere & ignem,
Lætari in pœnis, fuſum ridere cruorem,
Expectare necem tanquam conuiuia ſemper
Duratura, velut grandem æternumq; triumphum.
Cæſareæ Auguſtæ tunc in certamine tecum
Vrbis paſtor erat, ſed cùm frigentia verba
Vix daret, & timido voces diſperderet ore,
Tu miſeratus eum, languentia murmura pone,
Et ſine, dixiſti, dare me reſponſa tyranno.
Sancte pater, de Chriſto alacri ſermone loquendum eſt.
Formident qui ſaxa colunt, ſimulachra putantes
Eſſe deos, metuant obſcœnam attollere frontem,
Nos qui corde Deum ferimus, qui vera tenemus

Numina,

Numina, liberiùs fari decet, atq; potenti
Ore per Heſperias ſermonem effundere gentes.
Nos Ioue contempto, templa hæc Datiane deosq;,
Qui ſunt tartarei manes infernaq; monſtra,
Deteſtamur, eant peſſum, regnetq; tonantis
Inclyta progenies æterna in ſecula Chriſtus.
Sic ait at iudex in te crudelis atrocem
Exaturare ardens iram, ſene cuncta relicto,
Ante oculos ferri iubet inſtrumenta dolorum,
Terribili quorum aſpectu nil territus, iſtis
Vtere dixiſti, quò tandem agnoſcere poßis,
Chriſtigenum magno quæ ſit conſtantia cordi,
Et quali omnipotens mortalia pectora Chriſtus
Vi firmare ſolet, cùm vult aperire tuorum
Nequitias, fraudes, & vaframenta Deorum.
O vocem plus quàm humanam fortem intrepidamq;,
Et dignam cui concedat Deus æthera, & aſtra,
At neq; magnificis fuit experientia verbis
Inferior, tu namq; focos, chalybemq; tuliſti
Excelſo, grandiq; animo, tormenta videre
Tanta Valentini vix ſuſtinuêre penates.
Nec animo robur, menti vigor iſte remanſit
Semper, & in pœnis facta eſt magis ardua virtus.
Ad molles demùm plumas translatus ab igne
Aegrius id ſtratum quàm ſanguinolenta tuliſti
Verbera, & ignitas crates, lectoq; teneri
Mens tua non potuit, potuit quæ incendia ferre.
Atq; ideo laceros fugiens euanuit artus.

Exani-

Exanimum corpus campo Datianus aperto
Alitibus dedit in prædam, canibusq́; feriſq́.
Cùm verò in gyrum volitans, roſtroq́; cruento
Increpitans coruus, volucresq́; ferasq́; fugaret,
Ad freta delatum pelago ſepelitur in alto.
Sed mare turbatum ſubitò de ſedibus imis,
Cùm ſtaret placidus ventis ceſſantibus aër,
Auditum eſt mugire graui cum murmure, & æſtum
Tollere ſpumantem, grandesq́; excire procellas:
Nam ſeſe indignum reputans quod ſacra teneret
Viſcera, correptum fluctu ſaliente cadauer
Tranſtulit in littus populis reuerenter habendum.
Chriſtigenæ verò cùm nox altiſsima crebris
Ignibus arderet, Nemeæq́; aſcenderet aſtrum,
Conuenêre manu facultas, & thura ferentes,
Exuuiasq́; animæ ſacras de littore in vrbem
Secretis egere vijs, quas inclyta quædam
(Nomina non licuit ſciri) matrona ſepulchro
Condidit, & ſummum victori exoluit honorem.
Feſta Valentini colles celebrate, propinquo
Ora afflata mari violas producere tempus.
Tranſit hyems, abigit gelidas Vincentius auras,
Et reuocat tepidi clementia ſydera veris,
Nix abeat, fruticet tellus, refloreat arbor,
Tu quoq; patrono lætare Valentia tanto.

DE CONVERSIONE S. Pauli.

SAcra dies magno vigeſimaquinta magiſtro,
Qui docuit gentes, qui regna per omnia Chriſtum
Tranſtulit, atq; fidem muris circundedit altis.
Ipſe tamen Chriſto fuit aduerſarius olim,
Cùm iuuenilem animum feruens accenderet ætas.
Nam cùm iam teneris Moſem didiciſſet ab annis,
Viſa fuit Chriſti nouitas abſurda, nec antè
Deſtitit illius ſe opponere grandibus orſis,
Quàm proſtratus humi cœleſtia fulmina ſenſit.
Non aliter potuit mentem frenare ſuperbam.
Ipſe dedit Stephanum letho, lapidumq; volantum
Grandine contriuit, ſic impetuoſus, & audax,
Dum Saul eſſet adhuc iuuenis, fuit: at noua poſtquàm
Nomina percepit priſcos cum nomine mores
Exuit, aſt animum non exuit, ardua ſemper
Corda tulit ſecum, domuit Moſemq;, Iouemq;.
Ibat equo inuectus, multoq; ſatellite circum
Septus in antiquæ florentia rura Damaſci,
Multa mouens animo, furijs agitatus, & acri
Percitus irarũm ſtimulo, cùm magna ſereno
Confeſtim horrendum ſonuêre tonitrua cœlo:
Tum ſimul exiliens lux ardentiſſima flammis
Eſt rapidis complexa virum, tremefactus, & alto
Lapſus equo percuſſit humum, lucemq; ſecuta eſt
Vox ingens audita procul, qua percita Pauli

Corda

Corda venenoſum mox depoſuêre furorem.
Amiſsiſq; in luce oculis ducente miniſtro,
Ignotum pariter magnam peruenit in vrbem
Cæcus, & in ſtupida triduum caligine traxit:
Mox Anania ferens diuina oracula ab eius
Luminibus fecit manare putamina quædam
Vipereas tanquam ſquammas, duplexq; recepit
Lumen, vt expu ſis animiq; & corporis vmbris
Aſpiceret ſolem æternum ſolemq; ſacratum.
Dumq; ſoporatum corpus ſine luce iaceret
Mens fuit ad ſuperos trans ignea ſydera miris
Rapta modis, vbi conſilijs interfuit aulæ
Illius æternæ, totum quæ temperat orbem.
Illic intuitus triados myſteria, & omnes
Cœlituum populos, & quo Deus ordine tantam
Terrarum ac cœli molem regit, atq; futuri
Temporis euentus, & quæ cognoſcere non eſt
Fas humanæ animæ, dum fert mortalia membra.
Nectareas illic epulas libauit & illam
Ambroſiam cuius diuos odor ebriat omnes,
Et cœlum æternis facit indulgere choreis.
Propterea tanto terrena pericula corde
Vicit, & aduerſos liber formidine caſus.
Cætera prætereo. Pauli vulgata per orbem
Gloria iam ſatis eſt. Gaudete recentia Chriſti
Secla, nouum ſortita ducem prodire poteſtis
Nunc in bella, tremit Pluto, manesq; profundi,
Concilio munire parant ſua regna coacto.

Tarſe

Tarſe caput regni Cilicum, clariſsima Pauli
Patria, quam poſuit quondam Danaeia propago.
Tu quoq; tardigradam tactu ſanare podagram
Cydne potens gaude, tanto lætatus alumno
Curre alacris. Tauriq; fluens de fontibus æquor
Cæruleum niueis ſaliendo allabere lymphis.
Rurigenæ priſci quoſdam quaſi ſigna futuri
Obſeruaſſe dies, quarum hæc fuit vna, feruntur,
Iſta ſuperſtitio veterum peruenit ad annos
Hos quoq;, vulgares animi tam credula res ſunt,
Tale igitur dant omen ei, ſi lucida pulſis
Nubibus effulget, pinguem denuntiat annum,
Nix ſterilem pluuiæq; volunt, certamina venti
Martia ſignificant, pallentia nubila peſtem.

DE S. CYRILLO.

PRoducente diem Phœbo gelidamq; fugante
Ex agris hyemem ferit annua feſta Cyrillus.
Vrbis Alexandri paſtor defluxit ab alto
Vertice Carmeli, ſanctæ primordia vitæ
Heliæ de fonte tulit creſcentibus annis
Relligio creuit, rerum prudentia creuit,
Et quia diuinæ legis ſapientia & ore
Suauiloquo viſus cunctos præcellere patres,
Ad decoris tanti ſacros peruenit honores.
Ergò per Aegypti populos, Nabathæa per arua
Atq; per Aſſyriæ gentes, Arabumq; per vrbes

Luxit, vt elapſus quondam de Perſide fulgor
Syderis & pendens ſuper incunabula Chriſti.
Aequore tranſmiſſo patrum comitante caterua
In Lycios fines, Epheſinaq́ littora venit
Neſtorium contra, ſanctæ quem fulmine linguæ
Fudit, & inſtituit ventura in ſecula credi
Progenuiſſe Deum Chriſti debere parentem.
Hic eſt qui Maumeth Arabem corrupit, & vnum
Miſit in errorem populos orientis, & Auſtri
Neſtorius, nata hinc Turcorum improuida, & excors
Relligio, nata impietas ſtultiſſima Maurûm,
Quæ Chriſtum vetat eſſe Deum, quæ credere fingit
Eſſe nefas habitaſſe Deum ſub imagine noſtra:
Attendebát enim ſolùm, quæ opprobria paſſus
Chriſtus erat, non quæ toties miracula fecit,
Neſtorius leuis, & petulans, elatus, & audax,
Sed neq́ per ſacras, quæ ſunt inſperſa videbat
Scripturas arcana oculis vt noctua tardis,
Nec vegetabatur diuina intrinſecus aura.
Hunc igitur toto patrum ſpectánte ſenatu,
Diuino eliſit feruens ardore Cyrillus.
Propterea ad vulgus ſeſe rude vertit, & inter
Vecordes Arabum ſparſit zizania turbas.
Patris ab ingenio fluxêre volumina ſancti
Plurima quæ ſuperant ſicut liber aureus ille,
Qui nomen Theſaurus habet, ſi cætera noſſe
Scripta cupis, vade ad Graios, per Achaica quære
Scrinia, percurras veterum ſacraria patrum,

Inuenies

Inuenies quanta dicendi floreat arte,
Sacrarum quàm diues opum. Nos illius, oro,
Nos, inquam, quibus eſt idem titulusq́ genusq́
Cura regat, noſtros ſua per veſtigia greſſus
Ducat ad Elyſios, vbi pax & gaudia campos.
Mors hominis, qua corpus humo, mens reddita cælo
Exigui menſis quarto memoranda Calendas.

BAPTISTAE MANTVANI CARMELITAE THEOLOGI, FASTORVM

Liber Secundus.

FEBRVARIVS.

DE S. EGNATIO.

MEnſis adeſt breuior, quarto cui ſemper ab anno
Additur vna dies, tunc æquiparare ſodales
Sperat, & in digitos ſurgens ſe attollit in altum.
Verùm vbi cognouit ſtudio ſe incumbere vano,
Vtpote qui ſemper reliquis eſt menſibus impar,
Luget, & in vili iacet extenuatus amictu,
Nam veris plerunq́ trahit ieiunia ſecum.

Tempore luſtrabant animas antiquitus illo,
Atq; ideò menſi fecerunt Februa nomen,
Februa nam priſci dixêre piacula patres.
Hunc quoq; feralem quidam dixêre poëtæ,
Quòd fierent illis fera ia ſacra diebus.
Eſt autem ferale ſacrum quod manibus olim
Cæca ſuperſtitio veterum perhibere ſolebat.
Prima dies tibi ſancte Pater ſacrata, Calendas
Tu colis Egnati, tua ſunt exordia menſis,
Hæ tibi primitiæ, tibi ſe ſuccedere fecit
Petrus, & Antiochi claram tibi tradidit vrbem,
Cùm petijt gentes, atq; altæ mœnia Romæ.
Fortunati oculi, felicia tempora noſtros
Quæ videre atauos, quæ tot quaſi ſydera ſanctos
Conſpexêre patres, & tot ſpectacula nunquam
Viſa prius tot mutatis miracula ſeclis.
Hic Mariam matrem magnam dum vita ſuperſtes,
Sæpè ſalutauit, ſæpè illius ora refixit,
Ora inquam, quibus infanti dabat oſcula Chriſto,
Et fidei noſtræ didicit myſteria ab ipſa.
Is Latios tandem Traiano principe campos
Ductus, & ærumnas tanquam ſolatia læto
Amplectens animo ferrum exanclauit, & ignem,
Expoſitumq; feris gemini extinxêre Leones,
Non laniare auſi quanquam ieiunia paſſi
Importuna forent: hic à lictore rogatus,
Cur totiens in tormentis clamaret Ieſum:
Nomen id inſcriptum cordi ſibi ſæpè relabi

Dixit in os, id poſt fatum perquirere lictor
Nixus, in execti conſpexit vulnere cordis
Nomen id ex auro ductis ſplendere elementis.
Res ea, Traianum, ſimulac vulgata, retraxit,
Illaq; Chriſtigenis fecit per tempora pacem.

DE PVRIFICATIONE B. VIRginis Mariæ.

ALtera lux Chriſti quæ bis vigeſima ab ortu
Iam procedit, & eſt eius ſacrata parenti.
Mos erat Hebræis, & lex antiqua volebat,
Vt connixa marem ſuſcepto ſemine mater
Facta parens immunda foret, coituq; careret
Ad decimam quater vſq; diem, tum deniq; ad aras
Infantem cum muneribus luſtranda ferebat.
Iſta dies aderat, mater cum pignore templum
Ingreſſura venit: Simeon præſagus, & æuo
Grandior (omnipotens ita rem texebat Olympus)
Ocyus occurrens puerum cognouit, & vlnis
Suſtulit, ac verſus quos huius ad orgia lucis
Manè ſacerdotes adhibent, vt in illius ora
Miſit verba Deus, namq; his Deus omnibus auctor
Edidit arguta conuerſus ad æthera voce,
Addidit & ſortem nati, matriſq; futurum,
Et triſtes caſus, atq; illætabile fatum,
Omnia, quæ quoniam modò ſunt vulgata, ſilentur:
His actis, iuêre viam. Stipante ſacerdos

 Agmine

Agmine ſolenni puero venit obuius vſq;
Aedis ad ingreſſum, matremq́; adduxit ad aram.
Poſteritas huius facti memor annua feſta
Inſtituit pompa, & facibus celebranda quotannis.
Ecce ſacerdotum, cera flagrante, coruſcant
Agmina, quæ turbam faculas iaculantur in omnem
Irruit vndatim vulgus, puerią; frequentes,
Ad ſacra porrectis manibus munuſcula, currunt.
Sæpiùs accenſis pubes villatica ceris
Laſciuire ſolet per ruſtica templa, quod olim
Me memini vidiſſe, faces immittere certant
Alter in alterius crines, fumumq́; ciere
Ludo incompoſito,, tetris nidoribus aras
Inficiunt, riſuq́; leui delubra profanant.
Sacrorum ſic lapſus honor, ſic ſancta receßit
Relligio, patrum ſic diſciplina ſepulta eſt:
Hæc ea pubentes, quæ tempeſtatibus agros,
Quæ frumenta premunt, & quæ vineta trucidant,
Quæ iumenta necant, peſtemq́; in ouilia mittunt.
Nam quotiens hominum vitio vileſcere diui
Sacra vident, odio nos inſectantur acerbo:
Cùm verò ſuperûm ceſſat cuſtodia, larua
Omnia ſubuertunt, nec habent mortalia pacem
Regna, ferunt noſtri nulla emolumenta labores,
Diſpenduntur opes in mutua damna, per vrbes
Seditio regnat, per corda humana ſimultas
Pullulat, & ſumit vires animoſa libido.
Hinc tot bellorum ſtrepitus, tam multa per omnes

Arma ſonant Italas vrbes populantia,& agros.
Sancta parens igitur,cuius ſolennia præſens
Sacra dies celebrat,tantos compone tumultus.

DE S. BLASIO.

TErtia Cappadocum paſtor ſanctiſſime Blaſi
Lux tua,tu exilium ſub Cæſare Maximiano
Paſſus es,& tetricos montes habitare coactus
Inter mille feras,tibi quæ manſueta ferebant
Obſequia,& tecum poſita feritate per vmbras
Obſcuri ſaltus,perq; anfractus nemoroſos
Errabant,vti per campos cum matribus agni.
Maximianus enim tanta impietate per orbem
Sæuijt,vt ſicut viſu baſiliſcus acuto
Ore truci,nutuq; homines extinguere poſſet.
Vox autem tonitru longè reſonantior illi
Tanta erat,vt quoties alto clamore tonabat
Vſq; ad Sauromatas exaudiretur,& Indos.
Monſtrum immane,potens hominum tot millia aperta
Abſorbere gula,quot ſanguinolenta volebat
Sæuities,monſtrum illud erat ceu bellua partum
Virginis extento cupiens extinguere collo,
Cuius ab aſpectu,ſumptis diuinitùs alis,
(Vt ſacer Aegææ vates canit incola Pathmi)
Fugit ad extremæ loca virgo incognita terræ.
Virgo fuit primo fruticans Eccleſia ſeclo,
Chriſtigenæ ſoboles eius,quos bellua adegit

Quærere deſertis aliena penatibus arua,
Maximiano autem conſors regniq́;,animiq́;
Iunctus erat Cæſar fundo Phlegethontis ab imo
Hauſtus,& in prædam tota his data terra duobus,
Diluuio humani ſtabat ſubmerſa cruoris,
Nec tamen has timuit clades,hæc aſpera fata
Blaſius,at ferrum,& flammas ſuperauit,& vndam,
Non aliter gradiens ſuper æquora,quàm ſuper agrum
Libera prolatis ferimus veſtigia plantis.
Adſis ſancte tuis,& nos dignare clientes
Cuſtodire,nihil nobis angina nec vlli
Officiant morbi,tua præſentiſſima nobis
Sit tutela ſalus,tibi mitia corda fuerunt
Semper,& es ſolitus voces audire precantum.
Tu nurui reddis cicurem,tu guttura verbo
Suffocata aperis,& nos audire memento,
Nos inquam,tua qui quondam memorauimus acta,
In languore tuas quoties clamamus ad aures.

DE S. AGATHA.

GLoria Sicaniæ gentis pulcherrima virgo
Diua Agathe Nonas menſis tua feſta ſecundi
Sacrauêre.Nurus illa votiua ferentes
Dona die veniunt digitis fulgentibus auro,
Sericeisq́; tuas adeunt in veſtibus aras.
Mens tua marmoribus,quæ ſunt Athlante ſub alto,
Quæ ſunt Caucaſeo ſub vertice,quæ ſub Olympo,

Atq;

Atq; iugis ſub hyperboreis, quæ fulmina rident,
Fir[illegible]ior, aduerſis non eſt concuſſa procellis.
Immutare tuos meretrix Aphrodiſia ſenſus
Non potuit. fruſtraq; ſuas exercuit artes.
Non nocuit tibi blanda Venus, quæ ferrea mollit
Pectora, non iaculis armatus & igne Cupido.
Quæ tibi Veſtalis virgo, quæ nympha Dianæ
Conferri poterit? vel quæ Romana pudorem
Aequabit matrona tuum? Lucretia cedat,
Cedat & aduerſo Cybelem quæ flumine traxit.
Quæ cribro portauit aquas mandante tyranno.
Mitteris in rapidos ignes, tua lactea tortor
Viſcera truncauit ferro, tua forcipe adunca
Vbera contriuit, laceroq; à pectore traxit,
Carnifici daris in prædam velut alba voraci
Agna lupo primis tua membra tenerrima in annis.
Heu res cruda nimis, ſunt facta doloribus incus:
Tunc tibi non Chiron, non natus Apolline ſerpens.
Sed Petrus cæleſte tulit medicamen, & ecce
Priſtina ſanatum redimiuit gratia corpus.
Ad tua cum centum diuis in veſtibus albis
Funera deſcendit Chriſtus, titulumq; reliquit,
Et monumenta tuam breuiter teſtantia laudem.
Diua vale noſtriq; memor dignare quotannis
Non Catanam ſolùm patriam Siculosq; penates,
Sed noſtros etiam veniens inuiſere fines,
Et pacare animos hominum, qui ſaua per omnem
Italiam mittunt veſani incendia Martis.

DE CARNISPRIVII MALA conſuetudine.

HIc memorare libet quoddã graue tẽporis huius
Crimen,& ipſius ſubiungere criminis ortum.
Roma lupercales ludos antiquitus iſto
Menſe celebrabat, poſita grauitate, per vrbis
Compita curſabant ſtolidi ſine veſte luperci.
Et ſcuticis olidi tractis de tergore capri
Pulſabant nuruum palmas, quia verbere tali
Pana deum faciles credebant reddere partus.
Iſta ſuperſtitio leuis, hæc inſania noſtros
Tranſijt in mores. Veteris contagia morbi
Hauſimus,& quodam ſimili languore tenemur.
Nam iuuenes iſtis facit inſanire diebus
Pan deus Arcadiæ quondam, totasq; per vrbes
Currere,& acceptis facies abſcondere laruis.
Eſt pudor in facie, facies velata pudorem
Significat læſum, ſciri laſciuia non vult,
Ora tegit, ſcelus eſt pauidum, metuitq; videri.
Cuncta ſub ignotis petulantia vultibus audet
Quæ ablegat grauitas,& quæ proſcribit honeſtas.
Per fora per vicos it perſonata libido,
Et cenſore carens, ſubit omnia tecta voluptas,
Nec nuruum palmas, ſed membra recondita pulſat,
Perq; domos remanent fœdi veſtigia capri.
Hoc quoq; Roma leui curſu gaudebat equorum
Tempore,& in Martis celebrabat equiria campo.

Altera

Altera nil melior nuper dementia venit,
Sordida produxit vetitos comœdia ludos.
Scorta, ambubaias, balatrones, & paraſitos,
Et genus id reliquos trahit in proſcænia menſis
Improbus, vndè trahunt iuuenilia pectora peſtem
Mortiferam, fiuntq́; ipſæ ſine fronte puellæ.
I pudor in villas, ſi non patiuntur eaſdem
Et villæ vomicas, vrbs eſt iam tota lupanar.

DE FESTIS MOBILIBVS SCIlicet, Paſcha. Aſcenſion. Pentec. Trinitatis, & Corpore Chriſti.

HIc immobilibus fas eſt adiungere faſtis,
Quos variat tempus, quos inconſtantia lunæ
Hac illac errare facit, modò ſurgere ſero,
Et modò veloci ſolem præuertere curſu.
Nam veluti cœlo ſunt ſigna erratica, ſicut
Saturnus, Mars, Luna, Venus, Sol, Iuppiter, Hermes
Nec non firma, velut quæ nox, ſine nubibus orbe
Monſtrat in octauo, ſic feſta errantia quædam,
Quædam firma ſuam ſemper retinentia ſedem.
Mos erat Hebræis, & lex in vertice Sinæ
Tradita conſtituit lunam, quæ frigore pulſo
Duceret æquidij placidiſsima tempora verni,
Primam anni Lunam eſſe noui, qui feſta gubernat,

Annus enim duplex Solymis: Ver inchoat vnum,
Alter ab Autumno ducit primordia, quando
Maximus à prima proceſsit origine mundus.
At cùm Luna eadem completo cornua circo
Iungit & ore micat toto, ſolennia fiunt
Inclyta, quæ Paſah nomenclat Iudæa vetuſtas.
Paſcha vocant noſtri corrupto nomine, & iſtam
Iudaicæ mendam tulit ignorantia linguæ:
Iſte tamen fluxit Grayis à gentibus error,
Quæ quod nos patior πάσχω dixêre, putabant
Quòd Meſsiam paſſum audierant ea tempora circum,
Nomen id exortum, noſtro Paſah dicitur ore.
Tranſitus, hoc nomen clades Aegyptia fecit:
Nam cùm primitios diuina potentia partus
Percuteret (noti annales de cladibus illis
Aegypto illatis, vt rex manſueſceret) alta
Nocte Deus feriens tranſiſſe per oppida fertur,
Taliaq; à caſu fluxêre vocabula triſti.
At benè conueniunt Paſchali nomina feſto,
Quandoquidem Chriſtus melioris conditor æui
Tranſijt ad manes, & ad infima tartara primùm,
Mox ad regna patris feriens Aegyptia tecta,
Hoc eſt ſacrilegos ritus ac templa deorum,
Quos tulit Aegyptus, nam gens ea perdita diuos
Multiplices finxit, nomen præſtare deorum
His quoq; quæ ratione carent animantibus auſa,
Nedum homini, tanta impietas genus illud agebat.
At neq; nobiſcum celebrant ſolennia Verpi

Hæc

Hæc Canaanicolæ, verùm celeberrima noſtro eſt
Solis prima dies oriens poſt azima ritu,
Sic priſci ſanxêre patres, mutata parumper
Lex ea, & iſtius fuit obſeruantia feſti.
Noſtra dies etenim quandoq; recedit ab illa
Longiùs, induxitq; nouas Eccleſia leges,
Deſtituens Cyclos veteres, peregrinaq; ſcita:
Pontifices etenim Romanæ antiquitus aulæ
Semper ab Aegypto tempus Paſchale ſolebant
Diſcere, & illius gentis documenta tenere.
Iſta ſed æthereos motus, & ſydera docti
Altiùs explorent, ſummuſq; arcana ſacerdos,
Luce quaterdecima poſt hæc ſolennia Chriſtus
Iuit in elyſios campos, regnumq; paternum, &
Iſtud ab aſcenſu traxit cognomine feſtum.
Cùm ſoles aurora decem ſuperaddidit, adſunt
Tempora diuino quæ ſunt illuſtria vento,
Et decades luci fecêre vocabula quinq;.
Prima dies ſolis trino eſt ſacrata Tonanti.
Prima Iouis, clauſo panis ſub imagine Chriſto.
Sed tamen hæc alibi rurſum memoranda relinquo.

DE QVADRAGESIMA.

SAnctum Paſcha volens veterem prudentia patrũ
Reddere nobilius dignoq; attollere cultu,
Subiunxêre dies atros, & tempora longa
Dura fame, poſtquàm Chriſtus ieiunia fecit

Exem-

Exemplo veneranda ſuo, cùm flumine tinctus,
Iuit in excelſi deſerta cacumina montis,
Atq́ quaterdenos vltra ſua prandia ſoles
Diſtulit expoſitus vento, gelidæq́ pruinæ.
At quia lux ſolis nunquam ieiunia ſeruat,
Chriſtus enim dedit hunc illi rediuiuus honorem,
Sex iunxêre dies hæc ad ieiunia, ſancti
Pro totidem, quos hæc fugit obſeruantia, patres.
Prætereo treis hebdomadas, quas addidit iſtis
Relligio, quia vim legi dare noluit vſus:
Vſus enim firmare poteſt, & frangere leges,
Temporis iſtius tetrici nimiumq́ ſeueri.
Prima dies cupiens infrenem extinguere luxum
Manè ſacrat cineres, turbiſq́ ad templa vocatis
In caput effundit, memoratq́ nouiſsima fata.
Adde quod aſsiduè vir relligioſus in alto
Pegmate declamans, hominum vitioſa ſeueris
Acta premit cilijs, & acerbo crimina vultu
Diſsipat, ad cœlnm reuocans mortalia corda.
Tum quoq́ præterito quicquid peccauimus anno
Pandimus, & veluti qui triſte hauſere venenum,
Irritare ſolent vomitum de cordibus imis,
Reijcimus turpes curas, & noxia vota.
Mox vbi Paſchali rutilant altaria luce,
Imus ad extremæ Chriſti conuiuia menſæ.
Hæc ſtudia, hi mores, hæc regula temporis huius.
Hinc abeant menſæ pingues, obſonia craſſa:
Prandia viſceribus ſint Pythagoræa relictis,

Viſcera damnantur, prodire legumina, & herbæ
Incipiunt, genius friget, gula languida mœret.
Non tamen illicitum piſces adhibere minutos,
Gregorius grandes prohibet, ſed longior vſus
Obſtitit, & ponti pecuaria magna per omnes
Iam volitant procerum menſas, & prandia regum,
Sordida Gregorij leges obſeruat egeſtas,
Quæ tenues ſcrutatur aquas, & flumina ſumma,
Grande ac pingue pecus fundo verſatur in imo.
At ſacri proceres qui lina capacia Petri
Altius immergunt laqueant genus omne natantum.
Hoc tempus quo plus creſcit finiq; propinquat
Sanctius eſt, & plus ſemper pietate redundat.
Quinta dies ſolis, quia tunc recitare ſolemus
Hiſtoriæ partem Chriſtum, quæ limina templi
Euaſiſſe refert, & ſe in ſecreta tuliſſe
Tecta metu, triſtes delubra per omnia cantus
Incboat, & magni reſerat præludia planctus.
Tunc crucibus mos eſt clauſis abſcondere Chriſtum,
Indicioq; grauem tali memorare tumultum.
Sexta ciet pompas, & cum viridantis Oliuæ
Frondibus, & palmis ſimulat fallacia quædam
Gaudia, lætitiæq; breuem mutabilis vmbram:
Chriſtus enim poſtquàm ſtygio reuocauit ab orco
Lazareos manes, Solymam paſſurus ad vrbem
Venit, & à turbis tanto ſuſceptus honore
Pontifices crudeli odio ſtimulauit & ira.
Iſtius hebdomadis celebrat lux quinta ſupremas

Chriſti

Chriſti epulas,& tot ſanctæ myſteria cœnæ.
Sexta aperit vexilla crucis,corpuſq́; cruentum
Tollit,& afflictis lachrymas è cordibus haurit.
Ille amor,illa Dei pietas tam feruida,& ardens
Ad mortale genus voluit ſe extendere tantum.
Prætereo gemitus nuruum,lamentaq́; matris
Immanes motura feras, comiteſq́; fugatos,
Confuſamq́; domum Chriſti,ſuſpendia Iudæ.
Tum pius ablutum corpus Nicodemus,& vnctum
Adiutore Ioſeph grandi ſub marmore clauſit.
Prætereo lapides fractos,ſine lumine ſolem,
Cæteraq́; in vulgus terras iam miſſa per omnes.
At non prætereo Chriſti quòd tempore paßi
Hæc extra depulſa ſuam ſolennia lucem
Miſit in auroram demens Iudæa ſequentem:
Nam quoties Triuiæ ſydus mutabile feſta
In Veneris fert iſta diem,ſynagoga propinquam
Traijcit in lucem,ne feſta ſequentia turbent.
Poſt opus exactum,poſt conſummata ſalutis
Sacramenta dies ſubter caua ſaxa quietem,
Septima conceßit Chriſto velut antè locutus
Fatidicus Moſes orbis dum ſcriberet ortum.
Intereą ſtygium ſubter penetrauit auernum
Libera mens,cæcoq́; manens in limine ad vmbras
Clamauit,reſerate domos,attollite portas,
Reddite captiuam(redeunt noua ſecula)gentem.
Extemplò patuêre fores,vox iſta per omnes
Inferni eſt audita ſinus,obmutuit ore

Cerberus attonito, rapuit ſe in tartara Pluto
Intima, cum Plutone canes, vmbræq; ſilentes
Nyctimenæ ſimiles piceas fugêre per vmbras,
Ipſe etiam Iudas ſtygiæ nouus incola noctis,
Vt breuis incuruos felis qui inuaſerit vngues
Muſculus, in foricas alti properauit Auerni:
At ſimul Abrami vox eſt vbi cognita, magnos
Extulit applauſus tota cum prole nepotum,
Qui ſtyga neſcierant primi exiuêre parentes
Iam nati tot ſecla dies quot vidit in alto
Vertice ieiunus cadere atq; reſurgere Chriſtus,
Agminibus tantis victo ſtipatus Auerno
Scandit, & abſterſa mortis ferrugine corpus
Suſcipiens ſubitò clauſtris erupit apertis.
Altera nox poſt fata diem ducebat, & altus
Lucifer ex primo ſtellas oriente fugabat.
Iſtam Paſcha diem veteres dixêre Pelaſgi.
Paſah vocant Solymi, ſicut memorauimus antè:
Hic tandem accipiunt finem ieiunia, pubes
Læta reſurgenti celebrat ſolennia Chriſto.
Conueniunt ad templa nurus, maturior ætas
Tota coit confeſſa humili ſcelus ore, lauanſq;
Cum lachrymis anno commiſſa piacula toto,
Vltima cœnantis venit ad conuiuia Chriſti,
Quæ modò prætериens aliis dicenda relinquo.
Tum quoq; ſupplicys, & ſacræ aſpergine lymphæ
Viſcera ſacrifici luſtrant epulanda miniſtri,
Atq; alias hæc antè dapes ientacula mandunt

Chriſti.

Chriſtigenæ, tali claudunt ieiuna ritu.

DE TEMPORIBVS Verſis.

POſt cineris primi ſeeum ieiunia portant
Mercurij, Veneriſq́; dies, quibus adde ſequentis
Falciferi lucem: namq́; inſtituêre parentes
Talis vt in partes anni transfuſa quaternas
Religio nobis fœlicem redderet annum.
Quatuor hæ partes ſunt: Ver, Autumnus, Hyemſq́;,
Oraq́; pampineis Aeſtas vmbrata coronis.

DE MVTATIONE VIGIliarum in Ieiunia.

ID quoq́;, nam ſcitu locus eſt digniſſimus, addam
Quod noſtri in templis ataui vigilare ſolebant,
Excubiaſq́; pati, ſolennia manè ſequenti
Feſta recepturi, morem noua ſuſtulit ætas.
Nam quia nox ſceleri ſolet eſſe occaſio, & illud
Obſeruant qui furta volunt committere tempus,
Ieiunare diem viſum eſt ſapientiùs illam
Quæ præit, & clauſo noctem dormire cubili.
Hæc ita decerpſi curſim pro tempore, tractis
Altiùs antennis, ad non vaga feſta reuertor.

DE

DE S. APOLLONIA.

GLoria fœminei ſexus Nilotica virgo,
Quæ capis antiquo veniens ab Apolline nomen.
Nona dies menſis tibi conſecrata ſecundi
Lampadas accendit, flammis, & odoribus aras
Lætificat, magnoſq; tibi perſoluit honores,
Tota tuas celebrat modulans Eccleſia laudes.
Et coniuncta choro ſalientibus organa pulſat
Articulis pſaltes, reſpondet ad organa cantus,
Aërios contra Lemures regemq; profundi,
Romanoſq; deos, maieſtatemq; Senatus
Et tanti molem imperij, duce bellica Chriſto
Signa ferens audes toti te opponere mundo.
Dij veteres qui centimanos vicêre Gigantes
Te trepidant, faber ille Ioui, qui fabricat arma
Ignea, in Aethnæis qui fulmina temperat antris
Te fugit, ipſe, Deûm fingit quem fabula regem,
Triſtis, & attonitus non fert tua Iuppiter ora.
Per te victa Venus toties exire latebris
Te præſente timet, fictoſq; oſtendere vultus.
Tu coleris, tu templa tenes, tu ſydera calcas.
Illi habitant ſtygias ſine maieſtate paludes.
Non tamen ad tantos facilis via duxit honores,
Nec te lenta quies, nec deſidioſa voluptas
Ad tantum decus euexit, tua contudit antè
Ora ſilex, dum fert ægrè tua verba tyrannus,
Verba Iouis probrum Chriſti reſonantia laudem.

Dum ſermone deos laceras, & numina falſa
Deſtruis, iſtud opus ſuperos ita mouit, vt omnes
Annuerint vno cilio tibi cœlica tecta.
Hei mihi quis dolor ille tuus cùm marmore dentes
Excuſſere tibi? cùm membra tenerrima flamma
Vndantes ſubitò volucri clauſere volatu?
Has tua per Syrtes iuit ratis, iſta Charybdis
Inſidiata tibi eſt, hac tempeſtate carinam
Mergere Dij voluêre tuam, miſeratus Olympus
Te in duro poſitam caſu ſua longa tetendit
Brachia, & ex illo rapuit te turbine in aſtra.
Diua precor faueas rebus mitiſsima noſtris,
Et ſenio miſerere graui, miſerere ſepultæ
In varijs vitæ ærumnis, iam veſperâ noſtram
Eſt clauſura diem, cum tempore labitur ætas
Præcipiti curſu, cæcas poſt fata tenebras
Ne incurramus ades, noſtro ſuccurre periclo.
Iliacum iuuenem fugiens Titania lampas
Ingreditur piſces, ſurgunt cum piſcibus aſtra
Andromedæ, curuoq; genu, quæ incumbit imago
Herculis, Engonaſim dicunt, & raptus ab vndis
Cetus, & octauo ſedem ſortitus in orbe,
Tempora grata ferens, aperire Fauonius arua
Incipit, & tepido violis applaudere vento.
Iam ſatio vicina fabis. Grus ordine longo
Cum clangore volat, proiectaq; ſemina campis
Eſurit, elingui venit alba ciconia roſtro.
Paſtina fert humeris olitor, conſiderat hortum,

Et reperare nouo vult mortua gramina cultu.
Sic vtinam nobis animi reparentur,& in nos
Sanctus ab excelſo Zephyrus labatur Olympo.
O virgo tot functa malis,de faucibus orci
Eruta,& in ſummo quæ nunc trahis ocia mundo,
Nos ægros,& adhuc corpus mortale ferentes
Auxilio dignare tuo,maneſq; coërce
Infeſtos nobis, ſæui Plutonis ob iram.
Clementes extende manus,animæq; ſub iſto
Pondere anhelanti ne ſuffocemur,adeſto.

DE S. IOHANO HO- ſpitali.

IMberbis Iohanus adhuc lanugine prima
Iam fruticante,agros ſaltuſq; agitare ſolebat,
Venatuq; ferum pecus exercere frequenti.
Dumq; per anfractus,& teſqua per inuia tendit,
Incidit in ceruum,cuius Deus ora mouendo
Talibus inſonuit verbis:Iohane parentum
Interfector eris,ſcelus hoc euadere tenta.
Id meditans ſimul,atq; timens longinqua petiuit
Littora,ne caſu ſcelus hoc incurreret vllo.
Et quia fortis erat,Martiq; aſſuetus,& armis
Continuò illius domino regionis adhæſit.
Atq; breui,& dum depoſita formidine laudi
Seruit,& ad ſummum bellando aſpirat honorem,
Clara duces inter primos ſibi nomina fecit.

Connubio demùm præclaræ coniugis auxit
Prole domum naturam hominum, moremq́ ſecutus.
Talia de nato ſimulac ſciuêre parentes
Accenſi pietate pari ſtudioq́ videndi,
Inuaſere viam, longiſq́ laboribus illuc
Appulſos abſente viro, gratanter in alta
Tecta nurus ducens, proprio dignata cubili eſt.
Manè autem feſſos dum ſub lodice teneret
Somnus adhuc ſoceros cùm ſe in delubra tuliſſet,
Ecce vir ex agris rediens thalamumq́ ſubintrans
Perpendit lecto geminos accumbere, dumq́
Credit adulterium, furiata mente parentes
Enecat infœlix, & pectora ſancta cruentat.
Et ſic fata viam ſceleri inuenêre patrando.
Vidit vt vxorem ſacro rediſſe peracto,
Atq́ ſuos didicit lecto recubare parentes,
Obſtupuit, facinusq́ animo defleuit amaro.
Et placare Deum cupiens, diſceſſit ab armis,
Ac propè torrentis ripas vbi magna ſolebat
Turba inopum ferri, rapidoq́ in flumine mergi,
Conſtituit tectum, quod prætereuntibus eſſet
Hoſpitium commune dicans ſeq́, & ſua tali
Officio gratis, coniunx cum prole ſecuta eſt
Spontè [illegible]m, cum vellet ea migrare relicta,
Non tulit antiquæ pietas diuortia vitę.
Manſit in his operis vſq́ ad ſuprema ſenectæ
Tempora. Tum veniens ægri ſub imaginè ab orbe
Stellifero diuorum vnus poſt debita vitæ

Subſidia,& morbo certis accepta diebus,
Se confeſſus ait,gaude Iohane,redemit
Te pietas,diuina tibi clementia parcit.
Dixit,& in cœlum paßis ſe ſuſtulit alis.
Ipſa quoq; è membris egreſſa ſenilibus vmbra
Sancta viri terras tandem mutauit Olympo,
Cùm februi biſſena dies decurreret,ipſo
Veris in ingreſſu,quem ſol iam fecerat auctis
Viribus auſtrinæ rediens à cardine terræ.
Officij nomen retinet poſt funera, nam quòd
Seruijt hoſpitibus,cognomen ab hoſpite ſumpſit.

DE S. FAVSTINO ET Iouita.

BRixia Fauſtinum genuit comitemq; Iouitam
Iſte miniſtrabat ſacris,erat ille ſacerdos.
Ambo faces fidei claræ radioſaq; morum
Lumina ſanctorum, cùm rex Adrianus haberet
Imperium dominans lata ditione per orbem.
Hos horrenda duos,dum vult exti: guere Chriſtum
Et ſeruare Iouem,fecit ſpectacula Cæſar
Vrbibus,& populis,quot ſunt à fontibus olli,
Sebinoq; lacu procul vſq; ad Tybridis amnem,
Nam ſecum quocunq; ibat crudelia corda
Exaturare volens pœnis,& ſanguine diuûm
Aere cathenatos quaſi bruta obſcœna trahebat,
Et cruciatu ambos paßim afficiebat atroci.

In patriam demùm miſſi, cùm vincere poſſet,
Ingentes vis nulla animos poſt mille viarum,
Carceris, & famis ærumnas, poſt probra, minaſq;
Verbera, vincla, feras, ignes, capitale tulerunt
Supplicium, Februo iam decreſcente, dieſq;
Poſt decimum quintus cùm perueniſſet ad ortum.
Sicq; triumphato, cæleſtia regna, tyranno
Accepere, velut Graijs florentibus olim
Robore qui forti viciſſet olympia, ſignum
Perpetuæ laudis querna de fronde coronam
Accipiebat, & hoc illis decus eſſe ſolebat,
Non minùs, ac Romæ fuerint poſt bella triumphi.
Non referam quoties atro de carcere clauſis
Traxit eos valuis virtus diuina, ſilebo
Sancta miniſterio niueæ translata columbæ
Liba, quibus ſuberat panis ſub imagine Chriſtus.
Prætereo baptiſma datum cæleſtibus vndis,
Nam quia non aderat lympharum copia, nimbus
Affuit, & ſubitum nubes defluxit in imbrem.
Hæc & plura breui non attingenda relatu,
Tranſeo, venturi facient hæc cognita vates.

DE CATHEDRA
S. Petri.

PEtre gubernator noſtræ ſanctiſſime cymbæ
Luce bis vndecima vernas Februarius auras
Spirat, & exultans ſecum tua feſta reportat,
Quæ veteres noſtræ gentis dixêre Cathedram.

Nominis

Nominis iſtius paucis oſtendere cauſam
Præſtat, & annales priſcarum euoluere rerum.
Vrbs antiqua, potens, opibus longè inclyta magno
Nomen ab Antiocho ducens quà currit Orontes,
Eſt ſita in Aſſyrijs vrbs florentiſsima campis.
Hic Chriſti primæua domus conuenit ab omni
Iudæa, Solymæ fugiens odia aſpera turbæ.
Hic ſibi cognomen Chriſti de nomine tractum
Impoſuit, quod mox totum migrauit in orbem.
Neu foret ancipiti creſcens Eccleſia vulgo
Par, fecère gregis patrem ſummumq́ magiſtrum
Ionigenam Petrum, ſacraq́ in ſede locarunt
Communi conſenſu hominem, ſedemq́ ſenatus
Pauper, & aſtantes appellauêre Cathedram.
Nomen id Argolicum, quod iam Romana recepit
Lingua, quod Europa nunc eſt venerabile tota,
Ipſa magiſterium, diſciplinamq́ paternam
Significat ſedes, ſub qua ſubſellia vulgus
Accipiunt legis documenta audire paratum.
Ergò ſacerdotum ſemen regale genuſq́
Pontificum ſolio populi venerantur in iſto.
Ite reuertentem ſolenni more Cathedram
Suſcipite, antiquos ritus abolere deorum
Solliciti, gentes quando regnabat Apollo,
Iuppiter, & Mauors iſtis conferre diebus
Ad tumulos, (tanquam manes ſilicernia poſcant,)
Solennes epulas, & adorea liba ſolebant.
Inter Sarcophagos fumabant viſcera plenis

Lancibus,& nigri ſtabant ad buſta lebetes,
Atq; coronati flauo crateres Iaccho.
Iſta ſuperſtitio ducens à manibus ortum
Tartareis,ſancta de relligione faceſſat
Chriſtigenum,viuis epulas date,ſacra ſepultis.

DE S. MATTHIA.

MAtthia donate Deo ſic namq; Latino
Diceris eloquio,lingua Theodorus Achiua,
Nomina res ſequitur:nã cũ poſt funera Iudæ
Sacrilegi vellet fractum reparare ſenatum
Et numerum ſupplere Deus,te lumine fuſo
Cœlitùs,& radijs circum tua tempora miſſis
Illuſtrauit,& hoc dignum monſtrauit honore.
Hæc ſors illa fuit quam coràm patribus olim
Te ſupra cecidiſſe ferunt:apparuit iſto
Indicio,quidnam de te ſentiret Olympus.
Propterea lux hæc Martis vicina Calendis
Eſt ſacrata tibi,quoties adiungitur iſti
Vna dies menſi,quod fit cùm quattuor annos
Atropos occarit,vigeſimaquarta locanda eſt
Semper,hyperbolicæ ſedes ea debita luci:
Præter enim bis ſex menſes ſex continet horas
Annus,& ex iſtis quarto ſubnaſcitur anno
Vna dies horis ſexto finita Calendas
Martis,& hinc menſis vigeſimaquarta ſecundi
In geminas lux verſa dies bis ſexta vocatur.

Idq́ ideò talem nomen transfudit in annum.
Iulius hoc Cæſar diſtinxit tempora quondam
Ordine, & in partes diuiſit quattuor annum,
Quæ redeunt verſo ſua per veſtigia curſu.
At Deus in finem qui dirigit omnia, parti
Officium dat cuiq; ſuum. Nam frigore pulſo,
Attribuit Veri flores exordia frugum.
Primigenas autem fruges ſibi vendicat æſtas,
Vt corylos, pyra, pruna, cicer, frumenta, fabasq́,
Cætera ad Autumnum veniunt. At feſſa ferendis
Frugibus hyberno tellus ſub frigore dormit,
Ac reparat vires, & fit fœcunda cubando.
Contigit id præclarum illud dignumq́ notatu,
Quòd veluti patrum numerum ſuperadditus auges
Sancte ſenex, ſic quæ menſem producit, & auget
Lux tibi ſorte datur: poſitus pro limite talis
Sol tuus augmenti ſit caſu illuſtrior illo.
Sed mirum eſt quod fama refert, hunc ſcilicet annum
Ominis eſſe mali, ſolitumq́ offendere fruges,
Atq́ hominum varios infortunare labores,
Tum malè depangi vites, malè ſemina ſulcis
Rura putant credi, pecoris malè pignora naſci,
Semina pomorum pedibus conuerſa ſupinis,
Et capite in terram memorant adoleſcere miſſo.
Sæpiùs audiui cùm quis dare rebus agendis
Principium vellet, dici meliora require
Tempora, hyperbolico fruſtrà conaberis anno.
Nil tamen interpres cœli, nil Tuſcus aruſpex

Nil magus inuenit, quod dici debeat huius
Cauſa mali, quod virus agat tam triſte per orbem.
Quo fit, vt errorem nugis vulgaribus iſtum
Attribui debere putem; felicior iſte
Iudice me credi debet, quia longior annus.
Scilicet in ſyluis arbor magis ardua fertur
Dignior, in caulis taurus præſtantior alta
Cui ceruice magis caput à tellure leuatum eſt,
Grana magis laudant quæ ſunt maiora coloni,
Hæc mala Saturno quidam tribuêre, putantes
Sydus id infeſtum terris, diſcrimina in annos
Talia conſuetum ſemper transfundere quartos,
Sicut & in febri quam fert Saturnius humor,
Mittitur in quartum morbi violentia ſolem.
Sed tenebras palpant, cæcoq; errore feruntur.
Quiſquis enim neſcit rerum dignoſcere cauſas,
Effectus, vt ſcire aliquid videatur, Olympo
Imputat, ignorans iſtis defenditur armis.
Si tamen occulti quicquam fortaſſe veneni
Annus habet, tu ſancte pater qui ſydera calcas,
Et ſuper ex.elſi reſides curuamina mundi
His occurre malis, talemq; interfice peſtem.
De fato non vna tuo ſententia patrum,
Sunt qui pacifica dicant te morte receptum
In ſuperos, ſunt qui Romano more ſecuri
Percuſſum exhalaſſe animam, cùm ponere nolles
Sacra Ioui memorent, omnes vno ore fatentur,
Te poſtquàm longè ac latè Iudæa per arua

Perq;

Perq; Paleſtinas vrbes, Syriamq; per omnem
Erraſti, Chriſto famulans, in ſydera ſumptum.
Aſpice nos igitur cœli de ſedibus illis
Quas habitas, hodieq; meas bonus accipe voces,
Atq; tuam facias in nos deſcendere ſortem.

BAPTISTAE MANTVANI CARMELITAE THEOLOGI, FASTORVM Liber Tertius.

MARTIVS.

DE S. CYRILLO CARmelita.

Martius ingreditur Martis de nomine dictus,
Cuius vt annales perhibent, fuit inclyta proles
Romulus, à nato pater hunc accepit honorem.
Nunc ænigma vetus quo gignere filia matrem
Dicitur, explanat tempus, nam filia lymphæ
Eſt glacies, quæ nunc verſo parit ordine lympham.
Nunc quoq; montanis labens de rupibus amnes
Nix onerat, tellusq; gelu durata luteſcit,

Depoſuit canos, atq; ora ſenilia mundus,
Pubeſcitq; iterum. Zephyrus vitalibus auris
Peruolitat campos, & mille coloribus arua
Pingit, apes gaudent, iam ſylua repullulat, herbæ
Iam fruticant, proliq; domos metatur hirundo,
Indulgent ſoboli volucres, & carmine rura
Omnia lætificant, fuerit cùm Lucifer ortus
Vndecies nobis, Aries Hyperione gaudens
Hoſpite, diſcludet ſtabulis armenta, gregesq;
Aequabitq; diem nocti, lucemq; tenebris.
Et cupiens ſolem, pote qui tenet inter Olympi
Lumina primatum, regali incedere pompa
Albeſcente die, primo cùm ſurget ab ortu
Secum aget inſignes ſtellas, Oriona, & Argo,
Aurigam, ſeptem nymphas Athlantides, Hædos,
Et Iouis altricem, nebulas quæ gignit & imbres.
Huius vt ad diuûm redeam ſolennia menſis
Sexta dies Cyrille tuum venerabile nomen
Commemorat, ſacrasq; tibi famulamur ad aras.
Te ſacro dignum pietas celeberrima cultu
Et doctrina facit, geminæq; peritia linguæ,
Graius eras doctus primùm præcepta Lycæi,
Quicquid habet frugum ſapiens Academia, quicquid
Porticus à varijs nomen ſortita figuris
Pœcila, verſaſti ſtudioſæ in flore iuuentæ.
Nec diuina tibi minùs explorata fuêre
Scrinia, cùm flores in frugem tranſtulit ætas.
Inclyta Carmeli traxit te gloria montis

Longiùs, & fecit peregrina inuiſere regna.
Vulgares igitur fugiens moresq́, domosq́
Vertiſti ad Solymos, & corda, & vela penates.
Cæſariæ mens eſt in finibus, æquora propter,
Vertice ſublimi ſurgens in ſydera ſyluis
Vndiq́ crinitus, ſtatio placidiſsima ſemper:
Nam cùm friget hyems, & ſolis, & æquoris æſtum
Accipit, æſtatem frigenti temperat aura,
Heliæ magni quondam domus, illius inquam
Heliæ qui viuit adhuc vbi naſcitur Eurus.
Sanctificat locus hic homines: noua corda, nouosq́
Influit affectus, hic ſunt ergaſtula vitæ
Simplicis, & mundæ, qualem vixère parentes
Antè nefas primum. Diui labuntur Olympo
Sæpiùs, & ſanctis habitant cum patribus: Ergò
Argolicis illuc nauit Cyrillus ab oris.
Nec mora longa fuit, diuûm conſortia nactus
Euaſit diuinus homo, cùm ſacra litaret
Manè ſub auroram ſacra veſtitus abolla
(Res miranda) puer fulgenti ſplendidùs ore
Aſtitit antè virum liquidis ſuſpenſus in auris,
Argentumq́ docens annorum fata ſequentum
Protulit, & manibus pronis demiſit in aram,
Adyciens, Deus iſta tibi ſecreta reuelat
Sancte pater, tu fac populis ea nota Latinis.
Continuò mutans Romanis Attica verbis
Nomina ad Abbatem Siculum tranſmiſit, & ille
Confeſtim in Latium ſcholijs ad ſingula iunctis,

Quæ ſuperant, & habentur adhuc, paßimq́; leguntur.
Tu poſtquàm probitas tua ſe virtutis in altum
Felici profectu apicem prouexit ab ipſa
Gente tua, factus paſtor communis, habebas
Ius ſuper Heliæ totum genus, omnia iußis
Parebant Semnæa tuis Aſiana per arua.
Tunc noſtros Europa patres non nouerat, inter
Aſſyriæ montes loca per deſerta latebant,
Per ſyluas Arabum, Nili ſtagnantis ad amnem.
Aſt vbi barbaricæ gentis violentia tandem
Chriſtigenas omnes illis à finibus egit,
Annauere Cyprum, Cretam, Siculosq́; penates,
Et ſenſim Europam ſeſe effudêre per omnem.
Sarmaticos habitant agros, per Cimbrica viuunt
Littora, per terras magno quas gurgite cingit
Oceanus, fines vſq́; ad glacialis Hybernæ,
Vſq; ad Olyſponem, terras quæ terminat omnes.
Tu verò, venerande pater, per Medica cùm iam
Regna, per Armenias vrbes, Parthosq́; per omnes
Vndiq́; ſparſiſſes diuini ſemina verbi
Attritus grauitate æui, grauitate laborum,
Ad ſtata perpetuæ migraſti gaudia vitæ.
Aeternûm vale, & eſto tuæ cuſtodia genti.

DE S. GREGORIO.

CVrrite paſtores ouium, quæ paſcua tondent
Cœlica, quæ Chriſti fontes, & flumina potant
Currite, Gregorius Romanæ maximus vrbis
Paſtor

Paſtor adit ſuperos, totus lætatur Olympus.
Hæc Martis biſſexta dies, iam duxit Apollo
Frigore ab hyberno meliora ad ſydera currum.
Inſignis pietate pater fugitiua relinquens
Gaudia, & ad cœlum nixu conuerſus anhelo,
Vela dedit, noſtroq́; ratem de littore ſoluit.
Nomina, rura, domos, terrena peculia vendens
Emit opes immortales, patrimonia factis
Grandia cœnobijs (meminit Trinacria, Roma,
Aeliaq́; antiquis Luza appellata) reliquit.
Sic diues, ſic factus inops, & viuere adortus
Cœleſtem vitam in terris conſortia diuûm
Emeruit, ſicut quando ſub imagine nautæ
Naufragium paßi matris cratera recepit
Angelus, & rurſum quando inter prandia finxit
Nunc iuuenis, nunc ora ſenis, cùm ſacra litanti
Ante oculos Romæ diui reſponſa dederunt:
Et cùm Romanæ poſt tot crudelia gentis
Funera, Cæſarei reſidens in mole ſepulchri
Angelus abſcondit rutilantem cæde machæram.
Altus erat, fecit ſe humilem, potuitq́; putari
Decoxiſſe, tulit piceo veſtita cucullo
Tempora, purpureas veſtes pertæſus, & aurum.
Sed quantò magis ima petit, tantò altiùs alis
Præpetibus fertur, virtus eſt lucida, quanquam
Non velit apparet, ſoliq́; ſimillima mittit
Per rimas tenues radios, ſeq́; indicat ipſam.
At quid opus multis? Petro ſucceßit, & alto

In ſolio reſidens faſtum neſciuit, & ægra
Mente tulit ſummum tanquam graue pondus, honorē.
Ore, manu facundus erat: monumenta ſuperſunt
Plurima, fatur adhuc, nec fari deſinet vnquam.
Hic docuit cantare choros, melicisq́ animauit
Verba notis, ſacrisq́ dedit formamq́ modumq́.
Compoſuit mores hominum, ſua ſecula fecit
Sancta, ſacerdoti decus vſq; in ſydera miſit.
Sancte pater cymbæ cuius proreta fuiſti
Atq; gubernator, faueas, Scyllam, atq; Charybdim
Nunc legit, aduerſo Syrtes nunc remigat Euro.
Hac quoq; luce cruor Chriſti quem Mantua ſeruat,
Andrea monſtrante locum per multa cubanti
Somnia Adelberto, ſcrobibus veniſſe ſubactis
Dicitur in lucem, qua tempeſtate Beatrix
Inclyta Mintiadum campos vrbemq́ tenebat.

DE S. LONGINO.

SVnt qui Cappadocem, ſunt qui teſtantur Iſaurum
Te armorum Longine decus, Tu bella gerebas
Tempore quo nobis proles diuina ſalutem
Attulit, ipſe ſuas Mauors tibi dedicat Idus.
Octobris verò decimum tibi Græcia ſextum
Thure diem celebrat, multoq́ illuminat igne.
Rege ſub Auguſto ſub ſucceſſore fuiſti
Centurio. Demùm in foribus cùm lenta ſenectus
Iam foret, ad Chriſti crudelia fata cohortem

Iam lippis duxiſti oculis,& lumine tardo.
Tu cæcus non mente minùs quàm corpore ſanctum
Lancea,& admoto pectus mucrone petiſti,
Inde cruor confuſus aquis haſtilia circum,
In digitos lapſus tetigit cùm lumina,morbum
Suſtulit,iſta Deus collyria miſit,vt atram
Ex animo,ex oculis fugiens aoraſia nubem
Secum ageret,vitaq́; daret te cernere fontem.
At cùm vidiſſes ſolem ſine luce ſepultum
In tenebris,clauſamq́; diem,ſtellasq́; per altos
Apparere polos,colliſaq́; marmora frangi,
Atq; ſolum tanquam pelagus nunc ſurgere in vndas,
Nunc cadere alternis,volucres neſcire volatum
Præcipitesq́; dari,te abiecta protinùs haſta
Cum gemitu,& lachrymis in talia verba repentè
Prorupiſſe ferunt.Fuit ah,fuit iſte Tonantis
Progenies noſtro quæ ſe veſtiuerat ore,
Et nos inſenſati homines neſciuimus illum,
Quē modò deplorant elementa,& marmora,& aſtra.
Orbe peragrato demùm,Chriſtoq́; per omnem
Diuulgato Aſiam,cùm Pontica regna petiſſes
Emiſti Elyſios effuſo ſanguine campos.
Nam Iudæa tuum gens atrociſſima grandi
Eſt precio mercata caput,nec mente quieuit,
Donec in Aſſyrios illud de littore vidit
Translatum Scythico,Syriæq́; per oppida miſſum.
Sic voluit crudele odium ſaturare tuendo,
Atq; ſuum tam dulci eſca lactare venenum.

Tu tandem caput ipſe tuum ſine honore relictum
Diceris in ſomnis viſu monſtraſſe carenti
Fœminæ, & inſigni tumulo iuſsiſſe recondi,
Et nurui functæ tali pietate ſubinde
Reſtituiſſe acies, ac propulſaſſe tenebras.
Secula poſt aliquot tua ſunt translata per vndas
Corpora in Italiam Chriſti cum ſanguine ſacro
Ad crucis excelſæ quondam veſtigia lecto,
Atq; in vaſe breui tecum poſt fata ſepulto.
Vltima diuino ſedes tibi Mantua nutu
Hoſpitiumq; fuit, medijs vbi mœnia in vndis
Dicitur antiquus quondam poſuiſſe Bianor.
Hic requieſcis adhuc, tua ſunt coniuncta duorum
Oßibus oſſa virum qui te dum bella gerebas,
Dum noua per varias Chriſti miracula gentes
Sedulus inuulgas ſunt vſq; in fata ſecuti,
Et tecum poſt fata iacent. Communibus ergo
Supplicijs diui noſtros ſeruate penates.

DE S. IOSEPH.

SAncte pater veniens ab Hebræi ſanguine regis
Qui fuerat paſtor, tua ſunt natalia noſtris
Addita (ſic ſtatuit patrum prudentia) faſtis.
Te Deus in terris ex tot mortalibus vnum
Repperit, arcani fieres qui conſcius alti,
Cui benè virginitas magnæ ſanctißima matris,
Cui benè committi diuina infantia prolis

Poſſet,

Poſſet, & alterius ſecli ſurgentis origo.
Hinc tua quanta foret nobis cognoſcere fas eſt
Integritas, tua perſpicuis Deus intima corda
Inſpiciens oculis culpæ veſtigia vidit
Nulla, nec indicium ſcabræ rubiginis vllum.
Felix officio tali felicior illo
Synceri candore animi, quem rector Olympi
Intuitus ſubitò ad tantos te aſſumpſit honores.
Te tamen omnipotens talem formaret vt eſſes
Baiulus, & cuſtos ad munera idoneus illa.
Iſta tibi vt diuis, qui ſcire pericula poſſunt,
Communis tutela fuit, facienda monebant
Ipſe capeſſebas animo iuſſa omnia forti.
Ipſi aderant, quando Nilotica rura petebas,
Quando poſt cædem infantum, lamentaq; matrum
Quæ penetraſſe polos, & olympica tecta feruntur,
Inde reuertebas in auernum herodibus actis.
Poſt decimam lux nona tua eſt, tua templa ſacerdos
Velat, & ad numerum tibi tinnula verberat æra.
Verrit humum, legit areolis noua gramina tonſis,
Et poſtes vernare facit, frondere columnas,
Albentes ſplendere aras, redolere ſacellum.
Thura cremat, lentoq; ſuper myrrham infriat igni.
Græcia iam ſileat veteris Corybantes alumnos
Cuſtodesq; Iouis, finxerunt talia Grai.
At tibi (quæ loquimur non ſunt inſomnia, non ſunt
Vana) fuit data diuinæ cuſtodia prolis.
Nos quoq; ſub tanto nunc glorificatus alumno

n 2 Reſpice,

Reſpice, & optatum memor impertire ſalutem
Italiæ toti, noſtriſq; penatibus eſto.

DE S. BENEDICTO:

NVrſia montanæ, ſi vera eſt fama Sibyllæ,
Proxima nunc tendit vicos aulæa per omnes,
Aeraq; in excelſis alterno turribus ictu
Pulſat, & extollit lætos Eccleſia cantus.
Sacra cucullato Martis vigeſima patri
Prima dies oritur, qui relligionis amore
A teneris hominum conſortia fugit, & vrbes.
Huic nomen Benedictus erat, contraxit in vnum
Quotquot erant illa qui tempeſtate peroſi
Vulgaris ſtrepitum vitæ deſerta colebant.
Felix prole virûm tanta, taliq; parente
Poſteritas felix, niſi degeneraſſet ab illo:
Id commune tamen vitium fuit, orta ſeneſcunt
Omnia paulatim, quondam florentia regna
Nunc æuo conſumpta iacent, rapit omnia tempus,
Progenies huius longos imitata per annos
Acta patris diuos auxit, ditauit Olympum
Ciue nouo, Petri multis vertentibus annis
Functa magiſterio, ſcopuloſa per æquora cymbam
Rexit, & imperium Chriſti firmauit, & auxit.
Nunc quoq; poſt lapſum conata reſurgere ſumptis
Viribus ad priſcum decus aſpirare videtur,
Et tanquam primo quæ vere repullulat arbor

Se reparat, frugumq́ facit ſpem floribus amplam.
Ipſe pater poſt multa modis opera ædita miris
Quæ longus narrare labor, deceßit in alto
Vertice, quem veteres montem dixêre Caſinum,
Vndè malos priùs ipſe deos eiecerat: illum
Præcipuè Delphis, qui tot mendacia finxit,
Qui cuſtos Soractis erat, cui nomen Apollo.

DE ANNVNCIATIONE B. Virginis.

CVm Deus extremi vellet primordia ſecli
Texere, progeniem diuinæ mentis alumnam
Miſit, & humanæ veſtiuit imagine formæ.
Propterea miſſus ſummo legatus Olympo,
Cœlica qui matri ferret mandata futuræ.
Hæc fœtura recens cœlo mirabilis, orco
Terribilis, quia dijs priſcis fatale ferebat
Exilium, traxit Phœbo primordia ab iſto.
Mercurius qui tunc caſu veniebat ab orco
Vidit vt ex ſummo Carmeli vertice ſanctum
Gabriel allabi verſus florentia rura
Nazareth, inſidias metuens poſt illius iuit,
Virginis ad thalamos celeri, veſtigia, greſſu.
Limineq́; in primo reſidens audiuit eorum
Colloquium: nec cuncta tamen verba auribus hauſit.
Sed quia verſutus, quiddam deprehendit in illis
Arcani, quod ſe, diuos quod tangeret omnes.

Tum ſe proripiens Romam propè Leuctra deorum
Repperit ingentem cuneum, quibus omnia fatus.
Illi autem magno inter ſe trepidare tumultu
Incœpêre, Venus fleuit, Saturnia Iuno
Fleuit, & abiecta Pallas contabuit haſta.
Moxq; ait. O comites quodcunq; euenerit æquo
Ferte animo, regnum quod tempeſtate tenemus
Iam longa (fari inter nos licet omnia) furtum eſt.
Nos quoad ille ſinet cuius ſunt regna, fruamur
Imperijs, cùm nos regno ſpoliabimur iſto
Ad fraudes alias, alias vertemur ad artes,
Nec ſine lucro erimus, per vaframenta doloſq;
Dedecore, & damno Chriſti afficiemus alumnos.
Tunc princeps ſignorum Aries tria ſydera portans
Vertice, Delta vocant, primo ſurgebat ab ortu
Cum Titane, ſuos cùm iam philomela pararet
Edere per villas, & per viridaria cantus.
Exonerata gelu tellus gaudebat, & omnes
Floribus, & tenero vernabant gramine campi.
Hæc igitur præclara dies vigeſima quinta
Menſis apud veteres primi, damnata fugauit
Secula, & ætati fecit primordia ſanctæ.
Propterea non immeritò ſibi vendicat anni
Principium penes Etruſcos, & digna videtur
His titulis, viditq; Deum deſcendere ab aſtris
Antè alias, & prima fores aperire ſaluti
Digna fuit, commune bonum prior ipſa recepit,
Et commune decus, longis ſperata diebus

Dona Dei lux iſta dedit, laudabilis ergò
Gloria, quam miſit lucem Tyrrhenia in iſtam.
Tunc Deus æternis cœpit mortalia vinclo
Iungere perpetuo faciens hominemq́; Deumq́;
Perſonam coitu miro concurrere in vnam,
Tum ſuperi cœpêre homines reuerenter habere,
Maioremq́; operam noſtris impendere rebus,
Tum fœtura recens timidas ingreſſa per aures
Creuit in ignara coitus, & ſeminis aluo.
Nazareth exulta Libano contermina tellus
Carmelo vicina iugo, Phœnicia verſus
Littora quà Tyrus, & Sydon florere ſolebant.
Hæc arcana tui quondam vidêre penates
Iubila, & exulta fortunatiſſima tanti
Fama operis tellus, regio te prædicat omnis
Nulla ætas ſine laude tua deſcendit ab aſtris.
Ipſe tibi decus hoc tantum cœleſtis Olympus
Inuidet, & ſibi deberi hunc teſtatur honorem.
O rerum ſeriem æternam quæ pendet ab alto,
O magnas, miraſq́; vices quas ſydera voluunt.
Quas Deus importat, ſeclorum immobilis ordo eſt.
Ponite mortales curas, facit omnia cœlum,
Cœlo agimur, ſicut naues ſpirantibus Euris.
Sancta parens cui luce Deus communicat iſta
Splendorem, regnumq́; ſuum cui ſubijcit orbem
Terrarum, mundiq́; polos, dignare tuorum
Exaudire preces, & noſtra piacula ſolue,
Nec ſine nos ſtygijs ludibria manibus eſſe,

Quæ noſtrum interitum ſicut Tritonia dixit
Qui tua, quiq; tui quærunt opprobria nati.

BAPTISTAE MANTVANI CARMELITAE THEOLOGI, FASTORVM Liber Quartus.

APRILIS.

DE S. AMBROSIO.

APrilem Veneri ſacrum fecêre Quirites,
Quòd Venus Aeneæ genitrix, quòd cõdidit vrbem
Romulus Aeneades, Quòd verò ſemina rerum
Omnia, tellurem, fruges, aperiret & annum
Nominis id menſi fecit Romana vetuſtas.
Quarta dies eius magnum decedere vidit
Ambroſium, magnaq; polos conſcendere pompa.
Ipſe fuit terris clarum iubar omnibus. Vrbem
Quam Mediolanum dicunt, quia conditor eius
Brennus in his agris monſtroſum repperit aprum
Veſtitum partim ſetis, & vellere partim:
Seu potius quòd ſit fluuijs incluſa duobus,

Rexit,

Rexit, & abraſo fecit ſquallore nitentem.
Arrius humani generis lætale venenum
Legis in excidium natus, fideiq; ruinam
Polluerat gentes, totumq; infecerat orbem,
Præſertim Italiam. Tunc tota Inſubria fractis
Viribus ægrotans iſto in languore iacebat.
Ambroſius, qui tunc erat ex proconſule factus
Paſtor, in hanc hydram claua inſurrexit, & arcu.
Et velut Alcides alius Lernæa fugauit
Toxica, Niligenas abigens ab ouilibus hydros.
Nilus enim tulit hoc monſtrum viroſius omni
Aſpide, ſaxificæ crudelius ore Meduſæ.
Ambroſius verò genus à primatibus vrbis
Traxerat Aeneadis, & erat Romana propago.
Auguſtinus ab hoc ſancti vitalia fontis
Sacramenta habuit, fideiq; exordia rectæ.
Theodoſium mundi dominum delubra volentem
Indugredi vetuit, donec peccata dolendo
Ablueret: tulit æquo animo rex iurgia, tali
Maieſtate fuit venerandus, & indole paſtor.
Cùm populus paſtore carens veniſſet in vnum,
Et multa à multis ſuper hoc orata fuiſſent,
(Res eſt mira) Deus, qui conſulit omnibus æquè,
Venit in infantis linguam, populoq; ſilente
Ambroſium tali dignum clamauit honore.
Difficilem effectum res eſt ſortita, laborem
Hunc illo fugiente, Deus qui cœperat, ipſe
Conſummauit opus, victumq; in ſede locauit.

Vt ſuſcepit onus, mox tanquam manè rubentem
Sol ſuper auroram veniens effulſit, & omnes
Illuſtrans populos noctem ſubmouit opacam,
Fœcundauit agros animarum & ſemina culto
Sancta ſolo iaciens collegit in horrea Chriſti
Frugis in ingentes onus exurgentis aceruos.
In melius ſacros ritus, & ſancta reduxit
Sacramenta docens populos documenta nepotes
Illa tenent, & adhuc eius veſtigia ſeruant.
Scripta manent quæ quanta fuit prudentia in illo
Significant lingua quantum pollebat vtraq́;.
Cùm puer in cunis olim dormiret apertis,
Fortè labris examen apum ſuper illius ora
Sidit, & ingrediens buccas tenerumq́; palatum
Inueniſſe fauis tectum ſe credidit: at mox
In ſublime volans altos diſceſſit in Auſtros.
Hoc pater augurio lætus, ſi vixeris, inquit,
Chare puer, tua te mittet facundia ad aſtra.
Ipſe duos tumuli ſedem monſtrantibus ipſis
Martyras inuenit fratres, te ſancte Protaſi
Te pie Geruaſi quibus eſt poſt funera tandem
Additus hoc omni populo flagitante repertor.
Quarta dies Aprilis erat, quæ vidit aperto
Ambroſium ſupra ſcandentem ſydera cœlo.
Sancte pater, qui tanta potes, nos aſpice ab alto,
Italiæ pacem, populisq́; inſubribus ora,
Et placare Deum noſtro reminiſcere ſeclo.
Luce dies octauus ab hac ad ſydera ſeptem

Pleiadum,

Pleiadum, quæ ſunt tauri propè cornua ſolem
Transferet, & citiùs faciet diſcedere noctem.

DE S. LEONIBVS.

Pontifices aliquot qui ſe dixere Leones
Hic ſimul intexam: genuit Tyrrhenia primùm,
Qui velut annales memorant vigilantia, & alto
Ingenio rerum cauſas cognouit, & artem
Quæ docet excultis animos accendere verbis.
Hoc facile ex libris eius quos tempora paßim
Noſtra legunt, conſtare poteſt: quantum decus addat
Florida diuinis eius facundia rebus
Quis referat? nemo veterum me iudice patrum
Dulciùs eloquitur, nec plus antiquus Arion,
Orpheus, Amphion laudis meruiße videntur
Carmine, quàm pater hic proſa, & ſermone ſoluto.
Nec pietate minor nec relligione putandus
Quàm fuit eloquio, charitas diffuſa cucurrit
Per conſanguineos, per ruſtica tecta, per vrbes,
Per totum mortale genus, diſperſit in omnes
Quæ poßedit, vti fert omnibus omnia tellus.
Si libet illius mores percurrere ab ortu
Ad ſenium, Cilices intrare videberis hortos,
Olfacere hyblæos flores, & hymettia prata,
Perluſtrare Arabum ſyluas, vbi thura leguntur,
Cinnamaq́; , & ſecto ſtillans de cortice Myrrha,
In Iericontino credes te incedere tractu

Per

Per fruticum lucos humiles vbi balſama ſudant.
Tum nardi ſpirabit odor, redolebit amomum,
Quæq; per Eoos naſcuntur aromata campos.
Sic probitas diuos ſolet oblectare, Deumq;
Vt nos mortales harum fragrantia rerum.
Artibus his ad ſummum apicem peruenit honorum,
Ac tribus emeruit caput inſignire coronis.
Accipe rem, quæ perpetua digniſſima fama eſt.
Attila deuictis conuerterat agmina Carnis
Flaminiam verſus, ſub papilionibus Hunni
Prandebant, vbi lata Padi vada Mintius intrat.
Eridanus ſolito maior ducebat aquarum
Terrificam molem, ripiſq; iratus, & agris,
Ac velut indignans quòd liberè in arua vagari
Non poſſet, ſe vorticibus ſorbebat hiulcis.
Tum Leo pro Italiæ, Romanorumq; ſalute
Sollicitus de more patris ſine milite, & armis
Affuit, & contra tantam, formidine pulſa,
Barbariem fari eſt auſus: Compeſce furorem
Attila, nec tranſire amnem (Deus imperat) aude.
Hoc ſermone ferox princeps mutare coactus
Propoſitum, vidiſſe duos in vertice ſummi
Pontificis nudo enſe viros, ſibi fata minantes
Dixit, & ex illis abijt perterritus oris.
Effigies ſancti viſas in vertice patris
Non dubium Petri & Pauli ſimulachra fuiſſe,
Vtpote quos Italis Chriſtus præfecit, & vrbi.
Tum Chalcedonijs habitum regionibus ingens
Concilium,

Concilium,quo Neſtorij veſaniaq; peſſum
Corruit,& Mannis proiecta volumina in ignes.
Tum quoq; Vandalicæ quæ Punica regna tenebant
In furias actæ gentes,ad littora Romæ
Nauibus appulſis prædam rapuere,domumq;
Per Libycos fluctus plenis abiêre carinis.
At Leo bis denas cùm iam regnaſſet,& vnam
Tandem hyemes obijt curis oppreſſus & æuo,
Vndecimo quarti menſis Titane reuerſo.

TErtius in regno primi peruenit ad annos,
Atq; diu Romanorum fœdiſſima paſſus
Iurgia,dãna,minas,iter eſt ingreſſus ad Alpes,
Vt ſibi Gallorum regem ſociaret,& illo
Auſpice terrorem Romanæ euaderet iræ.
Dum meat audito ſancti rumore cruoris
Nuper adinuenti,greſſum conuertit ad vrbem,
Nomina cui fecit Virgo Cadmëia Manto,
Et quæ purpureus ſanguis faciebat in horas
Mira opera intuitus,credi debere putauit
Effuſum noſtra pro libertate cruorem.
Imperij tandem Roma applaudente coronam
Impoſuit Carlo,tantiq; inſignia regni.
Mox poſuit mortalem hominem cùm proxima cancro
Iam biſſexta dies Iuni producere noctem
Vellet,& æſtiuum retrò conuertere ſolem.
Iſmaëlitarum propè Tybridis hoſtia QVARTVS
Fregit mille rates,traxit noua mœnia ab arce

Pontis, ad aduerſi delubra ingentia Petri.
Septima poſt decimam Iuli ſurgebat ab ortu
Cum mœrore dies quando pia funera duxit
Roma patris tanti, ſacroq; in marmore clauſit.

NVnc decimus Leo Tyrrhena de gente futurus
Præteritis ſicut numeri prænuntiat omen
Grandior, imperiũ Petri cymbamq; gubernat
Per varios vitæ caſus mortalis euntem.
Ipſe quidem claris à progenitoribus ortus,
Et teneris ſemper mores ſactatus ab annis
Ingenuos, ſtudijs etiam quibus illa vetuſtas
Optima nobilium natos ornare ſolebat
Præditus, excellens aliquid promittit & altum.
Magna gerendarum ſupereſt tibi copia rerum
Sancte pater, rẽ magnam animo complectere grandi.
Sed tria præſertim reſtant cura atq; labore
Digna tuo, bellum eſt primum, quo feſſa laborat
Italia, & pleni humano iam ſanguine campi.
Eſt aliud, Romana graui maculata veneno
Curia, quæ ſpargit terras contagia in omnes.
Poſtremum eſt oppreſſa fides expoſta rapinis
Vndiq;, & in prædam populis proiecta cruentis
Iſta tuis animoſe Leo ſeruata diebus
A te ſubſidium magnis clamoribus orant.
Sancte pater ſuccurre Leo, reſpublica Chriſti
Labitur, ægrotatq; fides iam proxima morti.
Si potes ex noſtris bella hæc crudelia regnis

Tranſ-

Transfer in aduerſos diuinis legibus hoſtes.

DE S. GEORGIO.

Ecce Dionæi vigeſimatertia menſis,
Militiæ patri, lux eſt ſacrata tribuno,
Miles adeſt, prodit nitidis Georgius armis,
Et femori hærentem dextra complectitur haſtã,
Tertia iam tauri pars eſt ab Apolline vernis
Veſtigata rotis, æſtas frondoſa propinquat,
Pleiades aſcendunt placidum ſe nauibus æquor
Præbet, & ad Zephyros laxant ſua carbaſa nautæ.
Miles adeſt, votiua nouo fer dona Gradiuo.
Thraxerat, vt fama eſt Mauors, Georgius autem
Leucoſyrus, Graij ſic appellare ſolebant
Cappadoces, namq; illa Syris eſt proxima tellus,
Quà iuga ſublimem Taurus ſua porgit in auram.
Vltima ad algentem mittit veſtigia pontum,
Ipſa viros genuit fortes, belloq; ſuperbos:
Verùm alios omnes tantum Georgius anteit
Argolicos, quantum magnus præceßit Achilles,
Iliacos Hector, Mauors Oeagrida gentem.
In Libyam mißus renouauit Perſea, quando
Regia ab interitu ſeruata virgine monſtrum
Suſtulit, ad trepidæ ſtagnum lugubre Silenæ.
Inde Palæſtinam veniens ea regna Latinis
Regibus infrenans gentem crudam atq; rebellem
Reſtituit, iuga Carmeli conſcendit, & alto

Repperit

Repperit in ſaltu noſtros habitare parentes.
Hi ſuaſere duci penitùs deponere ſumpta
Arma toga, & vitæ genus vſurpare quietæ,
Seq; ſuper vacuis armorum abſoluere curis.
Ipſe bonos igitur monitus audiuit, & hauſit
Mente Deum tota. Sed dum ſublimia ſemper
Voluit facta animo teneris ita doctus ab annis,
Conſtituit forti vitam finire duello.
Ergò per Aſſyrias, ſi quos audiuerat vrbes
Chriſtigenas tormenta pati pullo vſus amictu
Quem noſtri poſita armorum ferrugine patres
Tradiderant (ſecli faſtum ſic vicerat omnem)
Ibat, & in pœnis poſitos animabat ad aſtra.
Talibus incumbens operis Nabathæa petiuit
Arua, ſubintrauit Perſas, vbi flagra, rotaſq;
Ferrum, ignes paſſus, migrauit in æthera tandem.
Maxime bellorum rector, quem noſtra iuuentus
Pro Mauorte colit, pro Pallade, reſpice terras,
Armorumq; graues iras, quas ſuſcitat orcus
Comprime, & expulſo duc aurea ſecula ferro,
Fac ſtygios procul ire canes, fac barbara regna
Et fidei noſtris arceri à finibus hoſtes:
Da noſtris animos populis, & regibus, arma
Noſtra per Armenios ſignis victricibus ire,
Perq; tuo facias conſperſos ſanguine campos.
Neu ſinito Auſonias Turcos equitare per vrbes.

DE S. MARCO, ET FORmis Euangeliſtarum.

Marce comes Petri quondam, Leuitica proles,
Cui faciunt vates os effigiemq́ leonis
Vt perhibent quidam, quorũ ſententia neruis
Nititur infirmis, & cruribus ambulat ægris.
Exit enim de ſomniferæ caliginis vmbris
Inſcrutabilibus vatum monſtroſa loquentum
Viſa per ambages hominem ducentia longas.
Quo fit, vt interpres nullus cognouerit illas
Quattuor effigies, quæ diſtribuuntur in iſtos
Quattuor autores, ideò diuerſa loquuntur.
Nec ſapiunt vnum, tamen hæc inoleuit vbiq;
Perduratq́ fides librorum exordia propter,
Vt Matthæus homo, Marcus Leo, prima Ioannes
Sit volucris, Lucas creſcens in cornua taurus.
Marcus enim regale aliquid dignumq́ leone
Principio fatur: ſonat alta arcana Ioannes,
Et penetrat ſtellarum ingens viſu atq; volatu.
Ingreditur Matthæus humi, dum ſanguine Chriſtum
Ducit ab humano. Lucas velut hoſtia ad aras
Ducta ſacerdotum primus ſonat orgia verbis.
Talibus antiqui dictis ſecreta laborant
Declarare tuæ patres myſteria formæ.
Sed quid opus vana conſumere tempora nixu?
Hæc tua Marce dies quæ naſcitur antè Calendas

Septima cùm redolens tellus parit omnia Maias.
Tu recitas breuibus Chriſti miracula chartis.
Indice te carni primùm didicêre ſalutem
Quã ſtetit in campis Aquileia paluſtribus olim.
Vrbs Aquileia potens magnaq́; Colonia Romæ.
Tu petis Aegyptum peregrina per æquora vectus,
Multaq́; pro Chriſto Tharijs perpeſſus in oris
Dum per humum traheris coniecto ad colla rudente
Occĩdis,& terras fugiens aſcendis olympum.

LITANEA MAIOR.

HAc maior quoq́; luce meat Litanea per vrbes
Ac per rura procul clamore per aëra miſſo.
It populus ſupplex longis per compita pompis
Manè recens viridi dum ros in gramine lucet.
Protulit hunc olim morem dum peſtifer annus
Mauritio Romam premeret ſub Cæſare maior
Gregorius,quando paßis apparuit alis
Angelus Auguſtæ ſuper alta cacumina molis.
Pòſt multis Veneti ſeclis tua membra tulerunt
Per maris Adriaci fluctus ad mœnia gentis
Prima ſuæ,quæ dum magno ſe Proteus æſtu
Exonerat,procul effuſis circumnatat vndis.
Et delubra tibi mißis ad ſydera tectis
Protinus eximio poſuêre ingentia cultu.
Tempore tu ex illo Venetis tutela fuiſti
Pace domi,belloq́; foris,terraq́;,mariq́;,

Te duce Turcorum toties fugêre tumultus,
Euaſere minas,& vim regum armipotentum.
Conſilium,vires,animos,aurumq́; dediſti.
Et nunc aduerſis oppreſſi caſibus orant
Subuenias,nec regna ſinas antiqua tot annis
Auſpicio ſeruata tuo prædam hoſtibus eſſe.
Neu decus Italiæ tantum patiare repentè
Prolabi,neu des Arabis hæc gaudia regnis.

DE LITANEA MINORE.

ANtè triumphali Chriſtus quàm ſydera pompa
Conſcendat, Litanea minor per rura per vrbes
Incedit,tres manè dies pulſantibus æra
Turribus,& ſparſis paßim cũ floribus herbis.
Tum floret Roſa Veris honor,tunc lilia candor
Explicat,& campos apis innuba paſcit apertos.
Vrbs ſedet ad Rhodanum,Galli dixêre Viennam,
Quæ tulit aduerſos caſus paſtore Mamerto,
Et longùm vexata fuit:nam fulmine crebro
Arſit, & horrificis terrarum motibus arua
Sciſſa dehiſcebant rimis penetrantibus vſq;
Ad ſtygios manes,vbi ſunt Iouis antra profundi,
Adde lupos,qui tartareis agitantibus vmbris
In furias acti,ne dum iumenta per agros,
Audebant laniare homines,& in vrbibus ipſis.
Caſibus his perculſi omnes diuina coacti
Quærere ſubſidia, & diuos excire precando.

Hic traxit Litanea ortum, tranſiuit in omnes
Relligio ſimilis, paruo poſt tempore gentes,
Quæ quoq; nunc agitur, ſed non pro cladibus illis,
Sed pro fruge noua, pro pubeſcentibus agris,
Pro canis Icarij morbis æſtuq; maligno.

DE ANNO IVBILAEO, MVſica, Organis, & Campanis.

NEc contenta fuit ſolis dare feſta diebus
Poſteritas Chriſti, feſtos quoq; reddidit annos.
Mos erat Hebræis, & lex ita priſtina ſanxit,
Vt decies quinto per cuncta reſurgeret anno
Oppida libertas. Tellus venundata primos
Ad dominos rediens nullo vexata bidente
Ocia ducebat, ſimplex natura per agros
Gramina fundebat paßim ſine ſemine & arte.
Liber erat ſeruus proprioſq; redibat ad agros
Lætus, & irriguis per paſcua fontibus vda
Cum gregibus paſtor ducens armenta canebat.
Huic anno cognomen erat Iobelæus, ab ipſo,
Quod Iobel appellat ſoboles Abramica, cornu,
Clangebant etenim rauco per compita cornu,
Libera ſolenni celebrantes tempora ritu.
Iſacidas imitans morem hunc prudentia noſtræ
Gentis ad humanos animos poſt plurima tandem

Secula

Secula conuertit, ſed tanti gaudia plauſus
Diſtulit in centum paſtor Bonifacius annos.
Mox autem ritu Clemens diſceſſit ab illo,
Et poſt luſtra decem voluit tam læta reuerti
Tempora, & inſontes fieri qui limina Petri
Cæteraq́; excelſæ peterent ſacraria Romæ.
Propterea quoties hæc fauſta reuertitur ætas
Vndiq́; ab extremis terrarum finibus ingens
Turba coit, Romamq́; petens rura implet & vrbes.
Pontificum princeps iſto ſolennia Paulus
Stare loco vetuit, quoniam breuiata putabat
Tempora mortalis vitæ: Vigeſimus ergò
Quintus in hos tantos annus peruenit honores.
Iudice me, concors vero ſententia non eſt,
Tempora quæ dicit vitæ breuiata, ſuperſunt
Nunc quoq́;, qui viuant centum vel circiter annos
Incolumes, vidi ipſe hominem, quem diceret annos
Vndecies vixiſſe decem vicinia tota
Ire ſuis alacrem plantis, & viribus vti,
Nec ſe deſidiæ, nec inerti dedere ſomno.
Sub Carolo quondam magni cognomen habente
Miles erat, cui ſi qua fides annalibus eius
Temporis eſt, Deus indulſit tria ſecula vitæ.
Fatidicus Dauid paulò poſt tempora Troiæ
Rex apud Aſſyrios vitam ſe extendere dixit
Ad decies octo vſq́; hyemes fortiſſima nactus
Corpora, & id tempus ſupra reſtare dolores
Aerumnaſq́; graues, & cuncta ſimillima morti.

Quòd ſi nec tunc maior erat mortalibus ætas
Quàm modò ſit, quonam pacto breuiata putari
Vita poteſt? Prima de tempeſtate ſilendum eſt,
Quæ fuit antè dies Noë, cùm terra profuſo
Non fuerat corrupta mari, tunc omnibus herbis,
Frugibus arboreis, virtus erat inſita maior,
Atque magis natura potens extendere vitam
Vlteriùs poterat, ſed in his conſumere tempus
Dedecet, aſſumptus curam labor arguit iſtam.
Ergò dies verſus mea cymba reuertere ſacros.
Sed tamen antè libet poſtquàm de calle parumper
Pagina diuertit, quoſdam percurrere mores,
Quos vetus adiunxit noſtris Eccleſia ſacris,
Laudatura Deum, diuosq; per omnia poſtquàm
Regna datum libare palam cordata vetuſtas
Impoſuit verbis numeros, quia Muſica mentes
Eleuat, & ſuperis iungit mortalia corda.
Corripit humanos animos, & in ardua mittit
Cùm libuit pacis, belliq; negocia cantus,
Aſpice quot gyros, quot ruſtica tibia ſaltus
Excitet, & quantos adigat perferre labores.
Tota dies abit in choreas, ſudoribus ora
Pectora, terga madent, nec adhuc cerita iuuentus
Sentit onus, poſtquàm leuibus per compita plantis
Proſilijt nigram in noctem Titanis ab ortu.
Quid tuba, quid litui, quid bombo cornua rauco.
Tympana quid poſſit, quoties Mauortius ardor
Ingruit aduertas, ſaliunt in ſpicula, in enſes,

Obijciunt ſe tormentis, in ferrea currunt
Fulmina mortales, & in ipſa tonitrua ahenæ
Machinæ, & incauti nigro abſorbentur auerno.
Hinc ea quæ recitant de te miracula vates
Orpheu, quæ Amphion fecit, quæ fecit Arion.
Propterea cupidi nil prætermittere patres
Quod pòſſet prodeſſe animis, ad verba ſonantes
Applicuêre modos, vt ſegnia corda mouerent.
Nec laſciua tamen prolabi in carmina fas eſt,
Qualia ludebant Phrygij muliebribus apta
Blanditijs: grauis, & ſimplex, & maſcula noſtris
Eſt adhibenda choris deraſo muſica luxu:
Ipſa malos etiam manes cùm noſtra ſubintrant
Corpora compeſcit, Solyma qui primus in aula
Sceptra tulit Saulem tali medicamina morbo
Quo vexatus erat medicam quæſiſſe per artem
Commemorant, fidibusq; larem placaſſe ſonoris.
Adiunxêre etiam molli conflata metallo
Organa: quæ feſtis reſonant ad ſacra diebus.
Aes quoque cui nomen noſtras campana per oras,
Quòd veluti, perhibent, illud Campania primum
Repperit, ad plebem diuorum in templa vocandam,
Adque coërcendos lemures, cùm nubila venti
Conglomerant, plenisq; volunt infligere campis
Perniciem, ſcopulisq; vagas allidere puppes.

BAPTISTAE MANTVANI CARMELITAE THEOLOGI, FASTORVM Liber Quintus.

MAIVS.

DE S. IACOBO APOſtolo.

MAie tuas faciunt celebres duo feſta Calendas,
Atq; ſimul veniunt lucem duo gaudia in vnam.
Manè ſub auroram cùm matutinus in herbas
Ros pluit,& Terei queritur Philomela rapinam,
Cùm ſoror occluſas nidi memor ante feneſtras
Excubat,& garrit,iuuenes gradiuntur onuſti
Frondibus,& larium figunt ad limina ramos.
Mentibus has Maius curas inſpirat,amorem
Excitat,& dulci vegetat præcordia cœlo.
Roma vetus nomen tulit à ſenioribus iſtud
Atq; dedit menſi,Sacer eſt maioribus ergò
Maius,& vt decimo Titan emerſerit ortu
Intrabit geminos,vbi nuda renaſcitur æſtas.

Sunt

Sunt tamen æſtatis qui dent primordia cancro,
Autumnumq́; velint naſci cum ſydere Libræ,
Ver cum lanigero ſignorum principe, brumam
Surgere cum Capro: Nam ſunt ea ſydera quædam
Phœbææ menſura viæ, duo namq; reportant
Aequidium duplex, pacato frigore, & æſtu,
Et duo cùm cœli redit inclementia duplex,
Solſtitium duplex, nec diſſentimus ab iſtis,
Sed vulgata magis potior ſententia viſa eſt.
Iſta dies Iacobe tibi, tibi ſacra Philippe,
Hæc nemorum vobis damus ornamenta comantum.
Tu Chriſti ſobrinus eras Iacobe, vocabant
Te Domini fratrem comites, quia vultus vtriq;
Vnus erat, Solymis paſtor tu primus in oris,
Myſtica ſupremæ referens conuiuia cœnæ.
Tu primus cyatho, primus tu pane litaſti.
Tu iuſtus, tu ſanctus eras: cognomina turbæ
Hæc tibi tradiderant, Chriſti poſt funera, fama eſt,
Te toleraſſe famem donec redi- imus ab vmbris
Exijt, & menſæ iuſſit te accumbere Chriſtus.
Deniq; tu celſo templi de culmine præceps
Miſſus es, atq; odio Chriſti percuſſus acuto
Stipite, & excuſſo translatus in aſtra cerebro,
Hanc putat ob noxam Ioſephon qui patria bella
Texuit, Hebræorum vrbem cecidiſſe ſuperbam,
Fataq́; Iudaicæ veniſſe nouiſſima genti.

O 5 DE

DE S. PHILIPPO APOſtolo.

TE verò qua voce canam, quo carmine dicam
Paſſe tot inſidias lemurũq; hominũq; Philippe?
Tu Chriſtũ inuulgans Cronij petis æquoris orã,
Barbara gens totas hyemes vbi ducit in vmbris,
Et ſine ſole dies ſemeſtri in nocte ſepultos,
Sol vbi tranſacto factus iam mitior æſtu
Tranſijt in Libram, donec cum Vere reſurgat
Principium ſignorum Aries in vellere fuluo.
Ad ſtatuam Martis tractus ſub mole latentem
Marmorea feciſti atrum prodire draconem,
Cuius vt aſtantes ſpirando hauſêre venenum,
Peſtiferamq; animam vel deceſſere repentè,
Vel morbo iacuêre graui: Marte indè remoto
Fixiſti pro Marte crucem quæ protinùs ægros
Reſtituit, vita functos reuocauit ab orco.
Arctico ab Oceano remeans per inhoſpita montis
Veniſti iuga Riphæi, per Sauromatarum
Littora, per Ianaim, per Thermodoontica rura,
Per Pontum, per Cappadoces, Bebrycis ad oras,
Ad Phryges antiquæ ſteterant vbi mœnia Troiæ.
Hìc tibi meta fuit tandem vitæ atq; laborum.
Hìc graue ſupplicium crucis, & crudelia paſſo
Vulnera ſtelliferi patuit tibi limen Olympi.
Tunc te per varios caſus per multa ſecutæ
Regna duæ doctæ fari præſagia natæ

In

In Phrygia tecum paſſa, tecumq́ ſepultæ.
Diui, quorum hodie laudes exaggerat omnis
Mundus, ad Italiæ pacem conuertite curam.
Cuſtodite nouas glaciali à grandine fruges,
Atq; ſalutarem pulſis date febribus annum.
Veſtra ope terrigenis ſint omnia læta colonis,
Et veniens nobis bona ſit mortalibus æſtas.

DE S. ATHANASIO.

Natus in Aegypto primos Athanaſius annos
Graiorum excoluit ſtudiis, lanugine verò
Iam fruticante viam recto quæ tramite ducit
Ad ſuperos tenuit, verùm tamen inter eundũ
Incidit in plures ſcopulos, variasq́; charybdes.
Arrius illius ſecli teterrima peſtis
Tunc viuebat, in hunc totis Athanaſius armis
Iuit, & hoc vidit primùm Nicæa, ſecundò
Laodicæa, patres vbi conſedere parati
Virus id infernum, ſtygiamq́; extinguere echidnam.
Laodicææ etenim, conflictu percitus acri
Arrius effudit, ſic expoſcentibus eius
Iamdudum meritis, vtero inteſtina ſoluto,
Et phlegetontæis hodie quoq; in ignibus ardet.
Præbuerat ſectæ Cæſar Conſtantius aurem
Tam ſtolidæ, & contrà noſtros nudauerat enſes.
Catholicorum ideò princeps Athanaſius orbe
Pellitur ex toto, terras incognitus omnes

Permeat,

Permeat,& paulò quàm cladem incurreret iſtam
Vrbis Alexandri cuſtos euaſerat antè.
Sed precibus tandem fratris qui regna tenebat
Gallica, mutauit mentem Conſtantius. Ergò
Liber ab exilio patrias Athanaſius oras
Inuenta iam pace tenet, ſed & altera paruo
Tempore pòſt orta eſt nubes à flumine Lethes:
Accuſatus enim duplici de crimine iuſſu
Cæſaris, ad Tyriam multis cum patribus vrbem
Tendit, vt à cunctis vnus damnetur, eatq́
In primum exilium, terrasq́ perambulet omnes.
Vnum crimen erat ſtuprum, truncata miniſtro
Dextera, conſueto ſacris ſeruire, ſecundum.
Sed Deus eliſit tantas hoc ordine fraudes.
Fœmina quæ fuerat ſtuprum mentita, repentè
Succubuit, Nam cùm Iudex aßiſtere quandam
Perſonam, quæ rem ficto prætenderet auſu,
Feciſſet, ſe ſtare putans antè ora Athanaſi,
Cœpit eum mulier duris inceſſere probris,
Atq; inceſtati falſò inſimulare pudoris,
Sic neſcire hominis, quem contrà venerat ora
Eſt deprenſa, palàm ſic fraus eſt prodita fraude.
Cùm verò mox antè patres prolata fuiſſet
Dextera, quæ ad ſcelus hoc erat indagata probandum,
Continuò adductus Scythici ſub imagine verna
Affuit, atq; manum tendens vtramq; miniſter
Diluit infamem maculam mirante ſenatu.
Talibus inſidijs functo gens perdita patri

Obiecit

Obiecit magicas artes, quòd ludere ſenſus
Sciuerit humanos, & facta infecta videri
Fecerit, exilio rurſum mulctatur atroci.
More feræ per luſtra meat, per opaca vagatur
Antra, bibit fontes, & gramina paſcitur vt bos.
Imperio tandem ſucceßit apoſtata Cæſar,
Et quò principium regni iucundius eſſet
Omnibus, ad proprios fecit remerare penates
Pontifices, quos audierat de finibus actos.
Sed breuis hæc fortuna fuit: cùm namq; videret
Imperij firmata ſui primordia, rurſum
Egit in exilium cunctos, Athanaſius vrbe
Pellitur, & repetens ſyluas, pecudumq; latebras,
Symbolon in crypta fertur ſcripſiſſe latenti.
Ad patrios alio demùm ſub Cæſare fines
Venit, & æternam moriens in pace quietem
Poſt tot fortunæ ambages inuenit Olympo.
Ille dies Maio fuit ingrediente ſecundus
Nuper adinuentæ celebrem crucis antè triumphum.

DE INVENTIONE S.Crucis.

TErtia lux deuota cruci, quæ ſecula tandem
Poſt tria iam requie noſtris apparuit ort
Conſtantinus enim cùm pugnaturus ad vrbem
Vindicibus diuis veniſſet, & auſpice Chriſto
Somnia per noctem vidit cœleſtia, in alto

Aëre

Aëre fundebat magnam crux aurea lucem,
Atq; notis ſuberat carmen ſplendentibus iſtud:
Conſtantinus in hac vincet. Vexilla repentè
In cœlum ſimili effigie ſignata leuauit.
Vicit, & in patrium cecidit Maxentius amnem,
Tunc Helenam regis matrem, quæ ſomnia nato
Audierat narrante bonus furor egit ad vrbes
Protinùs Aſſyrias, vbi crux inuenta citatis
Confeſtim Hebræis veteriq; è rudere tracta.
Et quia tres tellure cruces iacuêre ſub vna,
Vera modis patuit miris, impoſta cadauer
Quod tunc ad tumulum turbis comitantibus ibat
Reſtituit vitæ, res non conceſſa duabus,
Quæ tulerant Chriſti ſocios in morte latrones.
Id regina videns opus admirabile, lignum
In geminas ſecuit partes, vnamq; reliquit
Argento incluſam Solymis, pro munere grandi
Detulit ad natum clauis cum quattuor vnam,
Et triplicem titulum, noſtris quem repperit annis
Fortè faber reparans eius laquearia templi,
Quod rex ipſe cruci Romæ conſtruxerat olim.

DE S. CYRIACO.

HAec crucis inuentor Iudas miracula cernens
Exuit antiquam mentem, poſuitq; veternum,
(Scabriciemq; animi fluuialibus abluit vndis)
Et mox in Solymis eſt factus epiſcopus oris,

Iuda

Iuda in Cyriacum verſo,qui tempore longo
Pòſt obijt,cùm iam regnaret,apoſtata Cæſar.
Cæſar hic inconſtans,ſuperis inimicus & orco,
Dum peteret Perſas Iudam violenter adortus
Mille modis hominem ſtuduit peruertere,dextra
Multatum liquidi merſit ſub balnea plumbi,
Tranſtulit inſtratum ferri candentis,in alta
Horridaq; iniectis primùm ſerpentibus antra,
Inferuens oleum:ſed cùm fruſtrata tyranni
Spes foret in pectus merſit càpulo tenus enſem,
Vinclaq; diuinam ſecuit retinentia mentem.
Corpus in Anconem longinqua per æquora vectum
Secula poſt aliquot ſublimi in monte recumbit.
At cùm Maius agit quartum ſuper æquora ſolem
Cyriaco tunc æra ſonant,tum iubilat Ancon,
Totaq; ſubiecti gaudent freta cærula ponti.
Eſto igitur ſuperi cuſtos maris: omnia longè
Littora diue precor ſerua.Picenus & Vmber,
Flaminius,Samnis te protectore biremes
Non metuant Phrygias,nec ſint præda obuia Turcis.
Marcus erat cuſtos huius maris,heu graue noſtris
Excidium regnis,cuſtos iam deſinit eſſe.
Atq; ea barbaricæ pars,quæ contermina genti
Neſcio conſilijs quibus,indefenſa remanſit.
O vtinam res hæc Turcis non porrigat auſum,
Marcus enim quondam dominus maris omnia vtrinq;
Littora ab inſidijs,& vi ſeruare ſolebat.
Nunc(vt fama refert)Roma cogente relinquit

Moment

Momenti officium tanti, curamq́, operamq́
Quod fuit Italiæ longo iam tempore vallum.
Adria piratis datus eſt, datus eſt Agarenis,
Et via Sidonijs noſtras aperitur ad oras.
Diue precor tantos Italos à finibus hoſtes
Pelle. Sat eſt alijs terra hæc vexata ruinis.

DE S. ANGELO CARmelita.

ANgele Carmeli venerabilis incola montis
Cui natale ſolum fuit in regione Syriſſa,
Lux tibi conuerſo ſacrata reuertitur anno,
Et Maij tua quinta dies, tu prima iuuentæ
Tempora & ætatis ſpecimen, floremq́ dicaſti
Chriſtiparæ matri coniecto in vincula ſenſu.
Vſq; adeò tua virginitas, tua neſcia fraudis
Simplicitas placuit diuis vt ſæpè relicto
Ad tua contulerint ſeſe gurguſtia cælo,
Vt tibi languores hominum, caſusq́ ſiniſtros
Subdiderint: poteras etenim depellere morbos,
Infrenare malos manes, ſuccurrere nautis,
Quando procelloſo ſpumant freta concita cælo.
Cùm mare tranſiſſes cupiens inuiſere Romæ
Relliquias, ſacros cineres, monumentaq́ patrum,
Et Lateranenſis ſtares in limine templi,
Contigit æternis res commemoranda diebus.
Nam minor Etruſcæ veniens de monte Lauernæ

Ad tua Franciſcus ſeſe veſtigia flexis
Proſtrauit genibus, ſacris dedit oſcula plantis:
Inſuper adiecit, Salue pater Angele montis
Incola Carmeli, te mors manet inclyta, Chriſti
Teſtis eris, tibi rex diuûm decus annuet iſtud.
Te quoq; Franciſco memorant reſponſa dediſſe
Talia, Soluendæ tanto pro munere grates
O Franciſce Deo: ſed erit tua gloria nuſquàm
Inferior, tibi Chriſtus enim ſua vulnera quinq;
Imprimet, & fies Chriſti patientis imago.
Domnicus Hiſpanis qui tunc veniebat ab oris
Fortè aderat tam mira notans præſagia patrum,
Et tulerat caſus mundi hæc tria lumina in vnum.
Prætereo quantum poteras ſermone, fluebant
Ad te turmatim velut ad ſpectacula Romæ
Scænica dicentem populi: Tu corda mouebas,
Vt mouiſſe ferunt lapides Amphiona quondam.
Prætereò quòd te ſuperi monuere Scytharum
Hoc infame genus Turcos tunc temporis vltrà
Caucaſcos montes poſitum trans Boſphoron eſſe.
Venturum excidio Graijs, fineſq; aditurum
Auſonios, quod nos hac tempeſtate dolentes
Vidimus impletum, quando per Iapidis agros,
Atq; per Hidruntis colles ea turba profuſa eſt.
Atq; vtinam veniat tua quem dixere futurum
Rex nouus ex Francis oracula, qui fuget iſtam
Progeniem, peſte hac totum qui liberet orbem,
Nec ſinat ærumnis homines tabeſcere tantis.

p Cùm

Cùm verò inceſti graue perſequerere tyranni
Crimen vt Helias lucos, & Iezabel aras,
Et Baptiſta nefas regis Veneremq́ nefandam,
Heu caput, heu pectus gladijs crudelibus auxit
Hoſtis iter pandens animæ ſuper aſtra volanti.
Cùm fierent ad buſta viri miracula in horas
Plurima conſenſu populi tellure leuatum
Inſigni poſuêre loco venerabile corpus.
Cùm verò iniectis vellent occludere glebis
Os tumuli, ſubitò turbis mirantibus vnda
Fluxit, & in vitreum verſa eſt humus arida fontem,
Qui quoties redit iſta dies, licet aëra nullæ
Peruolitent nubes, clauſo licet areat imbre
Omne ſolum, creſcit, ſummisq́ dat oſcula ripis.
Tunc cadit in ſacrum (Siculas res iſta per vrbes
Cognita iam dudum) virtus diuina liquorem,
Fitq́ ſalutaris, dictu mirabile, morbi
Omne genus, cui ferre nequit medicina ſalutem
Soluit, & abluitur tactis anguſtia lymphis.
Præſtat idem circa fontem manantis oliui
Ex tellure liquor, ſanctos ita curat Olympus.
Sancte pater fer opem nobis, animæq́ volenti
Ad ſuperos niti faueas, & porrige dextram
Palpanti tenebras, loca per ſalebroſa meanti.

DE S. IOANNE ANTE PORtam Latinam.

INclyte Ioannes Chriſti ſobrine volantis,
Ora ferens Aquilæ tua lux eſt proxima Nonis.
Hæc fuit illa dies qua te Iouis atq; deorum
Deſtructorem Epheſo miſſum Romanus adegit
Cæſar in ardentis ſolium deſcendere oliui.
At Deus extremos qui te ſeruabat ad ignes
Incolumem fecit de tali exire lauacro.
Cæſar id admirans te carcere iußit aperto
Ire vias, vincliſq; Epheſum remeare ſolutis,
Et quia tormenti portam locus ante Latinam
Ipſe fuit, portæ feſta hæc tenuêre Latinæ
Nomen, & hic templum tibi Roma ſequentibus annis
Condidit, hæc operis tanti monumenta ſuperſunt.

DE S. IOANNE DAMAſceno.

HIc iuuat in diuos magnum transferre Ioannem,
Qui genus à veteri traxit ſublime Damaſco.
Clarus enim toto fulget ceu Lucifer orbe,
Et docet exemplo vitæ quid agamus & ore.
Ex Arabo genitore ſatus Saracena colebat
Dogmata, cornigero quæ ſunt contermina Moſi.
Sed virides annos Deus eſt miſeratus, eumq;
Irradians fecit veri cognoſcere fontem.

Mox ſacris perfuſus aquis ſapientiæ in altum
Diuinæ, humanæq́; apicem vigilantiùs ire
Cœpit, & accenſis cauſas perquirere votis.
Nec longus fuit iſte labor: nam tempore paruo
Illius in mentem largo prudentia nimbo
Vtraq́; defluxit, pelagusq́; euaſit in amplum:
Venit ab Aſſyriјs ad Thracum mœnia quondam
Pauſaniæ Lacedæmoniј fundata labore.
Hæc erat imperiј ſedes, quo quicquid habebat
Præclari terrarum orbis tranſibat in horas.
Hìc ſuperum Domini matrem decorauit, & hymnis
Excoluit ſacris, quos templa per omnia Graius
Hac quoq; tempeſtate pio canit ore ſacerdos.
Dum graditur ſpatians Samiј per littora ponti
Aequoreis (heu) præda fuit latronibus, & mox
Raptus in Aegyptum Peluſiacosq́; penates
Venditur, at poſtquàm decus imperiale recepit
Tertius é regnis paruo pòſt tempore pulſus
Theodoſius, qui magna hominem pietate colebat
Soluit eum, multaq́; domum mercede retraxit.
Cumq́; á ſecretis regi foret, inuida Erinnys
Eſt aggreſſa virum technis, & crimine ficto.
Nam cùm facta fides eius ſuſpecta fuiſſet
Theodoſio, truncæ poſt dura opprobria dextræ
Multa dolens animoq́; ferens id dedecus ægro,
Pellitur ex propriјs in clauſtra monaſtica tectis.
Magna parens tandem charum miſerata clientem
Reſtituit dextram miſero, quæ pendula ab alto

Aruerat

Aruerat ſuſpenſa tholo, res amplius antè
Nunquam viſa, manus ſimulac commiſſa lacerto eſt
Hæſit, & accepit vitamque animamque priorem
Illicò, vt inſetio ſi virga ſit inſita trunco.
Tunc pietas in corde viri concluſa repentè
Mille modis patuit, ſicut iam Vere reuerſo
Terra tepens florum ſe mille coloribus ornat.
Qui cupis ingenium magni cognoſcere patris
Huc ades, illius lege Græca volumina, nectar
Diuinum inuenies, decurret in ora legentis
Manna fluens, vt mella fauis ſtillantia preſsis.
Pæonias etiam tractans ſubtilius artes,
Plurima membra in querulis medicamina morbis
Repperit (vt fama eſt) noſtro quibus vtimur æuo.
Cæſarea demum vir conſultiſsimus aula
Functus ad Auguſti rediit gurguſtia clauſtri,
Et ſenuit virgo, Maiiſque ad ſydera Nonis
Iuit, & ad magnos diuûm tranſiuit honores.

DE APPARITIONE S. MICHAElis Archangeli.

MIchaël octauo Maias apparuit Idus,
Quando Sipontinis in bella volentibus ire
Affuit, atque diem pugnæ monſtrauit & horã.
Campanos etenim rabies armarat, & ipſam
Parthenopen contra populum Diomedis & vrbem.
Tunc reſidens alto Gargani in vertice montis

Suſtulit è pelago nubes, Boreamq́; vocauit
Montibus à Scythicis, ſeptemq́; trionis ab axe.
Adijciensq́; procellæ ignes, & fulgura, & imbre
In glaciem verſo mugire tonitrua fecit.
Mox fulmen cœlo, atq; freto reboante triſulcum
Soluit, & infeſtos nimbum perflauit in hoſtes.
Sic igitur ventis illos, & grandine, & vnda
Præcipiti velut attonitos ac lumine captos
Reddidit, & fractis animis dare terga coëgit.
Poſteritas operis tanti non immemor iſta
Luce Sipontinos celebrat noua feſta per agros.
Iſta dies alio caſu eſt memorabilis, illo
Scilicet excelſa cùm ſtans Archangelus arce
Peſte laborantem Romam luſtrauit, & Auſtrum
Expulit immiſſo campis Aquilone nocentem.
Si tamen hæc vna duo ſint miracula luce
Edita neſcitum eſt, forſan quia proxima ne tot
Feſta forent, populus traxit Romanus in vnam.
SPirituum nobis hic eſt natura parumper
Enarranda, ſuo dum Ver iam munere functum
Incipit æſtati teneras concedere fruges.
Principio rerum quando Deus omnia traxit
Ex nihilo, ſparſitq́; nouas per corpora formas,
Spirituum quoq; progeniem quò tempus in omne
Viueret incolumis ſine mole, & pondere finxit,
Diuiſitq́; nouem genus hoc in regna, deditq́;
Iura ſuper terras, ſuper æquora, & aëra, & ignes
Aſtraq́;, & ætherios orbes, & tradidit artem

Quæ regerent opus hoc tantum, cui nomina mundus.
Sed pars vna ſuum nimis admirata decorem
Atq; poteſtatem renuit ſeruire Tonanti,
Tam demens, tam læua fuit, pars altera manſit
Fida ſub imperio patris, cœloq; rebelles
Expulit, & magno in tenebras molimine truſit.
Hi ſunt qui patria pulſi ſtuduêre per orbem
Inter mortales decus vſurpare deorum.
Nunc quoq; priuati priſco ſplendore latenter
Inſidias tendunt animis qui attollere ſeſe
Altius attentant, & olympica limina quærunt.
Saturnus defluxit ab his, Saturniaq; omnis
Progenies, etenim lemures præclara ſubibant
Nomina magnorum heroum, quos fama canebat,
Quiq; ſui memores populos fecere merendo,
Vt genus allicerent ad ſe mortale colendos.
A priſcis hæc regna chori dicuntur, & vrbes
Diuiſi in varias per tranſmundana volabant,
Culmina terreſtres vt nos peruadimus oras.
Qui ſtabiles illa ſunt tempeſtate reperti
Perpetuò leges obſeruauêre paternas.
De quorum numero Michaël, qui præfuit olim
Gentibus Hebræis dum res Iudæa manebat
Eſt, & nomen habet clarum, quia ſemper agendis
Incubuit rebus pro maieſtate Tonantis
Magnificè, ſed præſertim cùm mutua in arma
Cœlicolas egit flagrans diſcordia ciues.
Chriſtus eum poſtquàm populos contraxit in vnum

Præpoſuit regno, cui nunc Eccleſia nomen,
Præfecitq́; animis, vt cúm mortalia membra
Deſtituêre prius meritorum examine viſo
Ad lances, perducat eas in idonea tecta.
Creditur & mundi ſupremæ in fine ſenectæ
Fortiter acturus pro libertate piorum
Tartareas aduerſum acies regemq́; profundi,
Qui ſuprà ſæuire modum conabitur illo
Tempore, & in noſtros grandi exercebitur ira.
Has ob res thoraca gerit, ferroq́; nitenti
Terribilis dextra gladium, læuaq́; bilancem
Suſtinet, ac lemurem pedibus conculcat ahenis,
Ergò diem celebrate alacres ſolenniter iſtam,
Aera ſonent, vireant poſtes, altaria fument,
Votaq́; cuſtodi gentis perſoluite noſtræ.

DE S. EVSTACHIO.

MAgnanimus ductor Placidus Romana propago
Sic eius moderante Deo mentemq́; viamq́;
Alipedem ceruum dum venaretur in altis
Rupibus offendit, cuius de vertice ad auras
Cornua ſurgebant, atq́; inter cornua, viſu
Horrificum, ſtabat Chriſti patientis imago,
Quæ affari ſic orſa virum: Tua mitia corda
In miſeros, operæq́; piæ fecêre benignum
Me tibi, ſum Chriſtus, qui numina falſa ſubegi.
Ad fontes cum prole meos cum coniuge vade,

Atq;

Atq; redi, nam rurſus in hoc te monte videbo.
Mox te multimodis iactatum caſibus inter
Cælicolas magna cum maieſtate locabo,
Iſtud idem noctu coniunx per ſomnia vidit.
Quod vir vt audiuit, ſi nos Deus aduocat, inquit,
Ire decet, nihil eſſe poteſt ſecurius. Ergò
Paruit, & Placidus ſacro ſub fonte remanſit,
Prodijt Euſtachius, coniunx Theopiſta vocata eſt.
Natorum verò princeps Agapetus, & alter
Nomine materno ſexu de fine repulſo.
Hæc vbi facta, locum Placidus repetiuit eundem,
Affuit & Chriſtus, Placidumq; arcana docendo
Plurima, conſumpſit multas ſermonibus horas.
Tempore pòſt paruo ſtygijs à ſedibus orta
Peſtis, & in famulos primùm graſſata veneno
Tabifico, iumenta, greges, armenta, colonos
Suſtulit, infecitq; malis nidoribus auras,
Surripuêre aurum, veſtes, & cætera quæ non
Eualuit morbi rabies abradere, fures.
Indoluit pulſus ſubitò de culmine rerum,
Erubuitq; videns humilem ſe ex tempore factum,
Aerumnoſum, inopem, & miſerorum in parte ſepultũ.
Mox rate conſcenſa cum prole, & coniuge ad vrſam
Flexit, & Epiri ignotus peruenit ad oras.
Cùm verò nauem egrediens mendicior Iro
Pendere non poſſet naulum, conſorte retenta
Spe Veneris nauarchus eum petulanter abegit,
Atq; ita deluſus lacbrymis diſceßit obortis.

Venerat ad fluuium tenera cum prole tumentem
Imbre nouo, quem cùm vellet tranſire, leuauit
In ſcapulas natum, natum ſubſiſtere in vmbra
Iuſsit arundinea donec remearet: & ecce
Dum remeans amnem medium tenet, hinc lupus vnũ,
Inde ferox alium rapuit leo. Credere poſſes
Coniuraſſe feras in tam lachrymabile furtum,
Et quaſi concordes ſceleri ſtuduiſſe cruento.
Non periêre tamen: nam qui per rura coloni
Inſtabant operis facto poſt terga ferarum
Agmine currentes iterum rapuêre rapinam.
Sed pater ignorans finem ſua chara reliquit
Pignora, & amiſsis famulis, patriaq́, opibuſq́
Coniugeq́, & natis fertur per deuia flendo
Amenti ſimilis, nec ſcit quò tendere greſſum
Debeat, & curis animum conſumit amaris.
Non procul indè igitur vico per amœna reperto
Rura ſtetit, poſuitq́ viæ finem atq́ dolori
Quoad potuit, tantos etenim finire dolores
Tam citò, tam leuiter nequeunt mortalia corda,
Vtq́ erat ingenio ſolers, hominum genus illud
Ore, manu facile, & ſubitò ſibi fecit amicum.
Poſt tria luſtra volens Perſis indicere bellum
Maxima Traianus Romani gloria regni
Cœpit ad arma animum, totamq́ appellere mentem,
Venit in Epirum fama hæc, fluit vndique miles,
Quò factum vt ductor quidam veteranus ad vrbem
Hac properans Romam, caſu conuerterit ora

In Placidi vultum, frontemq́ agnouerit olim
Vulnere ſignatam, dextras iunxêre diemq́
Conſumpſere ſimul longis ſermonibus illam.
Cæſar ab hoc monitus Placidum ſupereſſe, vocari
Iußit, & antiquo ſuccedere fecit honori.
Ergo tribunatu Traiano à Cæſare ſumpto
Rurſus in Epirum cum maieſtate reuerſus,
Dum ſtudet ex illis equitum conducere turmam
Finibus, inuenit caſu ſua pignora: nam dum
Caſu audit quoſdam iuuenum Romana volentum
Arma ſequi quondam raptos ex ore ferarum,
Iußit eos coràm adduci, viſosq́ repentè
Indole ab egregia, matrisq́ ab imagine nouit.
Et ſubitò extentis patrem confeßus vtrumque
(Non tulit vlterius pietas) complectitur vlnis.
Nec dum multa dies ierat, cùm plurima fando
Poſt epulas alacres linguas cùm reddit Iacchus
Ambraciæ, quam Nicopolim ſecla illa vocabant,
Audijt eſſe nurum ſolitam ſe dicere multo
Cum gemitu propè Leucatæ confinia quondam
Amiſiße virum geminosq́ in littore natos.
Accerſita nurus venit natosq́, virumq́
Protinùs agnouit, tota eſt ſic auſpice Chriſto
Inſtaurata domus, verſiq́ in gaudia luctus.
Talia Traiano memorant ſub principe geſta.
Succeßor verò quamuis & mitis & æquus
In reliquos, fuit Euſtachio truculentus & atrox.
Namque vt nouit eum Chriſto ſeruire, deosq́
Deridêre,

Deridêre,feris clamans immanibus omnes
Expoſuit:ſed cùm ſanctos inuadere nollent
In fatali vtero tauri clauduntur aheni,
Cui ſuberant latè effuſis incendia flammis,
Atq; ita in æternam,dum lux vigeſima Maij
Surgeret herbicomi commigrauêre,quietem.

DE DVABVS SORORIbus Mariæ virginis.

EVſtachij poſt fata diem venerabere quintam,
Iſta luce duas fama eſt antiqua ſorores
Chriſtiparæ matris cœli regione potitas.
Antè obitum vidêre ſui miranda nepotis
Acta per Aſſyriæ fines,vidêre cruenta
In cruce pendentem Chriſtum,vidêre ſepultum,
Et rurſum ad ſuperos victo Plutone reuerſum,
Scandentemq; polos,non deſeruêre ſororem
Caſibus in duris,natiq; in funere acerbo,
Plorauêre ſimul,ſuſpirauêre,ſinumq;
Altera in alterius lachrymas fudêre tepentes,
Vnam Zebedeo memorant nupſiſſe: Secundæ
Vir fuit Alphæus,ſanctæ matreſq;,patreſq;,
Pignora ſancta. Domus fuit hæc ita grata Tonanti.
Nec conſanguinitas iſtud feciſſe putanda eſt.
Nam bona largiri nequit immortalia ſanguis,

Sed

Sed pietas:etenim pietas complexa videtur
Virtutum genus omne,Deum qui pectore toto
Concipit à terris ſurſum ſe attollit,vt imber
In nebulas æſtu ſolis defertur,& æquat
Ipſum ſe ſuperis,ac numina flectit amando,
Diuinumq́ ſibi facit aſpirare fauorem.
Cui Deus aſpirat,diui famulantur,obedit
Mundus,& infernæ populus proſternitur aulæ.
Regnare eſt ſeruire Deo,tota iſta propago
Diuinum potuit ſic promeruiſſe fauorem.

DE S. VRBANO.

VEr abijt,geminos fratres intrauit Apollo.
Manè lepus cum ſole oriens in luce diurna
Clauditur,& lumen maiori in lumine perdit.
Torrida iam primis intrat cum frugibus æſtas.
Fraga legunt pueri,folia inter denſa rubentes
Apparent Ceraſuntis opes.Siliqueſcit in hortis
Iam faba,iam thecas inflat fœtura virentes.
Muſca volans noctu,dicunt Lampyrida Graij
Nunc latet aſtrictis,nunc lucet hiantibus alis
Per ſegetes,procul aſpiciens cerealia rura,
Scintillare putes,vel nare per aëra lychnos.
Iam ſpicata Ceres longas producit ariſtas,
Iam tondentur oues,de raſis gramina pratis
In cumulos ſurgunt,ſonitus ſtridoris acuti
It procul,incuruas dum cos terit aſpera falces.

Iam paſtor Romanus adeſt Vrbanus, & illi
Eſt ſacrata dies iuuenum, quæ octaua Calendas
Antè venit, redolent herbis, & floribus aræ.
Magnus hic ille Dei cultor, qui conditus antro
Appia Campanos quà ſe via flectit in agros,
Cæciliam lauit, lauit cum fratre maritum
Patricios iuuenes, demum iam grandior æuo
Principe Alexandro liuentis verbera plumbi
Pertulit, & iuſsus Marti dare thura, Deorum
Expuit in facies, conflataque polluit æra
Mox ſecta ceruice ſolum mutauit Olympo.
Sancta ſub hoc fieri locuplex Eccleſia tandem
Cœpit, & argentum in calices conflauit, & aurum.
Vendebant priſci quæ donabantur, in æsque
Verſa dabant inopi, tunc incœpere locari
Prædia non vendi, ſi quæ legata fuiſſent,
Sed prouentus erat plebi communis & omnes
In miſeros ibat fruges diuiſa viritim.
Nunc mores periêre boni, regnatque libido
Improba, & excluſos inopes conſumit egeſtas.
Omnia ſacratus noſtra ſibi vendicat ordo
Tempeſtate, ſinuntque patres peſſum omnia labi.
Templa ruunt, paſsim ſordent altaria, cultus
Paulatim diuinus abit. Reſipiſcite ſancti
Vaticana Patres, qui templa excelſa tenetis,
Ne ſubitò forſan Deus excandeſcat, & iſtud
Tam deforme nefas odio vlciſcatur acerbo,
Se diuina quidem ſemper mouet vltio lentis

Paſsibus

Paſſibus, at ſubita tandem face fulmina torquet,
Nec peccata hominum palpat, nec inulta relinquit.

DE ASCENSIONE.

CHriſtus ab inferno poſtquam Phlegetonte reuerſus.
Sæpè ſuis ſeſe vultu patefecit aperto,
Ad ſuperos ſtatuit terris migrare relictis.
Collectis igitur quotquot de carcere longo
Suſtulerat, tenebroſi Erebi deuenit aprica
In iuga Palladiæ retinentia nomen oliuæ.
Hæc poſt Paſcha fuit lux quadrageſima & ecce
Antè ſuorum oculos comitum, quos iuſſerat inter
Prandia ferre gradus, illuc rei iſtius ergò,
Conuerſo ad ſuperos vultu, manibusq; ſupinis
Tollitur à terris, & in aëra ſurgit apertum,
Continuò nubes totum conuoluit amictu
Lucido & auroram verſus, quà dextera mundi eſt,
Et quà mane diem ſol aureus inchoat almum,
Vertit iter, volucriq; fuga conſcendit olympum.
Tranſierat Lunam, ſummoq; ſedebat in orbe
Mercurij, expectans comites poſt terga relictos,
Vt venêre, viam ſimul inuaſere per altos
Cyprigenæ campos, & regna per ardua Phœbi,
Iam Martis iuga contingunt, Saturniaq; intrant
Atria, & ardentem ſtellis mirantur Olympum,
Cœlicolæ diui, qui per mundana vagantur
Culmina, ſtellarumq; regunt operamq; viamq;,

Continuêre gradum, tacitiꝗ́ ea longa tuentes
Agmina, Quæ tanta hæc acies, quò tendit, & vndè
Aduenit, aiebant, multiſꝗ́ & millibus vnum
In regali habitu contemplabantur euntem.
Signiferum ſuprà tulerant veſtigia circum
Vicini iam nono orbi, cùm turba volantum
Spirituum valuis glaciali à limine pulſis
Obuia fit, Chriſtumꝗ́ alacres, ſocioſꝗ́ ſalutant.
Nam qui ſumma tenent cœli penetralia diui
Venturum audierant Chriſtum, tempuſꝗ́ ſciebant.
Ergò triumphales à ſummo cardine pompas
Egit læta dies, riſerunt ſydera, riſit
Aethereæ princeps mundo qui præſidet aulæ,
Atꝗ́ ita lætantes ſubiêre immobile cœlum.
Chriſtus apud patrem reſidens ſuſcepit habenas
Orbis, & à ſolio manſuri in ſecula regni,
Omnia ſub pedibus radiantia poßidet aſtra,
Tartaraꝗ́, & quicquid rerum complectitur ingens
Ambitus, extremi magno curuamine mundi.
O fœlix & fauſta dies, qua ſydera regem
Accepêre nouum, qua conciliatus Olympo
Inferior mundus cœpit ſuccedere regnis
Aethereis: Nam tunc primùm gens illa colubri
Functa eſt exilio, ſuperoſq́ ingreſſa penates.
Errabant animæ liquidum per inane volantes,
Quærebantq́ viam, ſi qua ſe attollere poſſent
Altius, & ſeſe Diuûm ad conſortia ferre.
Hoc tandem dedit iſta dies, gaudete beati

Cœlitum

Cælituum campi, quibus hæc acceßio tanta
Facta fuit, qui tantum hodie vidiſtis honorem,
At lemures, ſtygijq́ lares, lamenta per omnem
Exiuere Erebum, gemitusq́ dedere, videntes
In cælum migraſſe animas, atq́ in ſua quondam
Atria terrigenas Chriſto ducente receptos.
Hæc eſt illa dies priſco celeberrima ritu
Ocnigenis, latè fuſo quos Mintius amne
Cingit iens ſubter longos cum murmure pontes:
Chriſti etenim ſacro ſparſus de corpore ſanguis,
Quem Longinus adhuc tepidum, riuisq́ fluentem
De cruce purpureis vitream collegit in vrnam,
Profertur de templi adytis, vulgoq́ quotannis
Cùm rediјt lux iſta, loco monſtratur ab alto.
Tum gemitus populi flentis, veniamq́ precantis
Exoritur clamor, fugiunt per nubila voces:
Néue putes ſolos hæc ad ſpectacula ciues
Aduentare, fluunt agri, vicinaq́ magno
Oppida concurſu, ducens à flumine nomen
Parma, Placentinis magnum de collibus agmen.
Et Regij Mutinæq́ lares, Verona niuoſis
Vrbs ſuppoſta iugis, fontanæ prodiga lymphæ
Brixia, Zedoræ, campeſtria rura Cremonæ,
Arua per effuſis properant florentia turmis.
Quid Laudenſe ſolum? Quid regna Inſubria dicam?
Bergomeasq́ domos? pietas antiqua vocauit
Sæpiùs huc reges ipſos, Germania miſit
Sæpiùs Auguſtos. Tyberino à flumine ſummi

Pontifices ſæpè ad ſanctum venêre cruorem
Fœlix reliquijs, & tanto munere Manto
Te in primis, te toto animo, te tempore in omni,
Te te, inquam, Chriſti memorem decet eſſe: reliquit
Aſpice quale tibi monumentum, & pignus amoris.
Non potuit maius quicquam dare. Sanguinis vnam
Attulit in cœlum partem, quantum genus illud
Vitæ immortalis viſum eſt expoſcere, partem
Ad tua longinquo miſit de littore templa.
Atq; ita te coluit terris magis omnibus vnam.
Quare agè, ſolennes, ne ſis ingrata, quotannis
Munere cum magno duc ad ſacraria, pompas.
Neu ſine collabi quos inſtituêre parentes
Legitimos ritus. Tu Chriſti ſanguinis hæres
Non debes adhibere iſtis nebulonibus aures.
Nec ſectari homines noſtro quos vidimus æuo
Baubari vacuis, & inanibus argumentis,
Ac tentare tuum decus hoc abſcondere, & iſtam
Obſcurare diem, preciumq; offendere linguis
Incircumſpectis, quo gens humnna redempta eſt.

BAPTI-

BAPTISTAE MANTVANI CARMELITAE THEOLOGI, FASTORVM Liber Sextus.

IVNIVS.

DE PENTECOSTE.

TOta domus Chriſti ſicut praeceperat ipſe
Pneumatis expectans ventura chariſmata ſancti
Secreta ſuper arce Syon ſtatione latebat.
Poſtquàm ſtelliferum Chriſtus conſcenderat axem,
Occiderat nouies genitor Phaëtontis, & orta
Iam decimo cum ſole dies tres egerat horas,
Ecce procelloſi fragor inſtar turbinis ingens
Et velut irato pontus cùm vabulat Auſtro
Impetus auditur ſtridens per nubila, iamq́;
Circum tecta ſonat, pulſi tremuêre penates,
Sponte ſua patuêre fores, patuêre feneſtrae,
Cunctaq́; per thalamos ſubito ſubuerſa tumultu.
Viſae etiam linguae ardentes volitare per auras,
Et ſuper ora virûm volucri conſidere lapſu.

Numinis occulti (nam tempeſtate ſub iſta
Clauſum numen erat) penetrauit in vltima raptim
Viſcera vis, animæ volucri penetralia lapſu
Omnia percurrens vitæ mortalis abegit
Affectus, ſtudia, & curas, & inania vota,
Pro quibus induxit patriæ immortalis amorem
Perpetuum caſus omnes ſuperare potentem,
Ridentemq́; minas, contemnentemq́; tyrannos.
Inſuper edocuit non Græca vocabula ſolùm
Ac Romana loqui, ſed quod Babylonia quondam
Audijt, excelſam Nemroth dum conderet arcem.
Hæc poſt Paſcha fuit lux quinquageſima, ſancto
Spiritui ſacrata, pater quem miſit ab alto,
Vt nati firmaret opus, faceretq́; ſecundo
Nauigium Petri fluctus proſcindere vento.
Tunc longas iuêre vias externa petentes
Regna patres noſtri, voces audiuit eorum
Ortus, & Oceanus, Boreas Riphæus, & Auſter,
Africus. Oceano quas nunc inuenit Iberus
Inſulæ in Auſtrino, ſi tempore forſitan illo
Audierint Chriſtum, res eſt incognita nobis.
Vt perhibent, illis non ſunt veſtigia Chriſti
Vlla locis, illas ſuperos, & numina gentes
Barbaricas neſcire ferunt, & more ferarum
Viuere, & humanis etiam (res horrida) veſci
Carnibus, expertes legum, pietatis & æqui.
His voluit noſtris Deus apparere diebus,
Atque per Hiſpanos diuinam oſtendere legem.

Eſſe alias etiam terras, & regna putandum eſt.
Sole vbi cùm nobis nox eſt ſurgente dieſcit,
Quæ veniſſe nouam nondum audiuêre ſalutem.
His quoque venturis lux eſt oritura diebus.
In nos mortales, etenim ſimul omnia nunquam
Influit, at differt in idonea tempora cœlum,
Et varias vt mens, quæ proſpicit omnia, dictat
Partit in ætates fatorum immobilis ordo.

DE TEMPORIBVS.

ADtres iſta dies tendunt ſolennia, quartam
Eſuries cohibet, nam fert ieiunia ſecum
Tempora quæ dicunt. Prima hæc ieiunia nobis
Occurrunt poſt Paſcha ſacrum, quo victor ab (vmbra
Chriſtus Auernali ſuperas aſcendit ad auras,
Et tria ſunt, nam ſexta dies, & ſeptima parcis,
Relligione pari, minuunt conuiuia menſis.

DE TRINITATE.

ET quoniam de prole ſumus ſatis antè locuti
Seiunctim, de patre etiam non parua per annum
Mentio fit, nec non ſancti de numine flatus,
Qui docuit fari linguas, & barbara verba.
Nunc coniuncta tribus patres ſolennia noſtri.
Conſtituêre, dies ſolis quæ proxima portat,
Hîc igitur coniuncta trium, quibus vnica virtus

Vnum numen ineſt, vna omnipotentia, & vna,
Nomina plura licet teneat, ſubſtantia ſimplex,
Feſta renidentes fumo celebramus ad aras.
Hoc eſt grande illud, quod neſciuêre parentes
Arcanum Solymi, quod cùm veſtitus amictu
Corporis humani Chriſtus diuina propago
Explicuit terris, hominum prudentia tanquam
Offenſi radijs oculi, defecta remanſit,
Nec potuit iubar in tantum defigere mentem,
Sed ſtetit attonito ſimilis. Cœleſtia non fert
Terreſtris ſecreta animus, mortalia ſolùm
Doctus, & à terris nequiens attollere frontem.
Propterea noctu veniens Nicodemus ab ipſo
Iſtud vt audiuit Chriſto: Quo tanta, magiſter,
Quo fieri poſſunt dixit myſteria pacto?
Iſtud Athenarum riſit ſapientia, riſit
Roma potens rerum magni caput orbis & ipſe
Nilus, & ingenio plebes Babylonica tardo.
Noſtra ſub hac curua vaſti teſtudine mundi
Notitia in nebulis habitat, neq; ſydera tranſit.
Nos adhibere fidem verbis cœleſtibus auſos
Credulitas docuit diuûm ſperare penates.
Atq; ideò lucem hanc celebri decoramus honore,
Hæc ſat erat feſto, quædam tamen addere viſum,
Vt rubor Hebræo, noſtris fiducia creſcat.
Nos qui tres colimus, falli Iudæa, Deumq;
Multiplicare putat, quia nunquam attollit in altum
Proiectos in terram oculos. Subſtantia certè

Quæ Deus eſt, vna eſt, numerum perſona recepit.
Sicut enim plures arbor gerit vnica ramos,
Vnica perſonas ſic fert eſſentia plures.
Sic etiam plures animæ de ſimplicis vno
Stipite procedunt vires, exempla feruntur
Iſta, quòd in numero, totaq́ propagine rerum
Propoſito certum eſt nil eſſe quod vndiq; quadret.
Hæ: noſtris tam mira animis myſteria, quoddam
Eſt apud Hebræos quod vult prætendere, nomen
Quattuor includens elementa carentia voce.
Nomen id vt perhibent ſancti, veterisq́ nouiq́
Signat ineſſe Deo quiddam quod cernere nuſquam
Fas alibi, licet ingenio per cuncta ſagaci
Cætera diſcurras. Hæc eſt eſſentia ſimplex
Vna, nec admittens numerum, tribus inſita tantùm
Suppoſitis, vt noſtri vtar ſermonibus æui,
Hoc diuina volens ſoboles aperire docendo
Sæpè trium meminit, Flatus, Natiq́, Patrisq́,
Qui veniunt vno tanquam de flumine riui,
Atq; Deum coëunt (dictu mirabile) in vnum.
Hæc ea ſunt, quæ clauſa notis ſub quattuor illis.
Accipe nunc cur nam Iudæi abſcondere nomen
Sic ſtudeant illud. Dicunt miracula poſſe
Cuncta per id fieri ſi quis vocalibus aptè
Adiunctis proferre ſciat: de ſedibus orci
Excitos referunt manes in membra reuerti
Mortua, depelli morbos, elementa moueri,
Sic Chriſtum celebrem factum, quòd ſcilicet eius

Nominis auxilio poterat quæcunque volebat.
Propterea timuit gens illa incredula, ne quis
Forſitan Hebræos contra vim nominis huius
Exerceret, & hac eadem dementia fecit
Propria Romuleæ neſciri numina Romæ,
Ne cupiens aliquis Romanam perdere gentem
Apta ſubornandis apponeret orgia diuis,
Sicq; nouis fierent Romæ nidoribus hoſtes.
Trine Deus maior quàm mens humana capax ſit,
Cuius opus quamuis magnum ac mirabile, longè
Eſt virtute minus, cuius clementia finem
Non habet, exaudi, nobiſq; illabere, noſq;
Credere fac, quæ fas homini cognoſcere non eſt,
Nec transferre neges nos ad tua gaudia tandem.

DE EVCHARISTIA.

POſt epulas Chriſtus mortem paſſurus acerbam.
Inſtituit ſacrum quod tunc mœrore labantes
Proſternente animos fuit huc transferre neceſſe.
Non fuit ex auibus, non ex cerealis ariſtæ
Fruge, nec ex gregibus ſacrum, tenerove iuuenco,
Qualia gentiles, & gens Iudæa ſolebant
Reddere cœlitibus. Sacrum fuit ipſe, ſacerdos
Ipſe fuit, ſed ſe velauit imagine mira:
Nam quæ panis erat, quæ vini eſſentia quondam
Fecit vt in Chriſti corpus ſacrumq; cruorem
Tranſierit ſubitò, ſaluis vtriuſq; figuris,

Huc

Huc æterna ſuas tulit omnipotentia vires.
Omnia quæ peragit, ſeu ſint ingentia ſeu ſint
Parua, pari conatu illi ſunt omnia quæ vult
Obuia, perfacili quæ vult habet omnia nutu.
Quæ talis, tantusq́ opifex promiſerit, aude
Credere, quòd verò talis, tantusq́ putari
Debeat hic opifex, oculos ad cætera transfer
Quæ legitur feciſſe opera admiranda, videbis
Illum per fluctus ſiccis incedere plantis,
Pellere tartareos manens, à faucibus orci
Ducere, & in lucem rurſum reuocare ſepultos.
Immedicabilibus morbis humana leuare
Corpora, & orbatis oculis ab origine lumen
Reddere, quæ fieri rerum natura negabat.
Hoc magnum, hoc ingens, & non imitabile ſacrum
Inſtituit Chriſtus, docuitq́ acerrima verba
Mortales, quibus id faciant quod fecerat ipſe.
Hoc igitur quoties opus exercetur, ab vſq́
Manibus infernis, ſummoq́ auditur Olympo.
Eruit à ſtygijs ſontes penetralibus vmbras
Nec ſolùm à morbis, verùm & diſcrimine ab omni
Mortales miſeros à ferro, à fulmine, ab vndis,
Igneq́, ab infernæ gentis violentia & armis
Liberat, & nihil eſt nobis æquè vtile, Diti
Tam graue, & horrendum, ſic delectabile cœlo.
Flore cruces igitur vario circundate, & herbas
Spargite, velatum ſub panis imagine regem
Atq́ Deum ferimus, procul hinc procul ite profani.

Ex pelago,& ſyluis credunt præ dacea lucra.
Meßis adeſt flaueſcit ager,ſub ſole colonus
Sudat,& in ſtrophium tortis ligat hordea culmis.
Torrida Solſtitij poſitum propè limina tempus
Barnabam æſtiuum memorat,cùm Lucifer exit
Vndecimus.Temeſe,Salamin,Paphos,alta Cythera
Feſta ſuo celebrant,& collætantur alumno.
Nam Cypria de gente fuit,demiſſus ab alta
Stirpe Leui,quæ progenies addicta Tonanti
Tota fuit,templo & ſacris præfecta litandis.
Ipſe comes Paulo dum Barbara regna peragrat
Magnanimus,fortisq́; fuit,tranſiuit Iſauros,
Cappadoces,Cilicas,Phrygios,per Troada venit
Littus ad Aegæum,Macetas,Theſeida gentem,
Aulida Cadmeam.Sunt qui veniſſe putarint
Barnaban in Latium,Romæ docuiſſe Latinos,
Atq; apud Inſubres ſacram tenuiſſe cathedram.
Dum Liſtris agerent,populis credentibus ipſum
Eſſe Iouem,Paulum verò grandi ore ſonantem
Mercurium,cum thuribulis venêre miniſtri
Sacrorum vitulos illis mactare parantes.
Ipſi autem qui ſe,atq; alios ſeruare volebant
Rem ſibi diuinam fieri vetuêre,monentes
Se fore mortales homines:libamina ſoli
Danda Deo:non dijs generi crudo atq; nefando.
Tandem vbi circuitu terras atq; æquora longo
Perluſtrauit,iter patrios conuertit ad agros.
Demùm vbi ſeminibus fidei primordia iactis

De Aequidijs,quorum eſt noctes æquare diebus.
Quod facit Autumno fugiens,& Vere reuertens
Sol Hyperionium,ſi vera eſt fabula,ſemen.

DE S. HELISEO CARmelita.

O Pater,ô princeps,ô dux Heliſee meorum
Heliadum,qui Cæſariæ coluêre penates,
Et vada Iordanis Libano venientia,ſalue.
Lux tua,poſt Idus Iuni quæ prima reſurgit:
Carmeli lætatur apex,fons inclytus ille
Quem pater Helias ſitiens potare ſolebat,
Illa luce ſinum magis implet,& vndiq; ripas
Tranſiliens recreat poſitos in margine flores,
Ac maris in virides decurrit alacriùs vndas.
Te pater omnipotens ob relligioſa Prophetam
Pectora conſtituit,liquidoq; infudit oliuo.
Igneus Heliam currus cùm ſuſtulit,ipſe
Admiratus,equos contemplabare volantes
Per nebulas,tibi diſcedens quaſi pignus amoris
Proiecit chlamydem,potuit quæ fluminis vndam
Siſtere,& excluſis vada reddere peruia lymphis.
Tu facis è vacuo viduam miſeratus oliuum
Emanare cado,ſterili producis ab aluo
Progeniem vetitam,paruo pòſt tempore cùm mors
Inuidiſſet eam matri,ſubitaq; fuiſſet
Vi prædata animam,tu morte potentior artus

In

In teneros reuocas vitam de limine Auerni.
Tu ferrum in latices lapſum ſuper alta natare
Aequora iuſsiſti, ſucco colocyntida amaro
Illicò feciſti miſſa ſimilagine dulcem.
Tu Iordanis aquis genus immedicabile morbi,
Quam dixêre malam ſcabiem, lepramq́, fugaſti.
Aſſyrios qui te captum venêre latrones
Illaqueas, iſti morbo eſt Aoraſia nomen.
Iezabel antiquas fraudes, & regis Acabi
Sacrilegum genus extirpas, diuûmq́, nefanda
Orgia, & vmbroſis poſitas in collibus aras.
Tu reges facis atq; regis, tu arcana reuelas,
Tu ventura canis, tu regni auriga fuiſti
Iſraël, & vigilans Solymorum in puppe magiſter.
Cùm tua latronis miſſum ſuper oſſa cadauer
Fortè foret (vis tanta tibi poſt fata) reuixit,
O morum exemplar, ô relligionis imago,
Cuius ad exemplum ſancti vixêre nepotes
Tempus ad hoc, etenim qui relligioſa frequentant
Clauſtra, ſuos vertunt tua per veſtigia greſſus,
Atq; tui ſimiles viuendo euadere certant.
Flecte acies in nos pater, & tua reſpice vultu
Tecta pio, quæ ſeruat adhuc Carmelus in alto
Vertice. Barbaricas gentes de finibus illis
Eijce, & exulibus da prima habitacula nobis.

DE

DE S. VITO, MODESTO, & Creſcentia.

COgor ob ætatem teneram ſubiungere ſancti
Feſta Viti, cui iuncta fuit Creſcentia nutrix,
Et qui prima dedit puero documenta Modeſtus.
Ipſe genus Lucanus erat, Lucania pars eſt
Italiæ ad Siculos vergens, vir nobilis etſi
Idolatra pater natum obiurgare ſolebat,
Quòd foret aſſuetus ſtatuas ridere deorum,
Præſertimq́; Iouis, quem Creta audiuerat ortum,
Et capra nutrice alitum ſub rupibus Idæ.
Talia præfectus mox vt reſciuit acerba
Mente ferens, puerum loris, & vimine torſit,
Nec mora, tortorum cubitos, & præſidis vlnas
Corripit ariditas, neruisq́; rigentibus arctat.
Tum puer, à veſtris ite impetrate ſalutem
Numinibus dixit: tandem miſeratus eorum
Supplicia orauit ſuperos, atq; arida ſoluit
Brachia, tam facilem puero ſe præbuit æther.
Tum pater intrudi iubet in penetralia natum,
Rimariq́; volens quid agat videt ignea ſeptem
Numina, & in medio puerum læto ore ſedentem.
Obſtupuit genitor, totamq́; exterruit vrbem
Se clamans vidiſſe deos, iterumq́; reclamans
Cerito ſimilis: ſed cùm non parceret ira,
Nec benè de nato poſſet ſentire, Modeſtus
Sic mandante Deo puerum procul egit ab vrbe.

Sed lar fraude potens, illi noua bella parauit:
Nam prolem ingreſſus Romano principe natam
A ſolo ſe poſſe Vito de corpore pelli
Dixit, & hac puerum Romana in mœnia traxit
Arte lemur, magnis animis vbi vicit atrocem
Sæuitiam diuûm atq; hominum, per verbera & ignes
Ductus ad æternæ decus immortale coronæ.
Poſt decimam tua quinta dies Vite ſancte, Modeſtus
Eſt comes in patria, qui per peregrina vaganti
Regna fuit. Nutrix quæ te Creſcentia nunquam
Deſeruit viuens, tecum quoq; mortua viuit.
Sunt quoq; qui Siculis paſſum regionibus iſta
Te tormenta velint, & te viciſſe cataſtas,
Vincula, ſquallores, clibanos, ferrumq́; ferasq́.

DE S. GERVASIO ET PROtaſio.

POſt decimam ſexti menſis tua nota Protaſi
Feſta dies celebrat, tecum prognatus eodem
Semine Geruaſius facti crudeliter ambo
Martyres Aſtaſio ſub iudice, regna tenebat
Tum Romana Nero, tum toto ex orbe fugatum
Fas aberat, terra atq; mari regnabat Erinnys:
Vos vrbem, cui lana ſuis dat nomina, veſtro
Sanguine tinxiſtis, poſt plurima tempora paſtor
Ambroſius vobis id ſignificantibus alta
Sub tellure ſimul vos inueniſſe iacentes

Dicitur,

Dicitur, & celebri magis exornaſſe ſepulchro.
Nunc quoq; vobiſcum fertur recubare, tribusq;
Eſſe vnam poſt fata domum: requieſcite ſancta
Magnanimæq; animæ, veneranda quieſcite membra,
Et vitam ſperate nouam, ſperate reuerti
Rurſus in antiquam lucem cùm venerit olim
Chriſtus ab æthereis ad mundi examina regnis.
Interea pacem noſtris orate diebus,
Et ſuper Italiæ populos triſti atq; nefanda
Sorte laborantes, ne qui regnare ſolebant
Funditùs intereant, cura vigilate ſalubri.

DE NATIVITATE S. IOANNIS Baptiſtæ.

ECce dies Iuni vigeſima quarta ſubintrat:
Ferte faces, date thura focis, accendite lychnos.
Feſta reuertuntur totis communia terris.
Cætera mortales aliqui venerantur, at iſta
Omne genus, colitur totum Baptiſta per orbem,
Armenij, Medi, Indi, Arabes, qui Neſtoris artes
Accepêre malas, luce hac ſua templa frequentant,
Seruiles faciunt operas ceſſare, peragrat
Paſcua bos, requieſcit humus, non vapulat incus,
Iura ſilent, ſileant & iurgia, relligioq;
Florat, & primæ pax & concordia vitæ.
Lux heſterna famem ſextam produxit in horam.
Et ieiuna fuit, feſtis maioribus hæc eſt

Debita relligio, ſed lux hodierna peractis
Manè ſacris tota in plauſus & gaudia tranſit:
Ruſtica verbenis cingit ſua tempora pubes,
Tibiaq́ accendit faciles inflata choreas.
Eſſe nuces memorant frondes, quæ ferre recuſent
Hactenus, arentes quas lux heſterna putabat,
Iſta dies vidit ramos geſtare comantes.
Sunt quoq́ qui filicem iurent hac ſemina nocte
Gignere, & hac ipſa deponere ſemina nocte.
Iſta dies igitur non ſolùm feſta vacari,
Verùm etiam miranda poteſt, quæ talia ſemper
Cùm redit apportat ſecum miracula rerum,
Progenies quam non poterant ſperare parentes
Amplius, & felix, & ſanctificata prius quàm
Nata, diem facit hanc alacrem, puer iſte futuræ
Nuncius ætatis miro diuinitùs ortu
Editus impuri fugit contagia vulgi.
Et memor Heliæ nemora, & ſylueſtria greſſu
Per loca ſoliuago primis habitauit ab annis,
Et modò Carmelo reſidens in monte virorum
Heliadum ſaltu, qui verſabantur in illo,
Diſcebat mores, & delectatus eorum
Relligione diu gelidis habitabat in vmbris,
Et modò Iordanem propter, ſi roſida prata,
Si vidiſſet humum curua in conualle virentem
Et vacuum ſine teſte locum, ſine voce ſilentem
Stabat, & eſuriem tenui ſedaſſe locuſta
Dicitur, ignorans adipem, ſiceramq́, merumq́,

Angelus

Angelus hanc patri prolem promiſit in alta
Arce Sionei dum accenderet orgia templi,
At cùm pollicitis eſſet malè credulus iſtis
Amiſit ſermonis iter, fraudata loquendi
Officio manſit quaſi fax ſine lumine lingua
Vt puero connixa parens, cùm nomina nato
Eſſent danda, pater vocis retinacula rupit.
Et noua fatidico modulans oracula cantu
Impoſuit ſanctæ prognoſtica nomina proli.
Aſt vbi iam fortes iuuenis peruenit ad annos,
Ad vada Iordanis reſidens venientia lymphis
Agmina dum tingit, ſubitò cognomina tali
Traxit ab officio, Chriſtum monſtrauit, in amne
Abluit, excelſo miſſum teſtatus Olympo.
Tanta erat in populis eius reuerentia, tantum
Nomen, vt ex cunctis fluerent regionibus illuc
Aßiduè velut ad quædam miracula turbæ.
Iſte Deo, plus quàm vates, auctore, vocandus
Maieſtatis erat tantæ per proxima regna
Vndiq; vt à populis Chriſtus iam poſſe putari
Inciperet, Chriſtus quem ſtirps Aegyptia Moſes
Venturum auxilio terris promiſerat olim.
Aſper, & hircino veſtitus tergore, longis
Impexiſq; comis, lapſaq; in pectora barba
Mortales obiurgabat ſermone ſeuero,
Atq; ſuperciliјs inſectabatur acerbis
Omne nefas, homines animans ad Olympica regna.
Hæc ſatis hîc. Alio referentur funera cantu,

Sancte precor iuuenis, qui prima ſedilia cœli
Iure tenes inter ſuperos, reminiſcere quantis
Cladibus humanum premitur genus, aſpice gentem
Chriſtigenam, fineſq; tuos, vbi debita nobis
Regna tenet Chriſto rabies Agarena fugato.
Pelle Arabum ritus, gentemq; extingue ſuperbam,
Eliadeſq; tuos in regna antiqua reporta.

DE MARTYRIO S. PETRI &Pauli.

SAluete ô magni duo maxima lumina mundi
Petre & Paule, dies veſtris hæc clauſa triumphis.
Iunius exibat, iam ſol penultimus vmbram
Noctis in occaſum, ſtellaſq; fugauerat omnes,
Cùm viroſa Nero ſpirans aconita draconis
More veneneſi rabiem prorupit in iſtam,
Et ſcelus eſt auſus, quod non abolebitur vnquam,
Vndè illi parta eſt æterna infamia ſeclo.
Iuſsit enim Petrum, quo non inſignior alter
Relligione fuit, pedibus ſublime leuatis
Ore in humum verſo pendêre patentibus vlnis,
Et Paulum rigido iugulum ſubmittere ferro.
Nomen erat Petro Simon ab origine, ſed cùm
Vellet eum Deus eſſe baſim templo ædificando,
Fecit ei ſolidæ nomen de nomine petræ.
Poſteritas quia rector erat, clauumq; tenebat
Appellare Cepham voluit, quæ nomina Graio

A ſer-

A ſermone trahunt ſicut Ionus indicat, ortum.
Chriſtus ob ingenium ſimplex, & mite, piumq́;
Retia per fluuios, & per piſcoſa trahentem
Stagna virum tulit, & docuit conuertere gentes,
Regna gubernare, & diuorum euertere cultum.
Vrbibus Aſſyrijs Chriſti poſt funera poſtquàm
In cœlum reditus bis ſeptem dicitur annos
Impendiſſe graui vexans mala numina bello.
Mox maria ingreſſus, longaq́; ambage viarum
Circumlatus iter vertit Bithynica verſus
Littora, Cappadoces, Galatas, Pontumq́; peragrans,
Quotquot erant illis Iudæa ab origine regnis
Edocuit Chriſtum, veteriq́; retraxit ab vſu.
Indè per Aegæum, per Cycladas, Ioniumq́;,
Multa mari, & terris diſcrimina paſſus ad vrbem
Romuleam mundi dominam, rerumq́; potentem
Venit, vbi æterni iaceret primordia regni.
Tum magus Aeneadas Simon, ipſumq́; Neronem
Præſtigijs ludens ſeſe iactabat iturum
Aërium per iter, volucresq́; æquare volatu.
Petrus vt à terris ſublatum in nubila vidit,
Submiſsis genibus multa prece numina flexit
Vt rueret præceps: igitur quaſi plumbea moles
Cum ſtridore ruit, fuſisq́; attrita medullis
Oſſa ſolo hæſerunt, animam Vulcanus ad vmbras
Traxit, & in tetri foricis ſepeliuit Auerni.
Cùm foret à Solymis in ahenea vincula miſſus
Per noctem domus intremuit, patuere repentè

Sponte fores, ſtetit attonitus ſine voce ſatelles,
Diſsilijt ferrum, fractæ cecidere catenæ,
Liberaq́ excuſsis mouit veſtigia vinclis.
Prætereo à ſancto quòd Centurione vocatus
Lauit eum. quòd de nigro Phlegetonte puellam
Traxit, vt à grauibus morbis abſoluerit ægros.
Cuncta ſequi grandis labor, & mora longior anno.

DE S. PAVLO.

SAulus erat quando furijs agitantibus ibat
Alta Damaſcenæ ſubiturus mœnia terræ.
Sed traxit collapſa vetus dementia ſecum
Nomen, & euaſit Paulus, qui voce per orbem
Intonuit tanta, vt Boreas audiret, & Auſter,
Ortus, & occaſus, maria vndiq́, & vndiq́ terræ.
Quis referat gentes, quis regna recenſeat, vrbes,
Oppidaq́, & populos, per quos vitalia ſparſit
Semina Triptolemo ſimilis, ſi ſancta profanis
Admiſcere licet? Non tot Proſerpina matri
Eſt quæſita vijs, nec tanto inuenta labore,
Quanto humana ſalus Paulo ſatagente reperta eſt.
Europam metire animis, Aſiamq́ theatrum
Iſtud erat Paulo, tanta hac certauit arena
Non vada, non Syrtes timuit, iuga ſumma, minantes
In cœlum ſcopulos ſumptis quaſi Pegaſus alis
Tranſijt. Obicibus nullis mens ardua ceſsit.
Geryonem, Antæumq́ Erycen, pecudumq́ Erymanthi

Suſtulit

Suſtulit Alcides, mo ſtrumq; immane Molorchi.
Iſte Deos Saturnigenas, Martemq;, Iouemq;,
Neptunum, & reliquos, qui tum diadema ferebant,
Et quibus imperium Romæ ſubmittere faſces
Et curuare caput, vitulósq; adolere ſolebat.
Sicut in igne chalybs poſitus candeſcit, & ignem
Concipit, ac ſtipulas, admotaq; robora adurit:
Sic animus Pauli diuino accenſus amore
Euaſit diuinus amor, qui feruida corda
Redderet, & cœleſti homines accenderet æſtu.
Nec ſat erat gentes coràm docuiſſe, docebat
Abſentes etiam, teſtatur epiſtola Romam
Miſſa, notæ ſuperant, quas accepêre Philippi,
Theſſalonicenſes, Galatæ, ſubiunge Corinthum,
Ad genus Hebræum miſſas, Epheſumq;, Rhodumq;,
Et quæ diſcipulis fidei documenta reliquit.
Inter mortales nil magnificentius vnquam
Auditum, viſumúe fuit, non ſupplicat ore
Seruili ſeu mendico, ſed grandia fatur
Nil veritus procerum vultus, & regibus ipſis
Imperat, imponens leges ceruicibus altis.
Adde quod ad ſuperos raptus cœleſtia vidit
Viuus adhuc, & adhuc terreſtri in corpore regna,
Audiuitq; Deum verba immortalia fantem,
Quæ non ſit licitum fari mortalibus vllis.
O diuinæ animæ, quarum ſanctiſſima Romæ
Membra cubant, ſeruate fidem, prohibete ruinam.
Atq; reformandi curam, ſtudiumq; ſenatus

Vſurpate, vetus iam diſciplina fatiſcit,
Conſenuit probitas, & morti proxima languet,
Vt licet iſta dies Diuis ſit ſacra duobus
Cras tamen ac ſi lux non ſit ſatis vna duobus
Propria ſoluuntur laudum præconia Paulo.

BAPTISTAE MANTVANI CARMELITAE THEOLOGI: FASTORVM Liber Septimus.

IVLIVS.

DE VISITATIONE B. VIRginis Mariæ.

IVlius ingreditur, duris tritura flagellis
Verberat arentes rapido ſub ſole maniplos,
Et per aduſta ſonant Tithonides arua cicadæ.
Audierat Virgo partu fœcunda recenti
Concepiſſe nurum ſterilem ſibi ſanguine iunctam.
Viſat vt agnatam peragrare iuuencula ſaltus

Audet,

Audet, & Aprilis virides iam neuerat vmbras,
Ruraq́; multiſono cantu mulcebat Aëdon
Quando pium ſuſcepit iter, peregrinaq́; manſit,
Tertia dum claro ſenuit Proſerpina vultu.
Quàm primùm ſolis radios egreſſa videri
Cœpit quarta, domum rediјt, nos miſimus iſtam
Inter feſta diem, dedimuſq́; vocabula facti
Iam dudum officiј, Panchæaq́; thura cremamus.
Vt primo ingreſſu dextras iunxêre parentes,
Vt commiſſi vteri miſſis ad colla lacertis,
Res noua, nec ſeclis audita prioribus vnquam
Contigit, infantes ſeſe agnouêre. Ioannes
Conceptu qui maior erat, mirabile dictu,
In genua erectus duplices ad ſancta tetendit
Virginis ora manus: ſenſit myſteria mater
Grandior, & Chriſti ſic eſt affata parentem,
Vndè mihi, vt mater Domini mea tecta ſubintret?
Vndè datum? thalamis vndè hæc noua gloria noſtris?
O fœlix & fauſta dies, ô enthea Virgo,
Quæ dictis adhibere fidem cœleſtibus auſa es.
Sic ſenior, maiore animi dulcedine Virgo
Fecit, & exultans cecinit memorabile carmen,
Quod chorus alterno cùm ſol declinat ab axe
Pronus ad Antipodes modulatur ad organa cantu:
Talia maiores noſtri myſteria docti
Inſtituêre coli lucem ſolenniter iſtam.
O geminæ matres, quæ pignora tanta tuliſtis,
Eſte pudicitiæ noſtri cuſtodia ſecli,

Et mores ſeruate bonos. Venus, atq; Cupido,
Omnibus in terris bellum indixere pudori,
Et fugit ex tectis, ac profligatur honeſtas.
Ah prohibete nefas ſceleriq; occurrite tanto.

DE S. MARGARITA.

SOle Molorchæum Canis ingrediente Leonem
Surgit, & ardorem duplicat, natura maligni
Syderis ægrotans vitio incuſare videtur
Artificem mundani operis, qui iunxerit aſtra
Hæc duo, & æſtati tantos adiunxerit ignes,
Febrit humus, campis ægræ ſitientibus herbæ
Inclinant capita, & folijs exanguibus arent,
Diſsiliunt agri, rimiſq; videntur apertis
Velle queri, & ſiccis inceſſere faucibus aſtra.
Deficiunt clauſis exhauſti fontibus amnes,
Et vada nuda ſilent, nullum Tithonia rorem
Fert aurora, carent nubes humore, ſepulti
Sunt zephyri, nec flant ſoliti ſpirare quotannis,
Cùm caput attollit ſitibunda Canicula, venti,
Axis Hyperborei ſolem frenare potentes,
Iulius eſt menſi nomen, quia Iulius iſto
Aeditus eſt Cæſar Martis ſub ſydere menſe.
Eſt in littoribus quædam maris inclyta rubri
Concha ferens gemmas, quibus vnio nomen apud nos
Margaritas Grai appellant, quo nomine virgo
Quæ immortale Syræ decus eſt, & gloria gentis
Appellata

Appellata fuit,claris natalibus orta eſt
Quà rigat Antiochi præclaram Farfarus vrbem.
Et quia nos aliàs eius memorauimus acta
Latius,hic lucem ſatis eſt oſtendere feſtam,
Et quæ paſſa die terras mutauit Olympo.
Hæc aurora fuit menſis vigeſima Iuli,
Aßyrijs quando vultu prælata puellis
Poſt ferrum,poſt ſqualores,& carceris vmbras,
Poſt ſtygios manes varia ſub imagine victos
Perdidit effuſo florentem ſanguine vitam.
Hæc igitur iucunda dies,onerata laborant
Horrea,ſuppoſitis opus eſt laquearia fulcris,
Et curuas munire trabes,ſudaſſe colonus
Gaudet,& excelſis numeros incidit aceruis.
Fruge noua redolent tectis fœnilia plenis.
Prata virent rurſus,pecoris ſpes altera cordum
Autumnale comas iam porrigit,vua rubeſcit,
Et ſtudet accepto ſenſim miteſcere Baccho.
Iam pira,quæ dicunt glacialia carpere tempus,
Languida ficus adeſt,& vulnus ab alite paſſa,
Ficedulam noſtri dixêre, συκόλιδα *Graij.*
Perſica quid referam? Veteris quid poma Damaſci?
Quid telluris opes? quibus hoc tolerabile tempus
Alma parens natura facit,ſub frondibus amplis
In tellure iacens pepo iam maturus odorem
Spargit,& occultat glauco ſub cortice nectar,
Quod queat ardentes Phœbi compeſcere flammas.
Ecce per areolas vt lato effunditur orbe

Seßilis

Seſſilis irriguum quæ fert lactuca ſoporem.
En cucumis iecori pariens medicamen aduſto,
Nec non & gelido ventroſa cucurbita ſucco,
Quæ diſcumbit humi, quæq; arbore pendet ab alta
Porrecta in longum niueo ſub cortice ventrem.
Ite igitur matres, tremuloq; orate puellis
Ore pudicitiam, tempeſtiuoſq; hymenæos,
Diua Deum faciet veſtris accedere votis.
Sunt quoq; qui celebrant eius ſolennia luce
Terdecima Iuli, quod tunc migraſſe feratur
Ad ſuperos: Vel quòd tunc eſt agreſſa duellum
Suſcipiens magni fortem certaminis orſum.
Fluxit ab incertis pius hic rumoribus error.

DE S. MAGDALENA.

LVcebis vndecima dum Iulius æſtuat, ecce
Magdalena ferens loculos ſpirantis amomi
Panditur effuſis per eburnea colla capillis.
O mulier quæ ſpem veniæ mortalibus affers
Et delere doces humana piacula, ſalue.
Illuſtri te ſtirpe ſatam, ſub purpura, & auro
Tranſegiſſe ferunt teneros regaliter annos.
Et quoniam tempus iuuenile, licentia, forma,
Ocia, deliciæ, mortalia pectora ſoluunt
In Veneremq; trahunt, malè cuſtodiſſe pudorem
Diceris, & cæci ſenſiſſe Cupidinis arma.
Forma Helenæ tua forma fuit, damnoſa pudicis
Mentibus,

Mentibus,& tetricos potis emollire Catones,
Hinc fas eſt ſpectare,quibus ſuppoſta periclis
Vita ſit,& quot ſunt pelago Symplegades iſto.
Mens falſis deluſa bonis magneta,polumq́;
Perdidit,& fracto paſſa eſt naufragia clauo,
At pater omnipotens,vt ſe cognoſceret ipſam
Fecit,& illudentem oculis diſpeſcuit vmbram.
Tum pertæſa graues maculas,heu pœnitet,inquit,
Pœnitet,atq; pudet vitæ infœliciter actæ,
Iratos patior ſuperos,me numina toruum
Proſpiciunt,in ſorde cubo tenus ore ſepulta.
Manibus in prædam data ſum,me poßidet orcus,
Deq; meis furiæ exuuijs poſuêre trophæum.
Hæc vbi dicta,ſinum tracto velauit amictu
Continuò,& gemmas à fronte,à pectore,ab aure
Diripiens clauſit loculis,& pyxide eburna.
Qui verò abſcondit næuos,& adulterat ora
In foricas egit fucum mirrhamq́;,thymumq́;,
Et quæcunq; tulit Venus vnguentaria vaſis
Ad lapidem fractis velut abiectißima quædam
Purgamenta,ſolo dedit,in nihilumq́; redegit.
Talia dum fierent magnum germana prophetam
Aduentaſſe refert hominem,qui tollere poßit
Nequitiam,ſcelera,errores,& reddere ſanctos.
Nec mora,proripuit celeri ſe concita greſſu
Inuenitq́; virum cum maieſtate loquentem
Grandia,conuiuaſq́; graui ſermone docentem.
Et proſtrata ſolo lachrymis veſtigia Chriſti
Abluit,

Abluit, abſterſitq́ comis, vnxitq́ alabaſtro
Officio tali ſcelerum de Syrte ſuorum
Eruta ſurrexit, ſeſeq́ redemit amando.
Quæ Chriſti lauere pedes, lauere furorem
Lachrymæ, & inſanæ deliramenta iuuentæ.
Diſcite quos cæcus facit inſanire Cupido,
Diſcite ab hoc fœto quod ſit medicamen amori,
Diſcite quo poßit vitium iuuenile domari
Vomere, qua vinci cangrena libidinis arte.
Quærite diuinum mala qui lauat omnia fontem.
Hinc miſeri diſcant non deſperare ſalutem,
Nam quicunq́ dolent vitam inſynceriter actam
Innocui fiunt, ægroti incendia cordis
Tanta valent, fiunt pueris inſontibus æqui.
Ipſa fuit magnæ comes atq́ ancilla parenti,
Et Chriſti pars magna domus, miracula vidit
Facta per aßyrias cunctis notißima gentes.
Affuit extremis Chriſti cruciatibus inter
Agmina rhomphæis, grauibusq́ horrentia pilis.
Ipſa triumphato vidit Phlegethonte magiſtrum
Prima reſurgentem lachrymis præ gaudio obortis.
Cùm mala iam Chriſto ſors in ſua regna reuerſo
Chriſtigenas premeret, patrijs de finibus ipſa
Et ſoror, & frater ventis ad regna ſecundis
Gallica venerunt, vbi curuo in littore quondam
Mœnia Phocenſes noua fundauêre coloni.
Magdalena ferens ſeſe in deſerta ſub altis
Delituit cryptis, manſitq́ incognita longo

Tempore

Tempore,& à ſolis habuit conuiuia diuis,
Cum quibus aßiduè ſeptem,quas dicere mos eſt
Canonicas modulis celebraſſe ſuauibus horas
Dicitur,& dulci reſonaſſe per aëra cantu.
Tandem vbi finito venit lætbabile tempus
Exilio,poſitis iuit ſuper æthera membris.
Sunt qui turpe putent Marthæ infamare ſororem,
Sed memorant alia quandam de gente puellam
Nominis eiuſdem,cui ſic illuſerit illa
Tempeſtate Venus iuuenum teterrima peſtis,
Gregoriumq́; volunt fœdi qui criminis autor
Extiterit peccaſſe,velut peccaſſe Maronem
Dicimus ob læſum caſtæ Didonis honorem.
Sed quoniam diui qui ſupra ſydera viuunt
Non curant de ſe in terris quid fama loquatur,
Nectar enim quo veſcuntur dediſcere terras
Cogit,& inducit perituri obliuia mundi,
Nos quoq; rumores hominum contemnimus iſtos,
Et ſeu peccatrix fuerit,ſeu neſcia culpæ
Non dubitamus eam menſis accumbere diuũm.

DE S. IACOBO.

ANnua maiori vigeſima quinta Iacobo
Sacra dies aperit,Chriſti matertera,mater
Huius erat,genitor verò Zebedæus,in altum
Primus hic ex Chriſti ſocijs migrauit Olympũ.
Ipſe vbi diſcedens petijt ſua regna magiſter,

Longum

Longum iter ingreſſus noſtri maris omnia vidit
Littora,& Heſperias vbi ſol iam feſſus anhelis
Intrat equis magnum Oceanum,peruenit ad oras.
Hic vbi ſe tenui conſumere tempora meſſe
Vidit,& exiguam ſe mittere in horrea frugem
Duritiem gentis pertæſus,& arida corda,
Vertit iter,rurſumq; ſuos annauit ad agros.
Redditus Aſſyrijs,notas dum permeat vrbes
Imbutum Plutone magum verbisq; potentem
Theſſalicis,cœlo audentem deducere Lunam
Repperit Hermogenem caſu,comitemq; Philetum
Repperit,& vicit,victos in flumine lauit.
Res ea primores Iudæûm accendit,& ira
Atq; graui liuore actos capere arma coëgit,
Vimq; pio moliri homini:feralibus auſis
Affuit Alecto,mißis ad colla catenis
Siſtitur Agrippæ regi,capitale iubetur
Supplicium,indignamq; pati ſine crimine mortem.
Diſcipulos,aiunt,noctu venerabile corpus
Impoſuiſſe rati,ventoq; iuiſſe ſecundo
Rurſus ad Heſperios,& Luſitana petiſſe
Littora:ſic patri qui temperat omnia viſum eſt,
Vt quos non potuit viuens poſt funera ſaltem
Flecteret ætherei poſſeſſor & incola mundi.
Diſcipuli ſacrum corpus de naue ferentes
Impoſuêre graui quod erat propè littora ſaxo.
Continuò res mira oculis apparuit,illud
Marmor iners tacto quaſi lympha cadauere ceßit,

Atq; ſinum dedit ingentem, totumq; recepit
Corpus,& extemplò moles ea facta ſepulchrum eſt.
Tunc erat his opulenta locis Lupa fœmina vafro
Ingenio, quæ diſcipulis poſcentibus ædem
Sarcophago dignam, cupiens illudere, tauros
Ite, ait, indomitos plauſtro ſubiungite, & iſta
Mauſolæa trahant, ſedes vbicunq; quierint
Veſtra ſit, his homines mulier fruſtrarier orſa eſt.
Illi autem magnis animis, & numine freti
Inuenêre pecus placidum, mite, ac manſuetum,
Quod Lupa credebat ſæuum, atq; immane futurum.
Quatuor eximios loris iunxêre iuuencos,
Qui nunquam iuga pertulerant, ſed nocte, dieq;,
Quà lauat Oceanus ſparſas per littora conchas,
Incuſtoditi ſyluis errare ſolebant.
Ergò rotis buſto impoſito, bobuſq; iugatis
Sub temone ſinunt plauſtrum diſcedere quorſum
Impetus excierit per rura patentia tauros.
Illi autem rectore Deo venêre ſub alta
Tecta Lupæ, fixiſq; rotis in puluere plauſtrum
Conſtitit, & factum eſt tauris immobile pondus.
Tum Lupa perpendens opus admirabile tectis
Ceſſit, & hoc pacto facta eſt domus ardua templum.
Templum horrendum ingens, quo toto ex orbe feruntur
Munera, quod viſum veniunt Aquilonis, & Auſtri
Incolæ, & Aegæas qui ſulcant nauibus vndas.
Sic regio conuerſa Tagi, ſic Betis, Anaſq;,
Thuriaq; ad noſtras leges, ſic venit Iberus.

ſ Hos

Hoc ſortita decus longinqua Hiſpania tantum.

DE S. CHRISTOphoro.

LVx eadem magno vehit annua feſta giganti,
Qui q; in excelſis humeris transflumina Chriſtū
Vexit,ab officio tali cognomina traxit
Chriſtophori,Cananeus erat Syriaq; colonus,
Reprobus à prima ſortitus origine nomen.
Corporis immenſi,pote quod ſurgebat ad vlnas
Verticebiſſenas,facies ampliſſima nigris
Torua ſupercilijs,oculi ſplendore micantes
Sanguineo,præ ſe ingenium,præ ſe alta ferentes
Corda,nec aduerſos quicquam trepidantia caſus:
Iſtevelut nouus Anteus,velot alter Oreſtes
Ibat,& Athlantis Lybici qui fertur Olympum
Suſtinuiſſe humeris,& Orionis ora ferebat.
Pectora cernenti grauis occurrebat imago
Terrigenûm,qui miſerunt invincula Martem.
Brachia dixiſſes annoſæ brachia quercus
Explorata gelu,ſcabroq; horrentia libro,
Crura putes duris natas in cotibus ornos.
Caucaſeas verò cautes veſtigia: latis
Sub pedibus quoties ibat latè arua tremebant.
At coma quæ à mēto in pectus,quæ à vertice in armos
Ibat,erat ſimilis ſetis,quas tergore ſummo
Fert annoſus aper,ſed opaca obſcurior vmbra.

Talis

Talis hic ac tantus domino ſeruire potenti
Vt perhibent cupiens, patrios liquiſſe penates
Dicitur, & ſummum quæſiſſe per omnia regem
Regna vagans: toto tum rex magis inclytus orbe
Thracius Euxinis qua Boſphorus æſtuat vndis
Conſtantinus erat, Romanaq; ſceptra tenebat.
Huic igitur, vel fortè alio, nam futilis author
Nomina neglexit regis, quem credidit ipſe
Inter mortales primùm, reuerenter adhæſit,
Seruiuitq; diu. Sed cùm didiciſſet Auernum
Viribus humanos reges præcellere, tanta
Improbitas hominem traxit, deſcendere ad orcum
Attentaſſe ferunt, & quæſiuiſſe Charontem.
Dum deſerta igitur ſolus nemoroſa peragrat,
Et veſtigat iter nigri Phlegetontis ad amnem,
Inueniſſe caſam fertur ſenis, inter opacas
Viuentis ſyluarum vmbras, ſaltuſq; ſilentes.
Hic vbi ſe dixit ſummum perquirere regem
Reprobus, ô iuuenis proceri corporis, inquit,
Si ſapis inuentu facile eſt quod quæris Olympum
Suſpice in excelſis habitat qui ſydera fecit,
Et maria, & terras, & quicquid in æquore viuit,
Quicquid & in terris, ipſi teterrimus orcus
Seruit, & ignifero ſol qui videt omnia vultu.
Vidiſti ſtellarum ignes, lunamq; figuræ
Multiplicis nunc exhauſto, nunc lumine pleno
Nocte relucentem? Chriſtus Deus iſta gubernat
Omnia, quæ primo rerum produxit ab ortu.

ſ 2 Talibus

Talibus attentas præbebat Reprobus aures,
Atq; ait: O ſenior quo tandem cernere pacto
Fas mihi, & affari regem hunc, qui condidit orbem?
Tum ſenior: Rex iſte tuis non indiget armis,
Nam propria vi cuncta poteſt, ieiunia quærit,
Et ſtudium pietatis amat, precibusq; mouetur.
Tunc Reprobus: Quid opus multis? curuare precando
Crura piget, graue ferre famem. Si robore, & iſtis
Quæ natura dedit mihi fortia, & ardua membris
Illi opus eſt doceas, patiens onus omne ſubibo.
Tum ſenior: Pete vicini vada fluminis, inquit,
Turba vbi conſueuit mergi non parua quotannis,
Et transfer quoſcunq; vides acccedere ad amnem:
Forſitan his ſtudijs rex oblectatus aperto,
Pandere ſe, teq; affari dignabitur, ore.
Iuit, & innitens longa trabe fluminis altas
Tranſmigrabat aquas tunicis ad cingula tractis.
Ocia ducentem ſub acernæ tegmine ſyluæ,
Nam ſibi texuerat cæſis vmbracula ramis,
Ex improuiſo puer excitat, atq; iacentem
Nomine Chriſtophorum verſo compellat ab vndis.
Cùm verò infantem conuerſo ad flumina viſu
Non vidiſſet, iners iacuit fuſusq; per herbam
Indulgere parat ſomno dum præterit æſtus,
Ecce iterum vox prima ſonat, rurſumq; vocatus
Os leuat, atq; locos mirans circumſpicit omnes,
At nihil apparere videns inſomnia vocem hanc
Credidit: & dum vult iterum recubare, repentè

Vox redit, & Chriſtum pueri ſub imagine vidit,
Nec tamen aduertit pueri ſub imagine numen.
Surgit, & infantem ſcapulas attollit in altas.
In medijs gradiens cùm iam perſiſteret vndis
Sentit onus graue, & immenſum, ſuraſq; labare
Et curuari humeros, & ſe ſuccumbere moli,
Innixuſq; trabi contrà duo pondera pugnat
Amnis, & infantis, tandem ſudore fluenti
Ora madens, & vix plantis titubantibus hærens
In ripis deponit onus, puerumq; tuendo,
Vndè, ait, iſta tibi grauitas? nec enim tibi membra
Aenea, ferre polum aſtriferum ceruice videbar.
Talia fans verbis vix reſpirabat anhelis.
Deſine mirari, dixit puer, aſtripotentem
Vexiſti ceruice Deum miracula verbis
Sunt factura fidem, ſiccam qua flumina tranſis
Fige iſtam tellure trabem, cùm venerit orto
Craſtina ſole dies frondes & poma videbis.
Vidit, & obſtupuit, lotuſq; in fluminis vndis
A ſeniore, vias iuit, quò reddere poſſet
Obſequium Chriſto maius, melioraq; lucra,
Ad Lycios primò multos vbi viderat olim
Multa pati propter Chriſtum tormenta receſſit.
Hic vbi diuino percepit munere linguam
Poſſe loqui Lyciam, Pataræaq; verba ſonare,
In fora proceſſit, populoq; aſtante reſoluit
Os alto clamore docens idola, deoſq;
Quos colerent non eſſe deos, ſed ſaxea ſigna,

In quibus inferni manes habitare, loquiq́;
Sint ſoliti, nomenq́; ſibi vſurpare deorum.
Vtq́; fides fieret dictis extemporè fecit
Arentem frondere ſudem, contumq́; trabalem,
Quem dextra complexus erat, quid plura? repentè
Turba deuouêre deos, & poplite flexo
Extendêre manus Chriſtum clamore vocantes.
Hæc vbi primores populi ſenſere, miniſtris
Acciuêre hominem miſsis, qui ſponte nec vllam
Vim paſſus præſenti animo ſtetit antè tribunal.
Vt fuit incluſus tandem ſquallente baratro
Carceris ex oculis eius per opaca refulſit
Clauſtra iubar, quod captiuos exterruit omnes,
Per quod ſcorta duo fuerant quæ miſſa gigantis
Vt caperent mentem illecebris petulantibus altam,
Ad ſanctam venêre fidem, lucentia miris
Vt vidêre modis excelſi lumina vultus,
Præſentem ſenſere Deum, mox ferrea paſſus
Verbera, & ardentem galeam, conſidere ahena
Eſt in ſella igni ſubter flummante coactus.
Expoſitus demùm iaculis pendêre ſagittas
In vacua fecit (res admirabilis) aura,
Ex quibus vna adijt faciem tortoris acuta
Cuſpide, & vt ſcopulo pupillæ infixa pependit.
Chriſtophorus verò miſerans ea vulnera dixit,
Cùm fuero vita functus de ſanguine noſtro
Cum tellure lutum facies, oculumq́; perunges,
Hoc certum medicamen erit. Non immemor huius
Conſilij,

Conſilij.fecitq́ lutum,frontemq́ perunxit
Tortor,& ex tenebris traxit mentemq́,oculoſq́:
Namq́ vbi ſe ſacro curatum ſanguine vidit,
Pœnituit,fleuit,fontemq́,fidemq́ recepit.
Poſt tot conflictus,poſt tot miracula tandem
Migrauit iugulo victor ſuper æthera cæſo
Chriſtophorus,Dominum quem veſtigabat adeptus.

DE S. ANNA.

ANna puerperio fortunatiſsima ſancto
Tres habuiſſe viros, & tres genuiſſe puellas
Dicitur.In prima eſt magis admirãda,q author
Iſtius immenſi molis,quam dicimus orbem
Ipſius eſt ſoboles,& qui ſine fine manebit,
Et ſine principio manſit generatus ab illa eſt.
Anna diu ſine prole fuit,ſterilemq́ putabat
Se fore,ſed nondum gignendi acceſſerat hora,
Quam dederat diuina nouis ſapientia rebus.
Hæc vbi conuerſo totiens erupit Olympo
Protulit vt modò vult hominum pars maxima natam
Criminis expertem fecit cui nomen origo,
Longum expectato faceret quæ exordia ſeclo.
De Iudæ prognata tribu Bethlehemica ciuis.
Sed Ioachim vir primus erat Galileus eandem
Progenies ſortita tribum,Nazarenus ab vrbe
Nazareth ad Libani cedros priſcamq́ Damaſcum
Accedente magis cœli glacialis ad axem.

Septima lux huic antè tuas Auguſte Calendas
Eſt ſacrata ſuis cùm iam tritura flagellis
Parcit,& in grandes ſtipulam congeſſit aceruos:
Hanc lucem celebrate nurus,celebrate puellæ,
Ite decus veſtrum nebulis ſuffite Sabæis.

DE S. MARTHA.

Altera cùm ſurgens terras aurora colorat,
Martha venit quondā trāslata procacib. vndis
Maßiliam ſine remigio cùm tota per orbem
Eſt diſperſa domus Chriſti,flagrante per omnē
Aßyriam Iudæûm odio,ac liuore deorum.
Hæc erat aßiduè turbis intenta docendis,
Et lepido ſermone potens pangebat in altis
Mentibns indigenæ gentis plantaria ſanctæ
Legis,& ad Chriſtum Rhodano prætenta vocabat
Oppida,& æquoreis contermina fluctibus arua.
Hæc ea cui Chriſti reſtrinxit fimbria fluxum
Sanguinis vt plerię; putant,hæc hoſpita Chriſti
Sedula,turbari quæ circum multa ſolebat,
Dum ſtudet hoſpitibus pietatem impendere totam,
Nunquam paſſa marem,nunquam pertæſa pudorem.
Finitimos illis monſtrum fluuiale diebus
Vaſtabat campos,lanians in flumine nautas,
Submergensę; rates,cui forma ſimilima fibro
Prima figurabat taurum,pars vltima piſcem,
Grande animal,toruum aſpectu, ventroſius vro.

Hæc

Hæc fera non agris tantùm ſed & vrbibus eſſe
Cœperat horrori, plebes Arelatica portis
Mœrebat clauſis, ex Auinione timebant
Attoniti ciues prodire in rura, Viennam
Lugdunumq́; ierat viroſi infamia monſtri.
Ad Martham coëunt omnes, lugubriter orant
Adſit, & hanc diram precibus compeſcat Erynnim:
Cum populis igitur petijt vicina Taruſco
Arua, vbi cœnoſa pecus hæc habitabat in vlua.
Exiliens monſtrum ſemeſa cadauera calcat
Vnguibus, & turbis audens occurrere frontem
Eleuat obſcuram, dentesq́; oſtendit aduncos,
Ora cruenta, cauas fauces: interrita virgo
Vt crucis in formam digitos extendit, opacum
Demiſit cilium pecus, atq; immobilis hæſit
Par ſtatuæ. Virgo ſacros in lumina rores
Proijcit accedens, pecudisq́; ad colla ligauit
Cingula. Tum læto turbis mirantibus ore
Annuit, vt longis peterent haſtilibus hoſtem.
Sic commune malum, ſic eſt commune periclum
Ocius ablatum, populiq́; à peſte redempti.
Poſtquàm ſparſa fides, & propagata tetendit
Latiùs errantes ramos, collegit in vnum
Virgineos ſecum cœtus, ſtatuitq́; pudori
Grande gynæceum, quo ſe ſociasq́; recluſit
Traductura dies tranquilla in pace quietos.
Cùm venit ſuprema dies cùm in limine mortis
Iam foret, inferni manes venêre repentè,

Et ſubitas igne extincto ſparſere tenebras
Per thalamum, fuit auxilio ſoror altera quæ iam
Iuerat ad ſuperos magno cum lumine raptim
Affuit, & lemures atros in tartara miſit,
Nomineq́; appellans Martham, diſſoluere, dixit,
Corpore, & ad cœlos mecum germana venito.

BAPTISTAE MANTVANI CARMELITAE THEOLOGI: FASTORVM

Liber Octauus.

AVGVSTVS.

DE S. PETRO IN VINCULIS.

Auguſtus iam menſis adeſt, à Cæſare nomen
Tranſijt ad menſem, quòd res ſub principis huius
Auſpicijs Romana foret ſublimiter aucta,
Quòd ſedata illo ciuilia bella fuiſſent
Tempore, tunc etiam tellus Aegyptia noſtras
Venerat ad leges, his plebs Romana Calendis
Thus, coſtum, myrrhamq́; adolens ſpicamq́; Ciliſſam
Ibat ad Auguſti ſublimem Cæſaris aram.

Dicitur hunc morem mutaſſe Syricius illis,
Qui tenuit Petri caulas cymbamq́;, diebus.
Nam cùm Theodoſij proles Eudoxia Romam
Vincula ab Aſſyrijs ferrugineasq́; catenas
Vexiſſet, quibus Herodis petulantia Petrum
Preſſerat, inuenit cauſam, qua flecteret vrbem
Ad noua mutato Petri ſolennia ritu.
Tunc etenim coràm tota concorditer vrbe
Attulit Herodis Romæ regina catenas
Papa Neronæas. Vt ſe tetigêre repentè
Vna fuit, neq; deprendi quis iunxerit illas
Fas fuit, humanos luſerunt numina ſenſus,
Atq; ita decretum Petro debere Calendas
Eſſe ſacras poſt hac, & dici ad vincula feſtum.
Hac etiam Balbina die curata putatur
Gutturis inflati vitio, duce nata Quirino
Iſta fuit, quæ cùm ſacris poſtrata dediſſet
Oſcula compedibus Petri, deformia ſenſit
Guttura in antiquum ſubitò rediſſe decorem.
Primus Alexander, qui tunc indigna ferebat
Vincla ſub Auguſto, cui fecerat Adria nomen,
Hæc vbi reſciuit (pietas ita compulit illum)
Adiunxit feſtis lucem noſtratibus iſtam,
Qua tulit optatam virgo Romana ſalutem,
Atq; ita de cauſis lux eſt veneranda duabus.
Eſt aliud quo læta magis ſolennia fiant,
Nam quæ Vere nouo priſci celebrare ſolebant
Quando Aries pandit reduci ſua limina Phœbo
Mittere

Mittere in hanc lucem conſueuit Hilaria vulgus,
Et cyathiſſando feſtas hilarare Calendas.

DE MIRACVLO NIVIS.

VEnerat ad Nonas menſis, rapidoq́ ſub æſtu
Terra laborabat, vix reſpirare volucres
Vix homines poterant, ſol euadebat in horas
Sæuior, & radijs mundum affligebat iniquis.
Aſtra videbantur nobis irata minari
Excidium, quod erit quando requirêrit Olympus,
Tum Romæ vir clarus erat ditiſſimus auri,
Ac locuplex agri, magnæ qui munere matris
Factus erat ſobolis compos, ideóq́ parabat
Sumptibus immenſis moliri ingentia templa,
Sed loca reddendo quærebat idonea voto.
Dum nutat ſimilis ponto, qui porrigit vndas
Quorſum ventus agit, curſum neq́ ſeruat eundem,
Ventus hyperboreo ſurgit nimboſus ab axe
Aequoris Hircani glomerans in nubila rorem
Fumiferum, cœpit cœlum nigreſcere, & aura
Ex antris haurire gelu, quod abegerat æſtus.
It calor ad Nili fontes vbi naſcitur Auſter,
Et premit Aethiopes, Romæ ſuperimminet imber
Frigidus, & ſine fulgetris ſine fulmine fracta
Nube pluit, totamq́ Aquilo circumuolat vrbem.
En ſuper Eſquilio quædam quaſi candida nubes
Inſediſſe iugo, terræq́ inſtrata videtur.

Nix

Nix erat, accurrunt turbæ, miracula cernunt
Attonitæ, tanto quis non miretur in æſtu
Aduentaſſe hyemem ſubitò, gelidumq́ Decembrem?
Nox ruit, in ſomnis viſa eſt aſſiſtere ciui
Atq́ ſacerdoti ſummo pulcherrima virgo,
Pignora parua ferens vlnis, & talia fari:
Surgite, nix vobis templi formamq́, locumq́
Indicat, Eſquilium petite, & conſcendite collem:
Sic ea, ſurgentes illuc veſtigia vertunt.
Tum niue conſpecta figunt tellure bacillos,
Metanturq́ locum templo, quod ſurgere fecit
Ocyus, & paucis abſoluit menſibus author.
Hoc Mariæ templum dixit maioris, & ipſo
In frontiſpitio templi niuis albicat imber.

DE S. DOMINICO.

LVx eadem ſacrata Patri, qui nomina duxit
A Domino, genus Heſperijs qui traxit ab oris
Aſpirabat adhuc puer ad cœleſtia toto
Regna animo: pendens terrena negotia parui,
Immò nihil. Iam tunc ſenſus inimicus, & aſper
Cenſor in affectus adigebat pectora ſanctos.
Lectus humus, malè conditum fuit eſca legumen,
Fons cadus, ingenium ſtudijs exercuit altis,
Et quæ ſcire labor, quæ ſunt abſcondita vulgo
Sydera, cœleſtes curſus, telluris, & vndæ,
Aëris, & flammæ, Superûm penitiſſima tecta

Vidit,

Vidit, & occultis Diuorum interfuit actis.
Se quoq; cognouit deuotum ſedibus illis,
Propterea patriæ illius concepit amorem
Magnum immortalem, quem virulenta Megæra
Vincere cum toto non eualuiſſet Auerno.
Mater adhuc prægnans noctu per ſomnia vidit
Se catulum geſtare vtero, qui ferret hiulco
Ore facem totis ſpargentem lumina terris.
Fœmina quæ ſacro puerum de fonte leuarat
Viſa eſt in ſomnis puerili in fronte tueri
Flammigero ſtellam ingentem ſplendore coruſcam.
Talibus infantem monſtrabant numina ſignis
Grande aliquid fore cùm fortes veniſſet ad annos.
Cùm premeret populum Cereris penuria, quicquàm
In tanta retinere fame ſcelus eſſe putauit.
Venum cuncta dedit, libros quoq;, & omnia vertit
In pietatis opus, miſeroſq; à morte redemit.
Hæreticis quorum officium confundere falſa
Semina, ſeminibus veris certabat, & iſta
Non pacem, non inducias cum gente volebat.
Propoſiti comites huius quærebat, & armis
Veridicæ fidei inſtructos mittebat ad vrbes,
Ne fruticare iſtam ſinerent nec viuere peſtem.
Talibus intento ſtudijs conceſſa poteſtas
A ſuperis ſanandi ægros, lemureſq; fugandi,
Quodq; magis mirum eſt, reuocandi in corpora vitas
Vſq; à tartarei tenebris horrentibus orci.
Sollicitus demum pro poſteritate penates

Venit in Auſonios,penetrauit limina ſummi
Alta ſacerdotis,qui poſtquàm ſomnia vidit
Admiranda virum blandas admiſit in vlnas,
Et genus illius durare in ſecula iuſſit.
Viderat in ſomnis Laterani ingentia templi
Tecta ruinoſum caput inclinare,virumq;
Suppoſuiſſe humeros,& ſuſtinuiſſe ruinam.
Taliter admonitus paſtor ſuccurrere feſſis
Poſſe hominem fidei rebus,regnoq; labanti
Annuit,& ventis impleuit vela ſecundis.
Lætior euentu tali pater vltima fratrum
Circumſtante choro felici tempora curſu
Clauſit,& æternæ Diuorum eſt additus aulæ.

DE TRANSFIGVRATIONE.

LVcifer Auguſtis octauus ab Idibus ortu
Fert noua feſta ſuo:Nam cùm conſcendit in altũ
Cognita diſcipulis foret vt ſua gloria montem
Chriſtus,& Heliam,Moſemq; vocauit ab hortis
Ocyus Eois,vbi ſunt in gramine flores
Perpetui,grauis æternis vbi frugibus arbor,
Ver vbi,& Autumnus coëunt ſine frigore & æſtu.
Ille Thabor mons ille fuit Phœnicibus oris
Proximus,& Solyma longè diuulſus ab vrbe,
Verſus hyperboreos axes,ſolemq; cadentem.
Chriſtus vt in tumulo fixit veſtigia ſummo
Mox niuis in morem ſplendore incanduit albo

Veſtis, vt hybernas cùm ſol nouus aſpicit alpes
Ora ſolet montana iugis ſplendere niuoſis.
Induit inſolitos vultus, nam lumine Phœbum
Aequiparans, mediò radios cùm vibrat Olympo,
Diſcipulos iubare ingenti quaſi fulgure fecit
Attonitos, adimens oculis, animisq; vigorem.
Viribus amiſſis illi iacuêre ſupino
Pectore, & extentis pedibus, paſſisq; lacertis
In terram fluxere comæ, cum voce reliquit
Halitus os, ſtetit immotis cor mobile fibris,
Sicut vbi rapit humanos epilepſia ſenſus
Accidit. At poſtquàm Chriſtus ſua prima recepit
Ora, reſurgentes rurſus vidêre magiſtrum,
Cum patribus ſanctis ventura arcana loquentem.
Propterea viſum priſcis celebrare quotannis
Perpetuo ritu tanti miracula caſus.

DE S. ALBERTO.

GRande nefas Alberte tuam ſine laudibus amplis
Pertranſire diem, Siculæ tu gloria terræ,
Tu immortalis honor, tu fama æterna parentū,
Qui iuga Carmeli fecere illuſtria montis.
Septimus Auguſti ſol eſt tuus, omnia gaudent
Aequora quæ Drepano ſubſunt, Erycisq; ſub alto
Vertice, quæ Libyam pulſant Lilybæaq; ſaxa.
Enna tibi Hyblæis hodie tranſmittit ab hortis
Gramen odoratum, texunt tibi ſerta Amarantheo
Flore

Flore thymo Siculæ matres, melilotus ad aram
Spargitur, ante fores myrtus, Peneia Daphne
Pendet, & in paruos contortus Amaracus orbes.
Tu Mariæ Diuum Dominæ iam deditus antè
Quàm prognatus eras, nam te ſibi condidit ipſa,
Et ſterili tulit in lucem genitricis ab aluo.
Tu ingenio præſtans, tu nobilitate parentum
Atq; opibus clarus, ſpernis connubia longè
Splendida, regales nec te flexere hymenæi,
Principiò dulcis, ſed amara in fine voluptas
Pectora non mouit iam cónſecrata pudori.
Non lentus, non ſegnis eras, ſed nocte, dieq;
Peruigil, in terris contemplabare Tonantem.
Mollia ſtrata, dapes lautæ, petulantia vina
Sic inuiſa tibi, ſicut Cocytus Olympo,
Lux Erebo, Chriſtus Diti, Crux manibus orci.
Tartareis etiam tum formidabilis vmbris
Cùm pubeſcis eras, tibi nam diuina legenti
Carmina nocturnum vitreæ propè lampadis ignem
Lumen ademerunt veniente per aëra ſaxo.
Sed diuina tibi vis affuit, alba per auras
Venit flamma volans, liquidoq; inſedit oliuo,
Rurſus. Auernalem lemures abiêre ſub vmbram.
Altera bella tibi, quæ ſunt iuuenilibus annis
Maxima, Lethæi manes mouere, nitentem
Ore puellari ſubijt Proſerpina formam,
Et tibi in occulta reſidenti apparuit æde
Multa querens, & crebra trahens ſuſpiria ab alto

Pectore cum lachrymis, quòd ſe contempſeris ortam
Sanguine regali, quòd non æquâris amorem,
Quòd formam, & teneros non deguſtaueris annos.
Se fingebat enim ſponſam, connubia cuius
Abnueras, & te tali obſidione premebat,
Tu maior iuuenili animo te fortior ipſo
Seruaſti in tanto peccandi cardine, mentem
Synceram auxilio magnæ (ſic credere dignum eſt)
Matris, & egiſti monſtrum tam immane ſub orcum.
Cùm Meſſana graui bello premeretur, & omni
Subſidio priuata famem pateretur acerbam,
Ad patrum, populiq́; preces conuerſus Olympi
Numina flexiſti, nam mox annona per vndas
Nauibus ad ſummum plenis adnauit ad vrbem.
Nec licuit reſciri vnquàm, quibus illud ab oris
Aduentaſſet opis, nautis incognita lingua,
Ignotæ facies, operisq́; abſconditus author.
Sic meritis adiuta tuis Meſſana reuixit.
Pantagiæ in ripis ſtabas cùm plurima gentis
Iudaicæ manus intrauit creſcentia in horas
Flumina montanos riuis voluentibus imbres.
Cùm verò immenſis vndarum molibus eſſent
Deprenſi, te magno omnes clamore vocârunt.
Nam probitas tua ad illorum peruenerat aures,
Et tibi fidebant. Tu ſi reſipiſcere vellent,
Et Chriſto curuare caput, promittere certam
Auſus opem, res mira, illi cùm nutibus omnes
Annuerent, tipulæ in morem torrentia calcas
Flumi-

Flumina, currentem tergo te turbidus amnis
Pertulit immoto, grandiq́; è turbine tractos
Inſtruis, & ſacræ renouas aſpergine lymphæ.
Præterea quoties ægros ſanaueris, & quot
Mortales iam ſpe vitæ radicitus hauſta
Miſeris in lucem de limine mortis opaco.
Quot ſtygios manes humana in corpora lapſos
Depuleris, quot deuotos ſqualoribus orci
Ob ſcelera, & mores tetros in Olympica tecta
Traxeris officio linguæ, & ſermone diſerto.
Id pelagus nimis eſt amplum, quod currere lembis
Non licet exiguis, & nunc faſtigia rerum
Summa ſequor: fortaſſe olim maiora dabuntur
Otia, & intrandi maris æquora lata facultas.
Sed quid multa moror? varijs tua vita coruſcat
Prodigijs, eadem virtus conceſſa ſepulchro
Ad noſtros manet vſq; dies, tibi vota feruntur
Vndiq́;, & aßiduè totus tibi ſupplicat orbis.
Ad tua venerunt, quòd rarò contigit vlli
Cœlituum, noſtra multi ſub imagine diui
Funera, & in liquido pendentes aëre dulci
Exequijs ferêre tuis exordia cantu.
Hæc ſunt facta palàm, concurſu tota frequenti
Vrbs aderat diuino operi, populiq́;, patrumq́;
Agmina ſuſpenſis oculis immota manebant.

DE S. LAVRENTIO.

CHriſti magnus adeſt (ornate altaria) teſtis,
Ac decimam celebrate diem. Laurentius oris
Miſſus ab Hiſpanis Romana incendia vicit.
Ipſe miniſtrabat ſacris veſtigia Sixti
Pontificis ſummi, ſupremaq; fata ſecutus.
Hunc Decius ſanctis florentem moribus inter
Chriſtigenas iuſſit vinclis, & carcere claudi,
Quò raperet Chriſto dederat quæ vaſa Philippus
Aurea, regales pateras, baccataq; gemmis
Cymbia, & argentum reddens duo millia pondo.
Nam dum ſe Decij furias non poſſe Philippus
Euitare videt, donauerat omnia Chriſto.
Martyr vt improbitas eſſet fruſtrata tyranni
Acceptis bidui inducijs collegit in vnum
Noctu inopum turbam ingentem, ſparſitq; per illos
Diuitias omneis, vltroq; ad vincula rurſum
Venit, & hic hominem qui flendo euaſerat orbus
Nomine Lucillum tenebris curauit abactis.
Aſt vbi deluſam regis ſe vidit auari
Ingluuies, homini ne ſe pateretur inultum
Obiecit titulum fidei magicosq; ſuſurros
Contemptumq; Iouem, mox ſe formidine mentem
Poſſe putans mutare piam produxit in aulam,
Subiecitq; oculiſq; genera omnia tormentorum,
Ac iuſſit dare thura Ioui, ſed grandibus auſis
Fretus & auxilio diuûm, conuiuia, Cæſar,

Talia martyr,ait,teneris ego ſemper ab annis
Eſuriÿ,quid membra putas mortalia pendant
Chriſtigenæ?ſolis animis impendere curam
Nouimus,ipſi autem curatis corpora tantùm,
Nec vitam niſi mortalem cognoſcitis. At nos
Tendimus vlterius,votisq; aſcendimus ipſa
Sydera,in hunc portum ſatis hanc educere mercem.
Multiplici poſtquàm ſtetit in certamine victor
Miratus tam grandem animum,tam fortia corda
Hippolytus baptiſma tulit,dominumq; ſecuta eſt
Tota domus,volucrum curſu laceratus equorum
Hippolytus:truncata domus,ſic iuit ad aſtra
Vir pius auſtero ſortitus nomina fato
Conſona. Romanus *cœlo aſpirante ſeueras*
Nil veritus pœnas ſacris caput obtulit vndis,
Ac tulit effuſo victricem ſanguine palmam.
Martyr ad extremum lecto proſtratus aheno
Vritur,& rapidæ paſcuntur viſcera flammæ.
Cum latebras,& Chriſtigenum ſpelæa doceri
Se peterat Cæſar,non es veneranda tueri
Ora virum,non es ſanctis aßiſtere dignus
Martyr ait:rurſumq; tuens fera Cæſaris ora
Verſa,inquit,latus inferius ſatis ignibus aſſum eſt.
Paſcere iam,dentesq; auidos in viſcera merge.
Impie,& æternum Romanæ *dedecus aulæ.*
Aſpice quas vires Deus *in mortalia corda*
Influat,vt Decium *regem telluris,& vndæ*
Audeat vnus inops prunis torrentibus ardens

Obiurgare palàm, & tam duro inceſſere probro.
Sic ait, & cœlum aſpiciens in limine Olympi
Stare Deum patrem, magnoq; in lumine Sixtum
Vidit, & expirans illas aſcendit ad arces.
Vt procul aſpexit ſperati gaudia mundi
Non potuit retineri animus, ſed inertia membra
Vicit, & audaci diſrupit vincula nixu.

DE ASSVMPTIONE B. VIRginis.

SOle Molorchæum iam prætereunte Leonem
Reſpirare licet paulùm, minus æſtuat aër,
Et minus arentes vrit canis ignea terras.
Erigone caput attollit, ſecumq; coronam
Fert Ariadnæam, ſpicaq; ardentis ariſtas.
Iam redit Autumnus, pendet vindemia laxis
Palmitibus, ſub mole labant valliq; ſudesq;
Præla, lacus, grandesq; cadi reparantur, in orbes
Fraxinus it, pulſata ſonant cellaria paßim.
Has operas lucis decimæ ſolennia quintæ
Præpediunt: turbæ properant ad grandia ſacra
Quæ magnis hodie pompis ſacer immolat ordo.
Hæc eſt illa dies, qua Chriſtus in æthera matrem
Suſtulit indutam membris, ſic credere ſanctum eſt.
Nam nec erat locus in terris vbi viſcera condi
Fas foret, æternum quæ progenuere Tonantem.
Diui omnes Chriſtum orabant ne linqueret illud

Tam ſanctum in tetros cineres euadere corpus,
Vndè ſuum quaſi riuus erat de flumine tractum.
Principiò matris Deus immortalia membra
Formaturus erat, verùm natura ſuaſit
Ne fieret; ſolis etenim cæleſtibus iſtud
Orbibus indultum, quia ſunt eſſentia ſimplex,
Non elementorum coitu, & compagine ficta.
Tunc opifex, fiant igitur mortalia dixit.
Gratia ſuccurret, rurſumq; in corpora poſtquàm
Occiderint, vitam immittet, viuamq; leuabit
In ſuperos, lateriq; meo coniuncta ſedebit.
Non fuit in terris nec erit, ſeu ſecula verſis
Quæ fluxere polis, ſeu quæ ventura reuoluas
Par opus: Hæc mulier fuit admirabile quoddam
Prodigium ignotum nobis, populoq; ſilentum,
Ac ſuperis. Nati genitrix, & filia, mater
Et virgo non paſſa marem, pugnantia verba
Oedipodioniæ ſphingis paradoxa videntur.
Coniectore tamen nihil eſt opus, omnia nanque
Sicut verba ſonant, patris omnipotentia fecit.
Sed neq; quod tulit Adami dementia quondam
Dedecori ſubiecta fuit, ſine ſordibus iuit
Sola per humanas ſordes, vt cernimus almam
In ſyncera ſuper ſine labe incedere lucem
Corpora, ſol nitido terras cùm reſpicit ore.
Spiritus vt membris liber fuit, aſtitit illi
Michaël, & diuûm chorus innumerabilis, omnes
Veſtibus in niueis, fuluo radiantibus auro.

Terga per alba comis, & eum duxêre volantes
Per liquidas nubes Verni Titanis ad ortum.
Quattuor ex vno manant vbi flumina fonte.
Hic pater Helias riguo qui præſidet horto
Affuit exultans, & adhuc florente ſenecta
Per varios frutices, & per florentia prata
Duxit, & oſtendit ſceleri loca conſcia primo,
Fluminaq́, & ſyluas nunquam ſine fruge virentes.
Mox memor antiqui generis, quod habebat in alti
Rupe iugi, per Phœnices, Syriamq́ per omnem,
Diua parens dixit, ſcio te cognoſcere gentem
In patria tellure meam, tua mœnia propter:
Hanc cuperem ſupereſſe diu, largire fauorem
Tu quæ tanta potes, mea te cuſtode ſuperſit
Poſteritas, & eat ſupremi in ſecula mundi.
Sic ſenior. Contrà mater ſic orſa Tonantis:
Nil opus eſt cuiquam ſua commendare propago
O vates præclare tua hæc dum vita manebat
Se mihi deuouit, decet illi incumbere toto
Pectore me, Pater Helia tua vota ſecundo,
Hæc tua progenies noſtro titulabitur olim
Nomine, & in noſtrum decus albo [illegible]tetur amictu.
Me vexaſſe putet quiſquis vexauerit illam,
Me ſeruaſſe putet, quiſquis ſeruauerit illam.
Ne affligare, mihi curam hanc, onus hocq́ relinque
Interea Deus in melius mortale reformans
Corpus aquæ, terræq́ minus, plus ignis, & auræ
Indidit, & fecit ſine mole volatile clarum,

Quod

Quod tamen arbitrio mentis quandoq; videri
Poſſet, & abſcondi, mox in ſua prima remiſit
Tecta animam, volucriq; tulit ſuper aſtra volatu.
Curia tum quali reſonarit Olympica plauſu,
Qui cantus cœlo auditi, quàm læta, frequenſq;
Pompa, quis ornatus diuûm, ne diſcere tenta,
Gaudia non capiunt noſtri cœleſtia ſenſus.
Demùm iuſſa ſuper ſtellis & ſole micantem
Ire thronum, cœli accepit ſceptrum atq; coronam.

DE S. ROCHO.

PRoxima læthali lux eſt contraria morbo.
Rochus adeſt Narbone ſatus natalibus altis,
Diuitijs, opibuſq; potens, pater ampla tenebat
Oppida, quæ patruo ceßit, meliora ſecutus
Regna puer, teneris etenim concepit ab annis,
Quem tenuit quoad hîc vixit, pietatis amorem.
Et ne mortiferi præceps audacia ſenſus
Auderet dominari animo, fieriq; tyrannus,
Omnia poſthabuit, quibus eſt conſueta libido
Gliſcere & affectu mentem viciare proteruo.
Iam iuuenis ſtudio impulſus Romana videndi
Limina, & oßa patrum cryptis abſcondita ſacris,
Eſt aggreßus iter Latias peregrinus ad oras.
Et tunc Italiam peſtis ſæuire per omnem
Cœperat, ex alto ſtyx exhalabat auerno
Aëra per totum nebulas aconita ferentes.

Tertia lux ægros ad ſummum quarta ſub vmbras
Detrudebat, erat pauor vndiq́, & vndiq́ luctus,
Nec locus vllus erat fati formidine liber.
Non ſeruo fidebat herus, non filia matri,
Non genitus patri, cœtus diſſoluerat omnes
Peſtis, & errabant homines montana per antra
Soliuagi, loca vitabant habitata, ferarum
More, relinquentes opera imperfecta, domoſq́,
Mœrebantq́ ſuis orbata ciuibus vrbes.
Rochus in hoc tanto morborum vortice ad ægros
Ibat, & vulceribus ſanabat corpora tactis.
Inſuper aërium virus contundere ſolo
Ore putabatur, Ceſenna, Placentia Roma
Et Pendentiſa quæ plebes hoc auſpice tantam
Euaſere luem, fauceſq́ voraginis huius.
Ipſe ſemel tali percuſſus in inguine morbo
Conualuit, tandem patrias ignotus ad oras
Vt Laërtiades longis erroribus actus
Venit, & à patrui ſeruis dum velle putatur
Explorare locos inopis ſub imagine, & vllas
Moliri inſidias, ſub opaci carceris vmbram
Miſſus, & in longo paſſus ſquallore cataſtam
Incidit extremam, quæ terminat omnia lucem.
Agnitus à patruo demùm poſt flebile fatum
Conditur inſigni patrem de more ſepulchro.
Ad latus vt perhibent eius pendebat ahena
Lamina ſub tunicis à veſpillone reperta
Dum lauat ablato nudum velamine corpus,

Et

Et parat exequias, iſtius ſignata figuris,
Peſte laborantes quotquot ſuffragia Rochi
Quæſierint, moneo tutos à morte futuros.
Quis fuerit talis tituli ſi quæritur auctor,
Expediam paucis: opus hoc à nomine fluxit.

DE S. BERNHARDO.

BErnhardi lux feſta venit celeberrima Belgis
Belga fuit, ſex germanos vnamq; ſororem
Traxit ad obſequium Chriſti. Deus omnibus vnum
Inſpirauit opus, vitæ genus omnibus vnum.
Mater adhuc prægnans vidit per ſomnia crebris
Se geſtare vtero catulum latratibus acrem.
Sic Deus oſtendit venturi qualia partus
Ora, & corda forent contra genus omne malorum.
Ipſe pudicitiam coluit muliebria paſſus
(Bella tamen iuuenis, roſeo quia candidus ore)
Corda paroxyſmis grauibus torquebat, & igne,
Quo Venus accendit teneras inceſta medullas.
Cùm peteret Celtas, & nox iam pallida cœlum
Clauderet, hoſpitium ſubijt: temeraria noctu
Hoſpita ſopito iuueni petulanter adhæſit
Admouitq; latus lateri, ſcelus ille repentè
Horruit, & magno ſocijs clamore vocatis,
Nequitiam facto vicit terrore furentem.
Ingens forma malum, quo nulla nocentior herba
Per iuga Theſſaliæ legitur, per Phaſidis arua.

Tradi-

Tradidit ingenium ſacris ſermonibus, omne
Quod docuit Chriſtus, quod prædixêre Prophetæ,
Quod didicit Moſes pancheo in vertice ſecum
Aßiduè meditans ſine præceptoribus vllis
Sciuit, & idcircò ſyluas habuiſſe magiſtras
Se dicebat, inops vixit, ſed munda volebat
Veſtimenta ſitum damnans, ſordesq; peroſus.
Id curæ quod vulgus habet pro corpore ſolam
Tranſtulit ad mentem vitiorum acerrimus hoſtis.
Si populis certamen erat, diſcordia regnis,
Bernhardus pacator erat legatus ad vrbes
Ibat, & ad reges odium fracturus, & iram.
Munere fungentem tali vidêre Alemanni,
Vidêre inſubres quondam, vidêre Aquitani.
Si quando in dubijs nutabant pectora rebus,
Ipſe erat interpres, ducens mortalia corda
De tenebris ad lumen, vti ſolet ignea lampas
Longinqua de turre micans adducere noctu
Turbine iactatos ſecura ad littora nautas.
Prodigijs quot vix numero comprendere fas eſt
Claruit, occultas hominum cognoſcere curas,
Pellere auernales genios, curare iacentes
In languore potens, ideòq; impleuerat orbem
Fama viri, nomenq; volans peregrina per ora.
Sex decies fundaſſe decem Ciſtertia tecta
Dicitur, vnius valuit prudentia tantum.
Sacra igitur meritis huius vigeſima tanti
Eſt aurora patris, qua ſeſe in ſumma recepit

Limina ſupremi quod continet omnia cœli.

DE S. BARTHOLO-mæo.

Regia progenies priſcis ſi credimus annis
Bartholomæus, vbi ſocios diſcedere vidit
Ab Syria in varias gentes, peregrinaq; regna
Iuit, & ipſe fidem Chriſti laturus ad Indos.
Tranſijt Euphratem, qui per Chaldæa volutus
Rura ſecat gelidis Babylonica mœnia lymphis,
Tranſijt & Tigrim cui ſe coniungit Hydaſpes.
Vidit Elamitas tandem peruenit ad Indum
Qui dedit Indorum latis cognomina terris.
Gangaridum rapidis penetrans ſub ſolibus oras
Venit ad immenſum quem fama nouemplice curſu
Caucaſeos memorat fontes conuoluere Gangem.
Prima Lycaonijs pars eſt conceſſa laborum
Vt pleriq; volunt, mox Indica venit ad arua.
Eius in aduentu mens conſternata Deorum eſt
Vſq; adeò, vt nullas auderent ædere voces.
Propterea ciues procul ad ſymulachra profecti
Extera, reſponſum ſacris habuere litatis
Tale, Deos fari prohibet nouus aduena veſtros,
Sunt homini grandes oculi, criſpata capillis
Cæſaries nigris, mento fluit hiſpida barba
Longaq;, & incipiens paucis albeſcere canis,
Non breuis effigies, ſed nec procerior æquo,

Frons grauis, & facies naſo formoſa decenti.
Neu taceam veſtes, tyrio ſub murice byſſo
Vtitur albenti, graditur comitante caterua
Cœlituum, nec cum potis eſt dignoſcere quiſquam
Si negat agnoſci, Dominum cœleſtis Olympi
Quottidie toties quot iugera continet vna
Centuria incuruis genibus ſubmiſſus adorat.
Taliter admoniti redeunt, & ſigna ſecundum
Veſtigant accepta virum, peregrina tuuntur
Ora, comas, barbam, tunicas, & pallia. Tandem
Proditur à genio, qui membra obſeſſa tenebat
Cuiuſdam de plebe hominis cui nomina Pſeuſto,
Mox lare depulſo regis peruenit ad aures.
Fama viri, populis autem Polemius Indis
Rex erat, hic Diuo natam commiſit acerbis
Vexatam furijs lemurum Phlegethontiacorum.
Aere catenatam, genioq́; agitante frementem
Vt conſpexit, eas clamauit Apoſtolus atram
In ſtyga nec diuino operi grauis amplius eſto.
Nec mora cum ſtrepitu diſceſſit in aëra magno.
Cùm verò meritis vellet pro talibus ingens
Argentum & gemmas princeps impendere & aurum,
Vir pius ex oculis hominum diſparuit, orto
Sole alio foribus clauſis conclauia regis
Ingrediens vultu ſic eſt affatus aperto:
Diuitias, rex magne, tuas non quærimus, iſtos
Me Deus ad populos miſit, quò ſancta reuelem
Sacramenta quibus terras illuminat omnes.

Multaq́;

Multaq; ſubiecit veniens ab origine Chriſti
Vſq; ad ſupremum tempus,quo regna reuerſus
In ſua flammantes fecit deſcendere linguas.
Annuit his,ſacriſq; comam Rex abluit vndis.
Ingrediens ædem tum Bartholomæus in altam
Cùm fieret populo ſacrum ſolenne frequenti,
Ad ſimulachra manum extendit, geniumq; latentem
Sculptilibus ſaxis in apertum exire coëgit,
Ecce ferens formam Aethiopis,cum grandibus alis
Nyctimenes inſtar crine ad calcanea fuſo
Per delubra volat,ſpargitq; per aëra flammas
Naribus,& diui imperio ſimulachra repentè
Contriuit proſtrata ſolo,mox ire coactus
Ad gelidas vltrà capricornia ſydera,terras,
Si quas fortè videt terras Antarcticus axis.
Nec mora de ſuperis vnus lucentior aſtro
Luciferi circumuolitans crucis vndiq; ſignum
Scripſit & expulſo templum luſtrauit auerno.
Aſtyages autem regis germanus amaro
Flammigerans odio,diuum cute nudat atroci
Supplicio:ſed cùm nudato viſcere nondum
Ceſſaret vulgare fidem,populumq; ciere,
Poſtera lux,quæ menſis erat vigeſima quinta
Abſtulit enſe caput,diuûmq; in ſydera miſit.
Hinc varij mores,varijs pro gentibus orti.
Sunt etenim quibus eſt celebris vigeſima quarta,
Qua nudata ſuo rubuerunt tergore membra,
Sunt quibus eſt lux feſta ſequens cùm vita receſſit.

DE

DE S. LODOVICO.

MAgnanimus rex Gallorum Lodouicus eadem
Luce triumphato tranſiuit in æthera mundo,
Naturæ bonitate puer, ſtudioq́ parentum
Sic formatus erat, teneriſq́ affectus ab annis,
Vt meritò credi poſſet mens illa Tonantis
Fabrefacta manu, cœloq́ egreſſa videri
Iuſtitia, & veros comitans clementia reges
Relligio, & pietas, ac magnificentia, virtus
Quæ facit heroës, nunquam diſceſsit ab illo.
Sic aderat miſeris, ſic ſuſcipiebat egentes,
Vt ſit fama inopes illum pauiſſe ducentos
Quottidie, ſeq́ ipſum illis feciſſe miniſtrum.
Ionium magna penetrauit claſſe profundum,
Aſſyrios, Arabeſq́ petens, vt perdita noſtras
Duceret ad leges pulſis ea regna tyrannis.
Multaq́ pro Chriſto paſſus diſcrimina tandem
Carmeli iuga conſcendit, noſtroſq́ reuiſit
Per montis ſpelæa patres, vbi vixerat olim
Maximus Helias, ſecumq́ ad Gallica duxit
Littora pleroſq́ illorum, ſic noſtra propago
Venit ad occaſum, terramq́ exiuit in omnem.
Relligioſa iterum ſenio iam proximus arma
Induit, & Libycos fines vaſtauit, & alta
Mœnia Didonis, Tuniſæaq́ regna ſubegit.
Illinc ad ſuperos morbo confectus atroci
Fecit iter ſummo mutans regna infima mundo.

Cùm

Cùm genus Aſſyrijs noſtrum deſcendat ab oris,
Vndè ſit occiduas vt ſic compleuerit vrbes?
Anglia conuentus tot habet, tot Scotia tellus,
Credere quot nequeant, qui non vidêre Britannos.
Creuit apud Gallos, quia rex vt numina quædam
Obſeruabat eos, quorum diuina putari
Digna fuit probitas, & vita ſimillima diuis.
Cur apud Anglorum populos ita creuerit audi.
Anglicus in Syrias veniens exercitus olim
Achonem Tyrij poſitam propè littora ponti,
Quæ priùs occurrit ſubitis oppreſſerat armis.
Accurrêre Syri, ſe proripuêre Sabæi
Ocius externum annixi propellere Martem.
Mox belli torrentis aquam, qui mœnia præter
Labitur obſeſſis aliquem ne redderet vſum.
Corrupêre graui iumentorumq́, hominumq́
Tabe, cadaueribus ſaniem per flumen, odorem
Peſtiferum per vicinas mittentibus auras.
Et quia Carmeli fontem, qui proximus vrbi eſt
Audierant patribus noſtris abſentibus imbrem
Non dare, quo facerent lymphas areſcere facto
Impete mactarum quot ſunt in monte reperti.
Et ſubitò fons clauſit aquas, ſed maior eorum
Barbaricæ perculſa metu feritatis in vrbem
Pars ierat, Deus hos rabida ſubtraxit ab ira,
Nec tulit ex toto genus euaneſcere noſtrum.
Iſti igitur cùm iam noſtros penuria dulcis
Afflictaret aquæ, puteis, & fontibus hauſtis,

Atq; venenatis paßim intra mœnia, & extra,
Talibus affati verbis languentia caſtra,
Ne trepidate viri, nec deſperate ſalutem,
Fidite cœlitibus, montis vicina repentè
In iuga tendamus, manare videbitis illinc
Innocuos latices, & amœni pocula fontis.
His dictis armati omnes per barbara caſtra
Impunè elapſi montem ſubiêre, & in alto
Vertice congeſtis ſaxorum molibus arcem
Conſtruxêre nouam læti ſed fonte reperto
Funditus exhauſto: nam poſt crudelia patrum
Funera noſtrorum defecerat: omnibus ingens
Incubuit mœror: flexo tum poplite ſancti
Orauere patres lymphas, mox flumine facto
Fons vitreas effudit aquas, quæ tempora belli
Aſpera perpetuo fecere ſalubria fluxu.
Iſta Duces tanta intuiti miracula ſecum
In patriam duxere viros, quibus arma negabant
In laribus ſedem Aßyrijs, & templa domoſq;
Conſtruxêre nouas, paucis ita floruit annis
Relligio, quaſi virga ſolo depacta feraci,
Et veluti palmes robur translata recepit.

DE S. AVGVSTINO.

ANnua ſeptembris quinto celebrate Calendas
(Auguſtinus adeſt) magno ſolennia plauſu,
Sidoniæ natus propter Carthaginis alta
Mœnia,

Mœnia, doctrinis animum dedit omnibus, omne
Bibliothecarum veterum penus, omne nouarum
Explorauit, vbi Libycis prædatus in oris
Quicquid erat diſciplinæ, tranſiuit ad vrbes
Auſonias vidit magnæ Capitolia Romæ,
Venit & ipſa parens nati veſtigia ſemper
Sollicito ſectata animo, cui Manicha nomen,
Iunior impatiens Veneris fuit, ægra maraſmo
Corda ferens tali, multis emarcuit annis.
Maternis tandem lachrymis ſanatus ab vnda
Emerſit ſtygia, lucemq́; aſpexit Olympi.
Non tamen hoc eius potuit de pectore cancer
Antè trahi, ſic eſt noſtris immerſa libido
Senſibus, in lucem fuerit quàm proditus infans.
Infœlix infans tanto par indole patri.
Nam dum floret adhuc raptus producere fruges
Non potuit, virtus inconſummata receßit.
Venit ad Inſubres vbi longo tempore fungens
Rhetoris officio, tandem fermenta reliquit
Manichæa, quibus puerili indulſit ab æuo.
Ambroſius qui tunc magno cum fœnore in illa
Paſcebat regione greges ſermone potenti,
Eruit illius triſtem hunc de corde veternum.
Ergò experrectus quaſi qui poſt longa viator
Ocia, deſidiæ vult damna rependere curſu,
Accinxit diuino operi feruenter, & acri
Sedulitate animum ſtudia ad cœleſtia flexit.
Viuendi normam inſtituit, memoratur eremum

Incoluiſſe maris Tuſci propè littora, centum
Cellarum qua vicus erat. Tyberina petiuit
Hoſtia, & hic mater corpus mortale reliquit.
Littoribus tandem Libycis, patriaq; potitus
Hæreticis bellum indixit, de finibus illis
Expulit hanc diram crebro certamine peſtem.
Non tot cœliuagis quoties è nubibus æſtas
Fundit aquam, riuos agit Apenninus ab alto
Vertice in vmbroſas valles, camposq; iacentes,
Quot fluit in libros huius facundia patris.
Nemo quòd illorum pelagus perlegerit omne
Se iactare poteſt, in tanta volumina creſcunt.
Artibus his bifido caput inſignitus amictu
Hipponenſe pedum meruit, gens illa ſub iſto
Dum vixit paſtore bonis cœleſtibus aucta eſt
Mirificè, ſicut ſub frugi terra colono
Plus parit, & maiore onerat granaria fruge,
Europæ iam notus erat, iam notus & Indis,
Vt Graijs Elice, Tyrijs Cynoſura carinis,
Cùm ſubitò extremis terrarum à finibus atrox
Vandalus erumpens, tanquàm ſi littore fracto
Oceanus fluat in terras regna omnia merſit.
Vaſtata primùm Europa tranſiuit Iberum
Aequor, & inuoluens furijs Getulica rura
Venit ad Hipponem, qua tempeſtate ſuorum
Triſtia fata gemens pater Auguſtinus acerbas
Incidit in curas, lapſoq; in corpora morbo
Mentis ad extremam vitæ fœlicibus horam

Auſpicijs veniens terras mutauit Olympo.

DE DECOLLATIONE S.Iohannis Baptiſtæ.

HErodes Herode ſatus veſana propago
De patre veſano, fratris conſorte Philippi
Vſurpata ingens ſcelus, immanemq́; rapinam
Auſus erat, tantumq́; nefas iactabat in horas.
Id Baptiſta palàm facinus reprendere adortus
Iram Herodiadis, nam regis adultera nomen
Hoc habuit, ſubitò incurrit crudelior hydra.
Illa ſacro inſidias vati, laqueoſq́; tetendit.
Huic erat eximio vultu, viridiq́; iuuenta
Filia, quæ cùm rex proceres ad feſta vocaſſet
Natali celebranda die ſaltauerat inter
Solennes epulas, & regia pectora tantum
Mouerat, vt ſe rex peteret quæcunq́; daturum
Dixerit, hæc ſceleri vox eſt via facta nefando:
Nam cùm conſuleret matrem petitura quid eſſet,
Mater ait, pete Baptiſtæ, pete filia nobis
Funeſtum dirumq́; caput, linguamq́; procacem.
Ipſe autem dudum vates in vincula miſſus
Ob regale odium fuerat, vinctuſq́; iacebat
Quà ſedet in terris Arabum Macheronta Sabæis.
O ſcelus, ô immane nefas, ô cognita nunquàm
Antè hac impietas: hominum ſanctiſſimus iſti

Traditur inceſtæ, pellex olidiſsima calcat
Fas & iura, decus mundi ludibrio habetur
A meretrice, iocus de maieſtate triumphat,
De virtute ſcelus, de iure iniuria, ſicq;
Naturæ ſimul ac morum ſubuertitur ordo.
Quo Deus hoc vultu vidit? cur ſydera non ſunt
Hoc opus indignata? ſolum cur pertulit huius
Criminis authorem? cur non abſorbuit orcus
Illicò? & ad ſtygias ſubitò non corruit vmbras?
Tempus erat, quo paſcha vetus proferre ſolebat
Azima per menſas, tunc eſt graſſata libido.
Tunc caput ablatum, tunc aduenêre nepotes
Heliæ viuentis adhuc, raptumq; cadauer
Adiunxêre ſuis patribus, tumuloq; dedêre,
Atq; duos inter vates poſuiſſe feruntur,
Scilicet Abdiam, Carmelicolamq; Heliſeum.
Tunc ſol vernus erat, ſed in hunc translata fuêre
Feſta diem, quæ ſextilis vigeſima nona eſt.
Quòd tunc dum Romæ regnabat apoſtata Cæſar
Dicitur exuſtum ſeruato vertice corpus.
Nam cùm quottidie fierent miracula ad eius
Buſta, ſacerdotes larium, populiq; deorum
Cultores priùs oſſa viri ſparſere ſepulchro,
Eruta mox verſa in cineres miſêre per auras,
At caput vt lingua ſeſe ſatis vlta maligna eſt
Fœmina, proiectum ignota tellure recondi
Iuſsit apud Solymos, vbi cùm iam ſecula quinq;
Volueret aſtrorum curſus, ſe vate repertum

Oſtendente fuit: tandem ſi annalibus vlla eſt
Danda fides, venit longinqua per æquora Romam.
Sed tamen vt quidam perhibent cum puluere terræ
Pars cinerum collecta fuit, Genuamq; per vndas
Ionias, per Tyrrheni vada cærula ponti
Vecta, facit quoties nautis iraſcitur æquor
Si maris ad littus pompa comitante feratur
Perdere vim ventos, æſtumq; ſilere furentem.
Hæc Genuæ ciues recitant miracula, & ipſæ
Hac ope terrifico functæ diſcrimine puppes.
Et multi qui rem hanc oculis vidêre ſuperſunt.

BAPTISTAE MANTVANI CARMELITAE, THEOLOGI: FASTORVM Liber Nonus.

SEPTEMBER.

DE S. AEGIDIO.

SEd neq; Septembris veniunt ſine honore Calendæ.
Aegidij natale ferunt, qui natus Athenis
Cecropios inter ciues cõtemſit honores,

Non curauit opes, inopi patrimonia turbæ
Factus inops tribuit, ſtudiumq́ʒ reliquit habendi.
At quia ſe faciunt humanæ præmia laudes
Ac merita eludunt, hominum commerita fugit,
Et latuit ſyluis, & nunc habitauit in Othry.
Nunc in Taygeto, cypreßifera vel in Ida,
Poma dabant epulas, fontes, & flumina potum:
Et nunc Permeſſum, nunc Dircen, nunc Eurotam
Hauſit, & in nuda ſternebat corpora noctu
Dormiturus humo. Sed cùm clareſcere ſeſe
Vidit, & agnoſci, patriam mutauit, & æquor
Carpathium, Ioniumq́ʒ legens pertranſyt Aethnam
Tyrrhenas, Ligureſq́ʒ domos, & ad hoſtia ſedit
Per quæ Teuthonicis Rhodanus mare diuidit vndis.
Hic nactus nemus antiquum ſub quercubus altis
Repperit amiſſo lactantem pignore ceruam,
Quæ plenus (homini Deus hæc alimenta pararat)
Quottidie vberibus patris veniebat ad antrum
Exoneranda, anno fuit hæc alimonia toto,
Hic tandem latitans à venatore canum vi
Proditur, & ſtructis monachos collegit in vnum
Aedibus, ac fidei docuit myſteria noſtræ.
Plurima ab hoc memorant ſancto miracula patre
Facta, ſed hoc vnum, quoniam memorabile viſum eſt,
Enarrare libet, breuibusq́ʒ adiungere verbis.
Venerat ex Gallis Romam, ſummusq́ʒ ſacerdos
Hoſpitis aduentu lætus donauerat illi
Hoſtia quæ fuerant ex Idæa Cypariſſo

Fabre-

Fabrefacta duo, ſacriſq; inſculpta figuris.
Iſta domum quo dona modo traducere poſſet
Neſcius in Tyberim miſit, fluuioq;, mariq;
Præcipiens ſacrum munus reuerenter haberent,
Perferrentq; domum (res admiranda) reuerſus
Repperit in portu tranquillo allapſa natatu
Hoſtia, & attollens templi ſuſpendit ad antas.
Prætereo quònam pacto deleuerit illud
Grande nefas tibi Francorum rex Carole, quod non
Auſus eras tanquam nimium deforme fateri.
Vtq; tuam vita ſobolem poſt fata precando
Reſtituit, functus mortali carcere tandem
Tranſijt ad ſuperos, & in alto viuit Olympo.

DE NATIVITATE B. VIRGInis Mariæ.

VIrginis extremos dum ſol circumuolat ignes
Et parat ardentem radijs accendere Libram.
Altera Septembris cùm lux octaua reſurgit
Virgo venit, virgo ante nurus venerabilis omnes,
Clarior Erigone, Phœbo lucentior ipſo.
Dicitur hæc virgo ſteriles habuiſſe parentes,
Quæ res Hebræis ignominioſa ſolebat
Eſſe, nec in templum ſteriles inferre mariti
Dona ſinebantur: namq; vt ſine frugibus arbor,
Dicitur infelix, ſic & ſine prole maritus.

Propterea pater illius demiſſus ab alto
Sanguine Dauidis, dimiſſa inglorius vrbe,
Rus ierat, mater tanquàm ſine compare turtur
Deſolata domi viduas imitata ſedebat.
At Deus amborum ſortem miſeratus ad illos
Vnum de ſuperis miſit, qui dedecus iſtud
Tolleret, hic ſubitò Solymam perlatus ad vrbem,
Anna tuo, dixit, ſurgens occurre marito
Rure reuertenti, volitans in rura ſubindè
Ad Ioachim dixit, venienti occurre maritæ,
Concipiet, parietq́ noua tibi gaudia prolis.
Venit in occurſum vir coniugis, illa mariti,
Iunxeruntq́ manus vrbanæ in limine portæ
Aurea cui nomen: vix noni tempora menſis
Tranſierant, facti pulchra ſunt prole parentes.
Hunc antiqua diem faſtis non intulit ætas.
Poſteritas verò poſtquàm pacata quierunt
Tempora, proſtrata iam relligione Deorum
In Mariæ laudes magis eſt accenſa, diemq́
Cenſuit adiungi feſtis maioribus iſtum.
Cauſa pium quæ mouit opus repetenda videtur
Altius, à ſuperis hæc obſeruantia fluxit.
Diui homines curis vacuos terreſtribus, & ſe
Vertere nitentes ad cognoſcenda ſuperni
Sublatis in cœlum animis ſolatia mundi,
Multa docent, ardenter amant, & ſæpè reuiſunt
Aërijs tecti membris, & imagine noſtra.
Ex his vnus erat ſuper alto vertice montis

Idalij ſolus degens, qui traxerat iſtud
Viuendi genus à patribus Carmelidis oræ.
Namq́ ea gens ſimul ac ſanctæ confinia terræ
Exiuit, Cyprios primùm ſe extendit in agros.
Sic noſtri annales perhibent, ſic multa ſenili
Iam carie corroſa docent noſtratia templa
Quæ ſuperant, & adhuc illis celebrantur ab oris.
Hic ſolitus dulces cantus audire quotannis
Sexto Idus menſis faciunt cui nomina ſeptem
Id tam dulce melos contemplabatur, & aures
Ignea dum tacitam voluebant ſydera noctem,
Altius arrectas pendentiaq́ ora tenebat.
Poſtquàm ſæpè illos ſymphoniacos modulatus
Audijt, & ſummo reſonantia carmina cælo,
Grandius incœpit meditari, & quærere cauſam.
Dumq́ ſtat admirans, vox eſt audita per auras
Talia verba ferens: Diui annua feſta frequentant,
Et modò, quando rubens terris aurora propinquat
Incipiunt celebrare diem, quo maxima mater
Edita venturo fecit primordia ſeclo.
Fac igitur, fac iſta palàm ſolennia mundo
Carmelita, tuum eſt vulgando incumbere feſto,
Nanq; tuum genus illa fouet, titulumq́ tenetis
Illius, & patres viuens inuiſere veſtros
Heliæq́ domos priſcas, fontemq́ ſolebat.
Nuncia, & inuulga lucem hanc, imitemini Olympum,
Veſtraq́ ſit poſthac concors eccleſia noſtræ.
Sic ait, hic autem Cyprias deſcendit ad vrbes

Arſi-

Arſinoën, Salamina, Paphum, Temeſen, Amathunta.
Per Rhodon in Cretam veniens Gortynia tecta,
Gnoſiaq́; intrauit, celeriq́; Cydonia greſſu.
Talia famigerans iuit per Cycladas vſq; ad
Boſphoricos Thraces rumor, peruenit Athenas,
Appulit, & Spartam, Pelopeiadesq́; Mycenas.
Per Siculos tandem Romam perlata ſenatum
Mouit fama: Dies ſic eſt ea nacta fauorem.

DE EXALTATIONE S. Crucis.

IAm Septembrales Idus prauertit Apollo,
Quartaq́; poſt decimam veniens aurora colorat
Aequora, & ingreditur lampas Titania libram.
Pars eſt libra Nepæ: Nam quas Nepa porrigit vlnas
Libra capit, Chelas veteres dixêre Pelaſgi.
Cingitur hoc ſignum dextra læuaq́; figuris
Pluribus, & quaſi rex ſtipante ſatellite multo
Surgit ab Oceano, ſtellaq́; natare videntur
Per mare ſydereos ignes referentibus vndis.
Sydera quæ retinent nomen, formamq́; ſagittæ
Ecce micant, Hædusq́; ferens petulantia corda.
Hic colitur magno crux exaltata triumpho.
Coſdroa Perſarum rex immaniſſimus omnem
Cœperat Aſſyriam, Chryſti violare ſepulchrum
Dum parat ingenti ſubitò formidine captus
Deſtitit, & partem crucis à genitrice relictam

Con-

Conſtantine tua rapuit, ſecumq́; reportans
Suſtulit in turrim celebriq́ in ſede locauit.
Hic erat Aeolides tanquam Salmoneus alter,
Qui ſimulare volens fulmen laquearia fecit
Aenea, & æripedes ferrata ad plauſtra iugatos
Impellebat equos curſu ſuper æra citato,
Iſte Dei nomen maieſtatemq́; ſuperbo
Vſurpans faſtu, gemmis oneratus & auro
Stabat in excelſo cum maieſtate ſedili,
Et comitem tanti ſecum retinebat honoris
Sub byſſo candente crucem, fumante volebat
Thure coli demens, brutoq́; indignior omni.
Tunc erat imperij caput Heracleus in armis
Maximus, iratus certare leonibus audens.
Hic ſua Threicio ſoluens de littore caſtra
Duxit in Aſſyriam, victis certamine Perſis,
Venit ad Aëriam turrim, regemq́; latentem
Obtruncauit, agens caput in fora publica ab alto
Culmine, & euertens aulæ decus omne, thronumq́.
Mox cruce ſublata gemmis ditatus, & auro
Se tulit in Syriam, multis vbi cognita tandem
Prodigijs ſumma cum relligione teneri
Cæpit, & ingenti crux exaltata triumpho,
Hunc ſibi ſacrauit ſolem propriumq́; dicauit.
Mercurij poſt hanc lucem, quæ prima ſequetur
Ieiunanda dies, hoc eſt de quattuor vnum
Temporibus tempus, tria quod ieiunia claudit.
Mercurij, & Veneris duo ſunt, Saturnia iunge

Sunt

Sunt tria, ſementi placidum factura Tonantem.

DE S. IOHANNE CHRY-ſoſtomo.

Nomen ab aurato traxit Chryſoſtomus ore,
Verba, quòd ex eius dum declamaret ab alto
Ad populum dulci ſtillarent aurea lingua.
Antiochenus erat, Perſiſq́; parentibus ortus.
Sed Sophiæ ſtudijs, linguaq́; inſignis vtraq;
Venit in Italiam, cauſas orauit, & omnem
Reddidit attonitam iuuenis facundia Romam.
Mox quaſi de cœlo tactus, cauſaſq́, forumq́;
Liquit, & ad ſacram conuertit pectora legem.
Et ſubitò factus quaſi fons pietatis, & ingens
Sanctarum theſaurus opum de turbine Romæ
Aßiduò in portus ſtuduit tranſire quietos.
In patrios vectus fines ſub monte, ſilentum
More patrum, qui Carmeli montana colebant,
Per ſpelæa diu traxit ſyluatica vitam.
Thracia paſtorem, Byzantiaciq́; penates
Cùm peterent tum fortè nouum, Chryſoſtomus ipſo
Cæſare ab Archadio decus ad ſublime vocatus
Protinus accepit, quem non ſperabat honorem.
Sed cùm ſacrificæ peccata infamia turbæ
Argueret, viſus mordax, oneroſus, & aſper.
Propterea cleri inſidias, & plurima paſſus
Bella, etiam regale odium contraxit, & iram:

Nam

Nam dum liberius vitia inſectatur, & omnem
Nequitiam rigidè impugnat, ſceleriq; reſiſtit,
Contra illum Archadio ſic procurante coacta eſt
Bis ſynodus, poſiti procul vſq; à flumine Nilo
Fingentes ſermonem alijs de rebus habendum
Pontifices multi venêre ad littora Thracum.
Ipſe autem doctus fraudes, artemq; Pelaſgam
Ad ſynodum non acceßit, ne iurgia forſan
Mutua, & ardentem verbis accenderet iram.
Hac culpa, ſi culpa fuit, diſcedere ab vrbe
Cogitur, oppoſitas Aſiæ translatus in oras.
Sed populo tandem ſic expoſcente reuerſus
Cùm vitijs iterum pugnam indixiſſet atrocem,
Per ſynodum rurſus Romano à rege vocatam
Crimen ob id ſolùm quòd paſtoralibus eſſet
Officijs functus ſynodi poſt tempora prima,
Patribus inuitis, Scythicos damnatur ad agros.
Demùm vbi Romanus tanta hæc opprobria paſtor
Audijt, exilio ſolui mandauit, & illis
Litibus impoſuit poſt tot ludibria finem.
Dum redit, immenſum corpus mortale laborem
Non tulit, ac placido mors blanda ſimillima ſomno
Antè iter emenſum clauſis in marmore membris
Attulit ad ſuperos functam caligine mentem.
Septembris lux illa fuit bis ſeptima, Thraces
Relliquias Iano tranſportauêre ſequenti
In patriarchalem tumulum, cùm ſpargeret ortum
Iam ter nona dies Aegæa per æquora ſolem.

Illa

Illa ideò Graijs lux eſt celeberrima, noſtris
Auarijs varij mores ſeruantur in oris.
Multa remanſerunt eius monumenta, remanſit
Bibliotheca ingens ex Pierio Helicone
Verſibus acceptis, ne dum ſermone ſoluto
Condita per quam nos, per quam paſcuntur Achai,
Vt per prata greges, & per dumeta iuuenci.
Ergò pater poſt tot fluxæ diſcrimina vitæ
Cum patribus ſanctis iam tandem in pace quieſce.
Et dignare tuos quamuis per lubrica euntes
Arua aliquando cadant ex alto audire clientes.

DE S. CYPRIANO.

VErſibus in noſtris non eſt fraudandus honore
Magne pater Cypriane tuo: Verùm tua virtus
Longius expoſci, quàm nunc excudere carmen
Sim potis, in præſens ſatis eſt faſtigia laudum
Summa ſequi, metamq́; breui circundare gyro.
Tu priùs ad ſacrum quàm te diuina vocaret
A cultu Iouis antiqui clementia fontem,
Rhetor eras totam ſapiens Demoſthenis artem,
Nec quiſquam melius cauſas orare forenſes
Tum poterat, labi tuus Arpinatis ab ore
Sermo videbatur, totumq́; Helicona ſonare
Atq́; Meduſæos fontes, tua namq́; trahebat
Vulgus, & egregios ad ſe facundia ciues,
Vt fertur traxiſſe feras Oeagrius Orpheus.

Aſt

Aſt vbi te Chriſti melior diatriba recepit,
Conuertiſti oculos ad ſacra volumina, & illis
Noctes atq; dies ſtudijs ſublime dediſti
Ingenium, pietas verò te tanta repentè
Corripuit, tua ſic charitas præcordia cœpit,
Vt non iam mortalis homo, ſed miſſus Olympo
Spiritus, humana poſſes ſub imagine credi.
Tunc tua Carthago Libyci regina profundi
Quæ dederat natale ſolum, genus vndè trahebas
Te ſibi paſtorem fecit, quo tempore Romæ
Incidit in rigidos præſul Cornelius enſes.
Tunc, velut ex humili lampas ſi in tecta feratur,
Alta loco magis apparet, tua gloria latè
Claruit, & totum radios porrexit in orbem.
Magnus eras, & magna tui monumenta ſuperſunt
Eloquij, quæ nectarea dulcedine lactant
Nos quoq; nunc, & cœli animas ad limen ituras.
In ſermone tuo Chriſti documenta relucent,
Vt ſolet in vaſis terſo rutilantibus auro
Vua recens quam Creta tulit, quam Lesbia multo
Sole colorauit per apricos vinea colles.
Et quia tunc regnabat adhuc antiqua deorum
Impietas, multi noſtrûm diuerſa ferebant
Supplicia, exilium, gladios, ignemq;, ferasq;,
Vincla, famem, Plutone truces agitante tyrannos,
Si quos audieras iſtis ſuccumbere pœnis
Verbo aderas, longè poſitos, quò tendere verba
Non poterant, ſubitò ſcriptis animare ſolebas.

Talibus adiuti clypeis, plerique triumphum
Emeruêre, quibus iam diffidentia vires
Fregerat, & ſegni titubans in pectore torpor.
Tu quoque dum Chriſti cauſam tutaris, & omnem
Impendis pietati operam, lacerasque deorum
Nequitiam, procul à patria migrare coactus
In deſerta meas, atque inter luſtra ferarum
Tranſigis inſontem, ſpacians per littora, vitam.
Tum Cæſar Galenus erat, ſolusque Latinum
Imperium, capto regni conſorte, gerebat.
Præfectus verò Libycis Gallerius oris,
Ipſe ſub hoc demùm patriam reuocatus in vrbem
Duceris ad templum Iouis & dare thura iuberis,
Quod renuens, magnisque Deos clamoribus omnes
Intrepidè obiurgans, Iouis obtruncaris ad aram.
Mox veluti paulò antè necem mandata dediſti
Carnifici merces à curatore ſoluta eſt
Certa tuo, quia te vitæ ſpoliauerat huius
Triſtibus ærumnis, luteoque abſoluerat antro.
Gaude igitur parta per tot diſcrimina pace
Et nobis placare Deum Cypriane memento.
Lux tua Septembris lux eſt bis ſeptima, quando
Dicitur illuſtri Crux exaltata triumpho.
Propterea Phœbo tribuunt tua feſta ſequenti,
Et venit ad celebres tecum Cornelius aras.

DE S. MATTHAEO Apoſtolo.

IPſe Teloniaco dederat qui tempora lucro
Collector Matthæus opum de Syrte voracis
Tractus auaritiæ meruit ſub principe Chriſto,
Inter apoſtolicos patres decoratus honore
Duplici, in annales Chriſti documenta redegit,
Singula quæ docuit, calamo facundus & ore.
Sicut aquis quondam Noë ſua miſit in orbem
Pignora ſedatis, vt gens humana per omnes
Debita cœlituum patri daret orgia terras,
Sic ſua cùm vellet Deus alta in regna reuerti,
Diſcipulos quoſdam tranſmiſit ad vltima mundi
Littora docturos gentes, quo numina ritu
Sint oranda, quibus cœlum placabile ſacris,
Iſte velut ſuperis viſum, conuerſus ad Auſtros
Tranſijt Aegyptum, Nilo ducente Syenem
Appulit & Meroën, poſitas in flumine terras.
Venit vbi nullam in partem declinat Horizon,
Et lux in totidem, quot nox, extenditur horas.
Atq; apud Eunuchum reginæ Candacis acto
Iam biduo, cœpit ſacris incumbere verbis,
Et quas attulerat populis oſtendere merces.
Ecce duo docti magicos in Perſide cantus
Arphaſath, & Zaroës adſunt, geminosq́; dracones
Naribus, ore, oculis flammam ſpirantibus antè
Ora viri, monſtris illum ſe poſſe putantes

Talibus exterrere ferunt, interritus ille
Conſtitit, atq; crucis fecit manſueſcere ſigno,
Tam fera monſtra manu palpans, & tergora, & ora.
Hoc oculis regina ſuis, vrbanaq; turba
Vidit, & attonito ſtetit ad ſpectacula vultu.
Continuò venêre ægri vix lenta ferentes
Corpora, & infuſam membris animiſq; ſalutem
Accepêre alacres pulſis ex tempore morbis.
Interea Aegippi regis pulcherrimus Euphron
Filius, in mortem ſubitam prolabitur, adſunt
Ecce Magi iuuenem ad vitam renocare volentes,
Sed fruſtrà annixi, ne deſpicerentur in aſtra
Sublatum, dixêre patri, nec poſſe reuerti
Amplius ad vitam. Tunc tunc regina vocato
Euphœniſſa viro caſum deplorat, opemq;
Poſtulat: Ille oculis ſubitò in ſublime leuatis
Reſtituit membris animam: quod tota repentè
Vrbs opus admirata hominem compulſa fateri eſt
Eſſe Deum, noſtra in terram ſub imagine lapſum.
Munera certatim apportant, quæ protinus ipſe
Vertit in excelſæ molis delubra, Tonanti
Sacra, ſacerdotes, hymnos, ritumq; perennem
Inſtituens, regem ac populum luſtralibus vndis
Lauit, & Aethiopas Chriſtum diffudit in omnes.
Hyrthacus Aegippo regi ſucceſſit, & Euphron
Pellitur à regno, pedicas Erycina tetendit
Matthæo, regiq; ſimul, nam virginis ora
Quæ fuerat ſacrata Deo iuueniliter arſit

Hyrtha-

Hyrthacus & rapidos animo conceperat ignes.
Sed voto Matthæus erat contrarius, ore
Obiurgans regem tetrico, violentia amoris
Hyrthacus impulſus Matthæum obtruncat, amata
Vi potitur, tantum potuit Venus, atq; Cupido.
Lux ea Septembris vigeſima prima ſerendi
Principium faciens, nam tunc Athlantides orto
Sole cadunt, redeuntq; grues, & ſemina ſulcis
Iacta legunt, ſpumatq; lacu vindemia pleno.

DE S. MAVRITIO.

ALtera Thebæo lux eſt ſacrata tribuno
Mauritio cui nomen erat, centũ inclyta portis
Vrbs Thebæa fuit quondam, quà Nilus ab oris
Aethiopum, Pharias properat lapſurus in vndas,
Hinc legio, duce Mauritio, Thebæa profecta eſt
Vrbis in auxilium Romæ, cùm Maximianus
Pergeret in Gallos, bellum illaturus acerbum
Chriſtigenis, quod cùm legio reſciſſet, & omnes
In legione duces Chriſti, qui nomen, & vndam
Atq; fidem induerant, caſtris ceſſere relictis.
Sedunenſis agri locus eſt Alemanica propter
Flumina, quem Rhodanum dicunt, exercitus omnis
Sacrificare volens Marti, Latioq; Quirino
Illic conſtiterat, poſitisq; quieuerat armis.
Aſt vbi compertum eſt illinc abijſſe tribunum,
Cauſaq; diſsidij patuit, magno impete Cæſar

Ite ait,& decimos omnes occidite ferro.
Hoc ſemel,hoc rurſus factum,circundata demùm
Tota necem legio dum vult à cæde ſuorum
Synceras ſeruare manus,dum ſacra deorum
Damnat init,pendunt alacres ſine crimine pœnam.
Poſt tantam comitum cædem conuiuia miles
Dum celebrat feſſus,quidam cui nomina Victor
Præteriens,verbis opus id damnauit acerbis,
Hunc quia Chriſtigenam miles deprendit,eodem
Supplicio affectum ſuper alta cadauera miſit
Hæc referens:Et tu magno mactare Quirino.
Fama antiqua tamen quoſdam de turbine tanto
Euaſiſſe refert,quorum qui mœnia ſtruxit
Bergomeæ gentis,poſitasq́; in rupibus arces,
Vnus Alexander,poſt tempora longa cruentum
Martyrium paſſus,modò cum legione triumphat.

DE S. TECLA.

Mauritio vicina dies natalia Teclæ
Feſta colit,Pauli verbis afflata recepit
Corde Deum,Chriſtiq́; fidem,ſponſoq́; relicto
Perpetua cœlebs in virginitate remanſit.
Tracta in iudicium pro relligione furentem
Mittitur in flammam,ſed fuſo è nubibus imbre
Flamma cadit,poſt paucorum interualla dierum
Denudata trucem iuſſa eſt equitare leænam,
Sed fera conuerſo retrorſum vertice ſuras

Lam-

Lambere, blandiri plantis clementius orſa eſt.
Ad pecudes magis atroces proiecta leænæ
Auxilio ſeruata fuit, lea dentibus vrſum
Fruſtatim ſecuit, mox eſt congreſſa leoni,
Et longo tandem ſimul occubuêre duello.
Tortilibus fœtam colubris, fœtam aſpide & hydris
Mittitur in foueam ſine veſtibus, inter atroces
Nuda feras oblita necis nihil horruit atrum
Virus: id ingemuit ſolùm, quòd corpora nullis
Inuelare modis poterat, dolor iſte pudicam
Torquebat mentem, deplorabatq́ pudorem.
A tauris demùm indomitis annexa rudente,
Immundam per humum trahitur, ſed fune ſoluto
Protinus, illæſam tauri liquêre fugaces.
Quæ virtus hæc mira oculis abſcondita noſtris
Infrenare potens cùm vult elementa ferasq́?
Nempè ea, quæ tanto cœleſtia corpora verſat
Ordine, & occulto deſcendit in omnia lapſu.
Caſibus his functam, mulier generoſa recepit,
Et miſerans ſimul ac mirans tam fortia corda
Virginis, hæredem fecit: pòſt tempore paruo
In Syriam veniens petiſſe Seleucia fertur
Mœnia, & hîc placida diſceſſit in æthera morte.

DE S. CLEOPHA.

SEptimus Octobris cùm lucifer antè Calendas
Naſcitur, ardentes Cleopham veneramur ad aras.

Hic fuit ex illis vnus, quos Chriſtus eundo
Edocuit, ſtygijs tunc tunc egreſſus ab vmbris.
Alter erat (famæ ſi fas eſt credere) Lucas,
De quo plura dies cùm venerit ille canemus.
Ipſe eodem tecto ſub quod iam ſole Britannos
Prætereunte lares Chriſtum duxêre, voluto
Dum docet, & fidei fines protendere curat,
Inſidijs captus Cleophas occiditur, anno.
Forti ac magnanimo Chriſti de milite plura
Scire vetor, nam ſcriptorum tunc copia rebus
Vndiq; turbatis, vel nulla, vel obruta grandi
Tempeſtate fuit, ſic nos latet illius æui
Maxima pars, noſtræ primæua infantia gentis
Tunc erat, in linguas nondum facundia, nondum
Venerat annales rerum quæ conderet ætas.
Poſt iſtas vt adulta dies eccleſia ſumpſit
Robur, in hiſtorias cœpit tranſmittere facta
Inclyta, & heroës chartis includere noſtros.
Prodijt Euſebius, qui tempora ſcripſit, & annos,
Geſtaq; quæ potuit veterum cognoſcere patrum:
Sed quibus intulerat iam longum obliuia tempus
Præterijt, nec enim nobis ſcire omnia fas eſt,
At pater errorum reſecans, Hieronymus, vmbram
Euſebij annales vſq; ad ſua tempora traxit.

DE

DE S. COSMA ET DAmiano.

EX Arabum populis gemini medicamina fratres
Antè alios docti ſibi quæſiuere medendo
Sydera, nam gratis medicas adhibere ſolebant
Qualicunq; manus, omnesq; extinguere morbos,
Maior erat Coſmas, alter Damianus, vterq;
Sanctus, vterq; Deos & numina falſa peroſus.
Non fuit Argolicis quiſquam regionibus iſtis
Aequiparandus, eat Troiæ qui bella Machaon
Vidit, eat Chiron Podalirius atq; Melampus,
Atq; alij, quorum Graij meminere poëtæ,
Vt Pæon, Couſq; ſenex & Apolline natus.
Illi etenim quoſdam poterant depellere morbos,
Iſti omnes: illi ſuccis, & gramine, verùm
Infuſa virtute iſti diuinitus ambo.
Audierat Coſmas accepto munere fratrem
Neſcio quam curaſſe nurum. quo crimine læſus
(Crimen enim credebat) eum prohibebat humari
In tumulo poſt fata ſuo. Sed in intima figens
Corda Deus viſum, monuit per ſomnia dici
Non debere ſcelus quod mens ſyncera recepit
Simpliciter, quod grata dedit ſine fraude voluntas,
Hos ac tres alios fratres Aegæa tyranno
Sub Lyſia vidit multas percurrere pœnas,
Nam prius in grandem Zephyris bacchantibus æſtum

Proiectos mare corripiens reiecit in arua
Proxima littoribus, viridiq́; reliquit in herba.
Mox adhibens flammas lictor comburitur, ipſos
Flamma fugit, neq́; ſacratos complectitur artus.
Caſi etiam grauibus flagris, & verbere multo
Euaſere alacres, & non ſenſere dolorem.
Tunc tribus in tenebras mißis, & carcere clauſis
Affigunt crucibus primos, ac ſigna rotandis
Efficiunt ſaxis, ſed vis diuina retorquet
Vulnera in authores, magico ſe murmure ludi
Cauſatus Lyſias clamat, proferte pharetras
Roſtraq́; Ithyræo iactate Cydonia neruo.
Nec mora ſpicata ſæuitur arundine: verùm
Tela ſagittantes retrò redeuntia figunt.
Supplicio capitis tandem victoria parta eſt.
Et dum ſeptembris vigeſima ſeptima ſurgit
Veſpera, in ætherios commigrauêre penates.
O gemini fratres, qui per diſcrimina vitæ
Mortalis, veluti fluctus iactata per altos
Nauis ad aſtriferi portum veniſtis Olympi,
Terrigenis precor eſte boni, pacate furorem
Armorum, & tantum effundi prohibete cruorem,
Vertite ad Etruſcas etiam pia lumina gentes,
Et ſeruate lares Medicûm, qui ſtirpe feruntur
A veſtra traxiſſe genus: ſeruate Leonem
Pontificem ſummum, generis qui maxima tanti eſt
Gloria, qui terris cœlo demiſſus ab alto eſt,
Vt fuget ærumnas, totumq́; refrigeret orbem.

DE S. MICHAELE Archangelo.

Septembris iam finis adeſt penultima feſtum
Affert grande dies. Michaël celeberrimus inter
Cœlituum turmas templum ſibi fecit in alto
Vertice Gargani, factumq; dicauit, & iſta
Luce Sipontinam monti quæ ſubiacet vrbem
Admonuit, factiq; omnes fama iuit in oras.
Vrbis enim paſtor cupiens ediſcere ab ipſo
Principe militiæ diuûm ſi fortè ſub antro
Montis vbi noſtra fuerat ſub imagine viſus
Vellet adorari, precibus ieiunia longis
Addiderat, toto q; orans ſe afflixerat anno.
Ecce nouum iubar in thalamo ſub nocte ſilenti
Luxit, & effigies paßis apparuit alis
Arma ferens, dextraq; enſem, læuaq; bilancem,
Et breuiter populi ſic eſt affata magiſtrum:
Inuenies ſummo delubra cacumine, noſtra
Conſecrata manu, rupem conſcende, videbis
In ſaxo ſignata hominis veſtigia templi,
Hoc erit indicium, ſic fata receßit imago,
Sic pater admonitus montem ſubit atq; repertam
Ingrediens cryptam tres ſub teſtudine ſaxi
Proſpicit ornatas nitidis mantilibus aras,
Ad Lybiam geminas, vnam Titanis ad ortum.
Hoc vbi compertum, ciues & rura repentè

Conſcen-

Conſcendêre iugum, turbæ per inhoſpita longè
Saxa, per anfractus montis, nemoroſaq́; luſtra
Se effundunt, ſummaq́; locum pietate frequentant.
Hic vbi libati calices, diuinaq́; ritè
Res finita, latex ſaxo ebulliuit aperto
Protinus in fontem, vitreis qui lympidus vndis
Viuit adhuc potis humanos extinguere morbos.
Fama per Italiæ populos effunditur omnes,
Atq́; per Epiri gentes, Adriatica circum
Littora, & Illyricos montes, & Achaica regna,
Relligio noſtris animis innata coëgit
Mortales omneis ad quos peruenerat huius
Prodigij rumor celſas incendere cautes.
Pontificum princeps, qui Vaticana gubernat
Templa, per occiduas, facinus mirabile, terras
Prodidit, & lucem faſtis ſolennibus iſtam
Aſſocians voluit toto celebrarier orbe.

DE S. HIERONYMO.

VLtima Septembris tua lux ſanctiſsime patrum
Hieronyme, Stridone ſatus, Romana petiſti
Gymnaſia, & celeri ſtudio ſapientiæ in altum
Aſcendiſti apicem, fari tribus omnia linguis
Doctus, & illius tantò ſublimior æui
Ingenijs, quantum colles præcellit Olympus.
Cùm verò tibi fama foret lucentior aſtris,
Vitaq́; conflato decies ſyncerior auro,

Dignus

Dignus habebaris Petro ſuccedere,& omnis
Vrbs Romana oculos in te coniecerat vnum,
Optabantq́ decus tibi pontificale Latini.
Iſtius aggreſſus ſplendorem extinguere laudis
Inſidias tibi liuor edax mira arte tetendit.
Nam tua ſubducens furtim tibi pallia noctu
Suppoſuit muliebrem habitum, quem cantica ſurgens
Ad diuina priuſquàm lux albeſceret (heu ſors
Inuida virtuti ſemper, temeraria ſemper)
Induis,& ſacras tendis ſine lumine ad aras.
Sic tua tam florens probitas inhonora remanſit.
Hanc Deus indignam voluit te incurrere fraudem,
Vt mala corruptæ fugeres conſortia gentis,
Et fieres viuens cœli de ciuibus vnus.
Ad Syriæ ſyluas igitur,ſaltuſq́ Sabæos
Continuò tranſis,rapidiq́ incendia ſolis
Nudus & eſuriens longo in mœrore tuliſti.
Mox Bethlehem remeas,vbi cùm diuina relinquens
Ethnica cœpiſſes verſare volumina, noctu
Viſus es in ſomnis magni ſtare ante tribunal
Iudicis ac probris & duro verbere plecti,
Quòd ſtudia haurires ſacris humana relictis,
Temporeq́ ex illo mundi primordia,legem
Sinaicam,Vatum anfractus,Saulæaq́ regna
Voluere cœpiſti,ſacriſq́ incumbere chartis.
Dum verò in cœtu fratrum diuina ſedendo
Sacramenta doces,legumq́ abſcondita ſenſa.
Ecce leo ſeptum ingreditur pede claudus inerti,

Aufu-

Aufugêre omnes, tu ſolus in hoſpite tali
Nil hoſtile timens læſæ medicamina plantæ
Influis, ille autem poſita feritate clientem
Se tibi deuouit, quid multa moramur? Agaſo
Factus, ad hybernos, aſino vectante, ſolebat
Conciſa in truncos, ac diſcuneata ſecuri,
Ducere ligna focos: ſed cùm ſopita teneret
Lumina, iumentum paſcens rapuêre latrones.
Poſtquàm experrectus ſocium non vidit, amaro
Per ſyluas animo, perq́ omnia rura cucurrit.
Aſt vbi quærendo tempus ſe amittere nouit
Anxius ad fratres rediјt, nec vt antè ſolebat
Ingenuè tectum ingreſſus, collegia patrum
Erubuit, longéq abiens à limine triſti
Procubuit vultu culpam mœrore fateri
Viſus, & aſpectu miſero, veniamq́ precari,
Te tandem mandante feram quis tam manſuetam
Tam docilem ſperet? lignis generoſa ferendis
Terga dedit, nec ſe regem memor eſſe ferarum
Demiſſa ceruice humili ſucceſſit aſello.
Sic homines docuit ſceleris cùm pœnitet illos
Quid ſit opus facto, qualiq́ ardore dolendum eſt.
Ligna tulit, donec pecudem latrone perempto
Repperit in campis, gaudensq́ in tecta reduxit.
At cùm perſpiceres diuina volumina multis
Deprauata locis, & conceptacula lymphæ
Vndè bibunt animæ, primùm amiſiſſe nitorem
Hanc tua ſcabriciem vigilans induſtria longo

Deterſit

Deterſit ſudore, tuus labor iſta fugauit
Nubila, & expulſa fecit vada lympida fæce.
Tu ſalis illius, quo ſylueſtres colocyntas
Incola Carmeli docuit compeſcere vates,
Fungeris officio, tu raptus ab arbore ramus
Quo Moſes purgauit aquas, fonteſq; Sabæos.
Tu velut Alcides contra Stymphalica monſtra
Hæreſiarcharum claua decernis, & arcu:
Tu quaſi ſol lucis genitor iubar elicis almum,
Ignitaſq; tuo totum iacularis in orbem
Ore faces, fideiq; fugas à finibus hoſtem.
Tu ſimilis Zephyro, qui pallida nubila, & imbres
Diſsipat, & pulſo cœlum ſquallore ſerenat,
Qui ſolem lunamq; aperit, Titaniaq; aſtra.
Qui vitam infundit paſſis horrentia plantis
Frigora, ad Auſtralem dum ſol procul exulat vrnam.
Ad ſuperos tandem longo iam frigidus æuo,
Vtpote qui ſtabas annorum in limine centum,
Scandis, & æternæ frueris dulcedine vitæ.
O pater ad noſtras voces conuertere, & audi,
Prandia iamdudum ſumus ad diuina vocati.
Et tranſire prius per ſancta negotia longo
Eſt opus inceſſu, ſed inertia corporis obſtat.
Faſce ſub hoc igitur ne deficiamus, adeſto,
Tu cui conceſſum eſt epulis accumbere diuûm,
Et fer opem poſitæ tanto in diſcrimine cymbæ,

BAPTI-

BAPTISTAE MANTVANI CARMELITAE, THEOLOGI: FASTORVM

Liber decimus.

OCTOBER.

DE S. FRANCISCO.

QVarta dies Octobris adeſt, celebrate minores
Feſta, Lauernicolæ, nudis ſolennia plantis.
Nomen Ioannes veſtro eſt ab origine patri,
Sed noua Franciſci traxit cognomina fando,
Dum ſtudet artifici Francos effingere lingua.
Iſte iuuentutis virides dum perderet annos
Futilibus curis, & pernitioſa trahendo
Ocia, in atrocis morbi genus incidit, vndè
Perpendit nihil in vita præſtantius eſſe,
Quàm toto amplecti Chriſtum, & cœleſtia nixu.
Vmber erat, coluit Tuſcæ montana Lauernæ,
Quæ furum tutela fuit, pannoſus, & vltrò
Factus inops, miſſo ſua ſub veſtigia faſtu
Mortales longè antè alios mitemq́, humilemq́

Se exhibuit, Chriſti antè oculos patientis imago
Semper erat, plagas, & verbera mente ferebat,
Et quas mente tulit Deus apparere figuras
Illius in membris voluit, nam vulnere pectus,
Vulnere ſignauit palmas, & vulnere plantas:
Sicq; ſigillato Chriſtus ſe expreßit in illo,
Sicut ab Aſſyria veniens regione futurum
Angelus admonuit Laterani in limine templi.
Humanos verò non ſolùm ſpreuit honores
Verùm etiam timuit, quia mens inflata fauore
Laſciuire ſolet, tali ratione ſacerdos
Eſſe recuſauit: neq; ſacrificauit ad aras.
Huius ad exemplum vitæ ſe magna virorum
Copia conuertit, numerumq; effluxit in amplum,
Poſteritas huius patris appellata Minorum
Nomine, nodoſo lumbos conſueta rudente
Cingere, & in ſoleas calces inferre ſalignas.
Innumeras eius laudes, miracula & acta
Sparſa per annales, atq; impletura volumen
Grande, ſuperuacuus labor eſt includere verſu,
Cùm ſint nota ſatis, vulgiq; per ora ferantur.
Angelicæ tandem vitæ præcepta relinquens
Diſcipulis omnes quæ ſeruarentur in annos,
Sumpſit honoratis Diuûm de ſedibus vnam.

DE S. PETRONIO.

HAec eadem tibi Petroni celeberrime gentis
Flaminiæ princeps, lux eſt ſacrata, tuarum
Felſina, quæ Tuſci quondam caput eſſe ſolebat
Imperij, laudum ſeruat monumenta fuiſti
Et pater & paſtor tantæ digniſſimus vrbis.
Graius eras magni veniens à ſanguine regis,
Qui ſua Threicio poſitis in littore muris
Nomina coniunxit, Romanaq; mœnia Chriſto
Ceſſit, & Aegæas ſedem ſibi legit ad vndas.
Hoc adeò ſublime genus ſatis indicat illud
Quòd tua Theodoſio nupſit germana ſecundo.
Graiugenas inter proceres tu primus, & ipſo
Alter ab Auguſto tantum ſplendoris habebas
Cæſaris in regnis, quantum inter ſydera Luna.
Tu puer ingenuas artes, & vtranq; Mineruam
Cecropis, atq; Numæ doctus ſuperare coæuos
Non minus es viſus, ſuperet quàm flumina pontus.
Miſſus ab Auguſto Romam legatus ad vrbem
Occurrente tibi vada per Tyberina ſenatu
Ductus es inſigni Laterana ad limimina pompa.
Imperium Petri tunc Cæleſtinus habebat
Inſignis pietate ſenex, cui nocte cubanti
Clauiger in ſomnis hæc eſt oracula fatus:
Orba ſuo luget paſtore Bononia, & orat
Hunc ſibi concordi qui cras Tyberina ſubibit
Hoſtia, Thraicijs veniens orator ab oris.

Annuit

Annuit oranti Deus, hanc tu amplectere curam.
Quid per multa vagor? longa prece victus adiſti
Hoc onus, & ſacro tandem ſuccedis honori.
Tunc libris, qui inuenta docent humana, relictis,
Ad ſacras animum leges, ad myſtica vatum
Dicta retraxiſti: quærens alimenta, ciboſq;
Spirituum, quibus æthereum Deus annuit arcem.
Tunc tua mens vti vere ſolum ſe floribus ornat
Virtutum decus omne tulit, prudentia latè
Splenduit, accenſa eſt charitas, clementia mitem
Induit aſpectum, pietas miſerabile vulgus
Adiutura manus ambas extendit ad aurum,
Et diſperſit opes per ruſtica tecta, per vrbem.
Tunc tibi tota domus Ditis molita repentè eſt
Inſidias. Venus in primis, Iocus, atq; Cupido,
Mercurius venator opum, Mars belliger iram
Irritare ſciens, animos Saturnus inerti
Deſidia obſcurans, Luna inconſtantia corda
Huc illucq; ferens, miſſæ de ſedibus imis
Eumenides doctæ ingluuiem, doctæ omne animarum
Aucupium, ſed tu diuis fautoribus iſta
Agmina fudiſti, lemureſq; ſub alta fugaſti
Tartara, Lethæo referens ex hoſte triumphum.
Menſa breuis, rudis eſca, fames ieiuna, pudori
Inuigilans, Venerem duris frenare lupatis
Sciuit, & enormes legi ſubmittere ſenſus.
Relligionis amor mentem, linguamq;, manumq;
Impulit ad cultum ſuperûm, plebemq; docendam.

Sunt quoq; qui dicant veterum ſanctiſſima patrum
Acta voluminibus te commemoraſſe diſertis,
Quæ valeant Criſpi laudem ſperare Saluſti.
Sic tuus, ô pater omnipotens, qui regna gubernas
Omnia diſpenſans ſcitè, tua dona miniſter
Solicitis omnes curis exercuit annos.
His ſtudijs animoſam vrbem, belloq; ſuperbam,
Et populum numero, ingenijs, opibusq; potentem
Compoſuit, ſicut vigilans induſtria docti
Agricolæ ſylueſtrem agrum, terramq; rebellem
In virides hortos, atq; in ſola pinguia vertit.
Vt bonus acceptam poſuit pater ordine gentem
Ad ſacras Diuorum ædes curam appulit omnem,
Et ſtuduit templis celebri decus addere cultu.
In primis Stephano delubrum inſigne, domoſq;
Struxit, & in morem buſti, quo dicitur olim
De cruce ſublatum Chriſti iacuiſſe cadauer,
Adiunxit quod adhuc ſupereſt inſigne ſepulchrum.
His ita compoſitis, populoq; in pace relicto
Vt conſanguineos, patriamq;, ipſamq; ſororem
Viſeret, & regem, Thracum remeauit ad oras.
Relliquiasq; domum rediens, & plurima Diuûm
Corpora quæ Auguſtus magno pro munere Cæſar
Tradiderat ſecum longinqua per æquora, demum
Per mare cui nomen fecit vetus Adria vexit,
Vectaq; ſub Stephani templo reuerenter honeſtos
In loculos tanquam populi munimen & vrbis
Intulit, & functus vita, pòſt tempore paruo

Ipſe pius paſtor tota in ſingultibus vrbe
Proſtrata, & lachrymis templo ſepelitur eodem,
Atq; ita cum Diuis habitat tellure, & Olympo

DE S. REPARATA.

CAeſarienſis eram viuens, poſt fata cadauer
Venit in arua meum Feſulis ſubiecta, cubatq;
Quà Tuſcus decurrit aquis torrentibus Arnus,
Me Decius Cæſar nulli feritate ſecundus
Mandauit libare Ioui: ſcelus ipſa nefandum
Indignata magis volui genus omne dolorum
Et quæcunq; pati potius tormenta, liquato
Feruida nudatam miſit me in balnea plumbo.
In mea mox feruens fundi mandauit acetum
Guttura, & accenſis latus inflammauit vtrumq;
Lampadibus, poſt hæc mergor flagrante camino.
His defuncta malis alios traducor ad ignes.
Applicita lateri crucior face, viſcera torret
Crate ſuper, miſeroſq; artus depaſcitur ardor.
Sic aſſata trahor populo admirante per vrbem
Vt timor excuteret vulgi de pectore Chriſtum.
Ferro iterum lanior, lapidum per acuta volutor
Segmina, calce fricor mixto ſale: trita ſinapis
Humori confuſa acido languentia membra
Acribus afflictat ſtimulis, neu pœna ſuperſit
Quam non pertulerim, ſpinoſo verbere plector,
Et laniant ſuras, faciem, terga, vbera, ſentes.

Vltima pœnarum quæ me crudelibus iſtis
Soluit ab ærumnis, fuit à ceruice reuulſum
Enſe caput, forma niuea veſtita columbæ
Mens abijt, raptimq; volans intrauit Olympum:
Octobris bis quarta dies mihi ſacra, per vrbes
Tunc ceſſat labor Etruſcas, mea templa ſacerdos
Ornat, & accenſis lucent funalibus aræ.
Vita fuit terrena breuis: quò liber ab orbe
Infrenato animus citò conſequeretur Olympum.
Vix mea biſſenos ætas exegerat annos
Cùm tormenta tuli tam formidanda, tuliſſem
Et maiora, Deus tanto me accenderat igne.
Sic animam fouit virtus diuina recentem,
Vt mihi terribilis facies irata tyranni
Non fuerit, neq; tam validis quaſſata procellis
Mota ſit admorſa Chriſti ſemel anchora cautè.
Sic miris humana modis attollere corda
Scit Deus, illaqueat tali dulcedine mentes,
Vt tormenta nihil quamuis duriſſima pendant.
Hoc eſt quod potant inter conuiuia Diui
Nectar, hic ambroſiæ ſuauis liquor ille, beatas
Qui reddit guſtando animas, hæc illa voluptas
Sancta, voluptates vetitas quæ funditus haurit.
Tyrrheni gaudete lares, celebrate quotannis
Hæc mea feſta, Deus meritis pro talibus vrbes,
Caſtella, & vicos, omnes cuſtodiet agros.
Talibus Arnenſes verbis Reparata colonos
Eſt affata, ſui reſidens in culmine templi.

Sic precor vt fata eſt virgo Deus omnia ſeruet,
Sed te præſertim, quæ fers inſigne pilarum
Sacra domus, decimum partu connixa Leonem,
Ipſe tenens Petri claues, vitæque, necisque
Ius habet, & miſſa totum ditione per orbem,
Et ſtygis & cæli portas, aperitque, ſeratque.

DE S. DIONYSIO.

CAecropides nono Phœbi Dionyſius ortu
Surgit Athenæi ſapiens auriga ſenatus,
Hic de principibus, regnoque nouemplice diuûm
Plurima conſcripſit, diuinaque nomina fecit
Cognita ſub Paulo, qui tunc habitabat Athenis.
Hic Mariæ viuentis adhuc veneranda tueri
Ora volens, naue Aſſyrias annauit ad oras,
Vidit, & aſcenſo Carmeli vertice noſtros
Se tulit ad patres, ſpelæaque ſancta reuiſit
Magnus vbi Helias legitur vixiſſe, priuſquàm
Tenderet Eoos curru translatus ad hortos.
Per freta deuenit Romam poſt funera Petri,
Poſt obitum Pauli, qua tempeſtate tenebat
Naviculam Petri Clemens Romanus, & ipſo
Perſuadente viam ſecuit Dionyſius vltrà
Aërias Alpes, Rhodanum tranſiuit, & omnes
Attulit ad Celtas Chriſtum, tentoria figens
Parrhiſios bifido quà Sequana circuit amne,
Plurima poſtremum paſſus tormenta, feraſque,

Vt memini ceciniſſe olim maioribus orſis,
Cum ſocijs pœna capitali affectus in vlnas
Ipſe ſuum caput aſſumpſit, truncusq; propinquum
Attulit in collem, quo nunc ſublimia regum
Buſta loco reſident magni ſub culmine templi.

DE S. LVCA,

SIgna Nepæ redeunt, alio quæ nomine fertur
Scorpius, ara venit, formaq; bicorporis aſtrum,
Fertilis Autumni pars vltima colligit vuas
Solibus affectas longis, ac vina ferentes
Dulcia, & extremas deportat in horrea fruges.
Meſpila quæ Medici dixêre tricocia mala
Mitigat attritis duro ſub verbere culmis.
Antiochenus adeſt Lucas, & cornua fronte
Bubula fert, illum vates fecêre iuuencum,
Vt memini tractans diui ſolennia Marci.
Hiſtoriam Chriſti verbis complexus Achæis
Vertere Apoſtolicos calamum properauit ad actus.
Ipſe comes Paulo ſemper fuit, illius inter
Barbaricas gentes iter eſt ſectatus, Athenas
Venit, & in Cyprum remeans, vt ſanctus agebat
Spiritus, in Chriſtum vicos animabat & vrbes.
Ipſe fuit magnæ matri cuſtodia longo
Tempore, & ex eius fertur didiciſſe relatu
Plurima de duplici natura, & origine partus
Virginei ſine patre ſati, ſine ſemine nati.

Spreuit

Spreuit opes,ſpreuit Veneres,ad funera venit
Coniugis ignarus.Veterum pleriq; putarunt
Cum Cleopha Lucam Chriſtum vidiſſe latentem
Sub peregrinantis ſpecie,cùm nocte reuerſus
Eſſet ab inferna,ſuperasq; redactus ad auras.
Hic Medicus,pictorq; fuit,monumenta ſuperſunt
Plurima,& Iconicæ Chriſti,Mariæq; figuræ.
Exleges iterum populos,vicinaq; Ponto
Regna legens ſenior Bithynica venit in arua,
Atq; ibi poſt decimam cùm lux octaua pruinis
Spargeret Octobrem,gelidoq; aſcenderet ortu
In placidam lapſus migrauit ad æthera mortem,

DE S. PTOLEMAEO.

POſt Lucā Ptolemæus adeſt de ſanguine,vt aiunt,
Antiqui ſtirps nata Lagi,genus vndè ſuperbum
Deſcendiſſe ferunt regum,qui ſceptra tulerunt
Niligenas inter per plurima ſecula gentes.
Iſte Latinorum magno ſub principe quondam
Inclyta cui virtus pietas cognomina fecit
Indulſit bellis,& Alexandræa colebat
Mœnia in Aegypto,Chriſtiq; receperat vndam
Atq; fidem,ſolitis viuens ſine crimine in armis,
Inſontemq; trahens cum relligione iuuentam.
Inuidere homini lemures,latrator Anubis,
Apis,& Inachijs virgo quæ venit ab oris,
Et reliqui,quorum locuplex Aegyptia ſemper

Terra fuit: diuis igitur ſatagentibus orta eſt
Seditio, contrà noſtræ primordia gentis,
Cùmq́; ſacerdotum rabies ſæuiret in omnes
Chriſtigenas vinclis flagris, & acinace, & igne,
Continuò in medios venit Ptolemæus, & alta
Voce ſcelus tantum increpuit, mora nulla miniſtri
Sacrorum exciti iuuenem traxêre ſub vmbram
Carceris, inſignem non auſi extinguere tali
Morte virum, neq́ vulgari delere tumultu.
Dum ſedet in tenebris ſub opaci fornice clauſtri
Sæpiùs admonitus Chriſto dare terga, deosq́;
Quos reges, quos antiqui coluêre parentes
Suſcipere, & fumo culpam expurgare Sabæo,
Manſit, vt aduerſus Boream Rodopëia cautes,
Forti inconcuſſoq́; animo mala numina contrà.
At cùm ſæpè deos inſectaretur acerbè,
Rideretq́ minas, Chriſtumq́; extolleret ore
Libero, & audaci, turbam irritauit atrocem,
Inſultuq́ hominem facto rapuêre. Tyrannus
Qui præerat genti cupiens ſedare tumultum,
Se in fora prorupuit, plebisq́ è vortice tractum
Faſcibus afflixit, populoq́; vrgente proteruis
Auſibus, & miſſo in cœlum clamore ſecuri
Triſtis & inuitus fatis occumbere iuſsit.
Lucius in bellis qui te Ptolomæe ſecutus
Semper erat, te in morte ſequi, tecumq́; venire
Ad ſuperos voluit, miſerasq́; relinquere terras.
Supplicijs igitur cùm ſe clamaret apertè

Chri-

Chriſtigenam, paribus tecum migrauit in aſtra.
Tum quoq; ſcrutator cœli præclarus eiſdem
A proauis veniens, & ſanguine proximus iſti
Floruit Iſiacis alter Ptolemæus in oris,
Et demum moriens nunquam peritura reliquit
Ingenij monumenta ſui, nam ſydera, & ipſum
Terrarum proprijs incluſit legibus orbem.

DE S. VRSVLA.

INſula ab antiquis, quæ dicta Britannia, nunc eſt
Anglia, vel quoniam terris auulſa videtur
Angulus, extremi latitans in finibus orbis:
Vel quoniam regina locis regnauit in illis
Angela, quæ ſignis illuc victricibus egit
Saxonas, & fecit pulſis noua regna Britannis.
Tunc gens pulſa ſuis laribus, cum nomine priſco
Tranſijt ad Gallos, ſeditq; in littore magni
Oceani p̄rimis non longè à finibus. Hi ſunt
Britones, ex quorum regali ſanguine virgo
Vrſula proceſsit Mauro generata parente.
His etenim rex Maurus erat, ſed & Anglia regem
Paulò mox habuit Chriſti cultoribus hoſtem.
Hic ſobolem Mauri quòd præſtantiſsima forma
Ac virtute foret, Nato cupiebat, & acta
Poſt diuturna tulit Deus hæc in fœdera reges.
Vrſula Chriſtigenis prognata parentibus antè
Quàm ſubeat thalamos, iungat ſibi mille puellas,

Atq;

Atq; decem comites præſtanti corpore,& vna
Quæq; decem comitum veniat comitata phalange
Mille puellarum,cum talibus Vrſula caſtris
Virgineam ducat tota trieteride vitam,
Interea iuuenis Chriſtum doceatur,& vnda
Diluat antiquas labes,cultumq; deorum.
Vrſula virgineis igitur ſtipata cateruis
Aßiduis operam ludis impendit,& omnes
Prouocat ad Phrygiæ ſocias certamina Troiæ,
Strenuaq; aſſumptis imitatur Amazones armis.
Mens erat has ſecum comites ad limina Romæ
Ducere,& hanc alto ſeruabat pectore curam.
Aſt vbi iam Chriſti cunctis infudit odorem
Virginibus,ſummo venit Paranymphus Olympo,
Qui docuit fecitq; viæ cognoſcere caſus,
Et mortis genus,atq; locum. Tunc claſſe parata
Conſcendêre maris fluctus,& in hoſtia Rheni
Nauibus immißis Agrippæ mœnia poſtquàm
Intrauêre,viæ reliquum pede carpere viſum eſt,
Rhenus enim rapidum voluens ex Alpibus amnem
Præcipitat curſus verſum Oceanitidas vndas,
Et labor aduerſo nimis eſt grauis ire fluento.
Quot proceres,claræq; nurus ſpectacula viſum
Hæc venêre,loqui longum,vix agmina campi
Paſcere vix vrbes poterant. Saturnia tandem
Iam pedibus teneræ feßis in regna puellæ
Per Venetos,per Flaminios venêre,per Vmbros:
Dixiſſent veteres hæc vna in caſtra Dianam

Omnibus

Omnibus è ſyluis nymphas egiſſe, ſuisq́;
Virginibus cinctam patrij iuga quærere Cynthi.
Buſta antiqua patrum celebri templa inclyta fama
Inuiſêre, nihil prætermiſêre, quod intra
Mœnia relligio Chriſti inſigniuit, & extra
Mille habuit paries omnis, mille omnis imago
Oſcula, mille ſolum, proſternebantur ad omnes
Cum gemitu, & lachrymis, & cum ſingultibus aras.
Tam pia nunquam aliàs vidit ſpectacula Roma.
Cyriacus qui ſummus erat (ſic fama) ſacerdos
Pontificis curam maieſtatemq́; relinquens
Cœtibus his tantis ſeſe coniunxit, & inter
Virgineas acies ductor Germanica tandem
Per iuga quàm primùm, Rheno duce, venit ad vrbis
Mœnia Agrippinæ, ſæuo deprenſus ab Hunno eſt.
Tunc etenim patrijs egreſſi finibus Hunni,
Heu graue terrigenis atq́; illætabile fatum,
Deuaſtatum ibant vicos, rura, oppida, & vrbes.
Virgineas igitur turmas furialibus armis
Aggreſſi laniant, ſicut ieiunia paſſus
Longa greges vrſus, Libyciq́; armenta leones
Dilaniare ſolent, adeò genus illud acerbum eſt.
Armigero tandem furioſus in agmine princeps
Vrſulæ in innocuum, quia nec deponere Chriſtum
Nec Venerem ſancto voluit præferre pudori,
Eiaculans pectus contracto ſpicula cornu
Formoſam formoſo animam de corpore ſoluit.
Sunt quoq; qui dicant ipſum redeuntibus illo

Occur-

Occurriſſe loco caſumq́ furoribus hiſdem
Dum ſponſam, & comites certat ſeruare maritum.
Sic ſponſæ coiiſſe ſuæ, ſic ſanguine mixto
Feſta penes ſuperos celebraſſe iugalia diuos.
Cordula in hoc tanto fertur latuiſſe tumultu,
Nec ſocias comitata fuit, ſed luce ſequenti
E latebris veniens ſtrictos ſe miſit in enſes,
Et ſubitò aſſumptis cœlo ſeſe intulit alis.

DE S. SIMONE ET Iuda.

SImonis Iudæq́ dies eſt quinta Calendas
Antè Nouembrales, horum matertera Chriſti
Mater erat. Iudæ verò duo nomina, Iudas
Et Thadæus erant. Hic eſt qui venit Edeſſam
Abbagari regis morbos, elephantiaſimq́
Curaturus, vti Chriſtus promiſerat olim:
Chriſtus enim regi ſeſe in ſua regna vocanti
Scripſerat auxilium, poſtquàm remeaſſet in aſtra
Se fore miſſurum, Poſt hæc Aegyptia Simon
Arua petens, Iudas verò Babylonica Chriſti
Sancta per ignaras mittebant ſemina gentes.
Mox ibi coniunctis in Perſida greſſibus ambo
Peruenêre, lares qui per ſimulachra latebant
Protinùs amiſſa tenuêre ſilentia voce.
Tunc Indos, Perſasq́ grauis diſcordia in arma
Miſerat, inſtabatq́ dies ſæui aſpera Martis.

Dux ſuper euentu belli dum conſulit aras
Et ſimulachra, lares trepidi reſponſa negarunt
Sanctorum imperio, tandem ventura coacti
Pandere ſi ſcirent, nimium crudele futurum
Exitium cecinêre hominum pugnamque cruentam.
Tum gemini fratres nugas riſere deorum,
Atque Duci, ne prabe aures dixêre nefandis
Manibus. haud dubium, tibi cras orator ab Indis
Pacificæ veniet portans ramalia palmæ.
Altera lux aderat, venit legatus ab Indis
Pacem orans, pacemque ferens in Perſida totam.
Impia ſucceſſu hoc mens indignata Magorum
Sic ſe poſſe putans ſanctis imponere, coràm
Rege ipſo, tulit in medium genus omne veneni,
Dipſadas, & iaculos celeres, hydrosque, nepasque,
Natrices, colubros, & cætera quæ per Eremum
Solibus arentem viroſa animalia ſerpunt.
At gemini fratres pecus hoc in membra Magorum
Conuertêre diu tortos, ſanieque fluentes
Peſtifera miſerati homines pepulêre colubros
In deſerta procul nullis habitata colonis.
Vt premerent rixas, incerto ſemine natum
Infantem, qua luce parens produxerat illum
Ad populum fecêre loqui, nec proditus author
Eius adulterij ſed falſo crimine functus,
Reddere quem voluit mendax infamia ſontem.
Vrbs ea clatrato clauſas in carcere Tygres
Forté habuit, quæ tunc aditum prabente Megæra

Exie-

Exierant,& iam ſtrages aſperrima paſſim
Edita,per turbas totam tremefecerat vrbem.
Hoc vbi nouerunt fratres crudelia monſtra
In naturam ouium mitem vertêre precando,
Atq; immanſuetum ſubitò extinxêre furorem.
Poſt varios caſus,& poſt miracula tandem
Plurima digreſſos alias traduxit ad oras,
Spiritus ille potens homines impellere quò vult.
Obſeruata illic,qua totus ad orgia luce
Conflueret populus templum ſubiêre,palamq;
Ex ſtatuis iuſſere deos prodire latentes,
Et latebras aperire ſuas,ac frangere ſaxa.
Ecce duo viſi ſubitò volitare per auras
Aethiopes,ſuaq; horriſono ſimulachra fragore
Sternere humi,penitusq; ſuas lacerare cauernas.
Protinus hoc tanto plebs exanimata tumultu
Pernici dat terga fugæ.Tum tota repentè
Turba ſacerdotum ſanctos inuaſit,& armis
Oppreſſere viros,ſimulachrorumq; ruinis
Contriuêre,deos animis furialibus vlti.
Nec mora,cœperunt mugire tonitrua cœlo
Nigreſcente,micant ſubitis ardoribus auræ,
Fulminaq; in templi molem contorta ſuperbam
Diſſoluunt conquaſſatis laquearia tectis.
Ecce ruit ſublimis apex,luxata ſequuntur
Marmora cum ſtrepitu ingenti,ſublatus in auram
Puluis it,& templum in partes eſt quattuor actum.
Sic vbi traxerunt ad Chriſtum Perſida totam

Migra-

Migrauêre animæ fratrum ſuper æthera ſanctæ.

DE DEDICATIONE TEMPLI.

Rex Solymæ gentis Salomon prudentia, & auro
Inclytus, vt fecit templa illa excelſa, manumq;
Impoſuit ſummam, celeberrima ſacra vocata
Principibus magna cum relligione peregit.
Nam centum viginti ouium cecidiſſe feruntur
Millia, viginti verò duo millia (viſu
Res miranda) boum, ſacras holocauſta per aras
Tanta renidentes illis arſere diebus.
Tot pecudum fuſus potuit decurrere ſanguis
De cliuo pendente Sion procul vſq; iacentem
Ioſaphath in vallem, riuumq; implere rubenti
Cæde, tenebroſa factum cui nomen ab vmbra,
Non ab odoratis, vt plebs putat inſcia, cedris.
Addidit & varia decerptas arbore frondes,
Graminaq; & flores, & millecoloria ſerta,
Balſama, & ex pingui ſtillantem cortice myrrham.
Cinnama, thura, Arabes lambebant ſydera fumi.
Addidit argenti decus, & vaſa aurea ſignis
Aſpera, & auectas Gangis de littore gemmas,
Hoc ideò factum, quò rex oſtenderet ipſis
Omnia deberi ſuperis, magnoq; Tonanti,
Omnia qui vitæ nobis alimenta miniſtrat
Aſſiduè, & moto vires dat rebus Olympo,

Quas generat tellus, & quæ naſcuntur in vndis.
Ipſe etiam populo faciente ſilentia & aures
Ad longas tendente preces, multa ore profatus,
Vt Deus æternum templi cuſtodia & vrbis
Eſſet, & ad gentis corda inclinaret amorem.
Pro pietate Deum tali de culmine mundi
Aduentaſſe ferunt, regiſq; ad limina lapſum
Collaudaſſe pios animos, operumq; labores,
Promiſiſſe etiam templi populiq; habiturum
Se vigilem ſemper ventura in ſecula curam.
Mox hic ab antiquis noſtros deuenit in annos,
Nam noua cœlitibus magnis delubra, Deoq;
Pontificum prece, thure, mola ſacramus, & igne,
Ac crucibus circum pictis, quæ dæmones arcent.
Marmoreas etiam Diuum ſacra oſſa per aras
Condimus, & tales ritus Encœnia dicunt.
Aduertendum etiam calices, & liba teneri
Inter ſacra ſuper menſas de marmore vino
Eſſe opus, & triplici velanda altaria lino,
Vel duplici ſaltem: Nam lintea plura leguntur
Exanimum Chriſti quibus inuoluêre cadauer.
Talibus obſequijs Deus inuitatus in ipſa
Templa venit, ſuperi veniunt, & vota precantum
Intellecta ferunt patris omnipotentis ad aures.
Cùm Solymæ quondam ſupremum incumberet vrbi
Excidium, ſuperi qui templa, araſq; tenebant
Auditi ſunt nocte loqui, migremus ab iſtis
Sedibus, iſta graui moles deuota ruina.

Hinc

Hinc patet in templis Diuos habitare, quòuſq;
Officio functi fuerint, aliòq; vocati.
Propterea in templis nihil exercere, nihilq;
Dicere fas, quod Diuum oculos offendat, & aures.
Vota, preces, & ſacra decent altaria, & omni
Tempore diuinis illic de rebus agendum eſt.
Hic mulier velare comas, abſcondere vultum
Pectoraq;, & geſtus debet cohibere petulcos.
Nam nihil eſt quod ſic mores, vt fœmina frangat.
Templa quoq; à Graijs appellabantur Aſyla,
Quòd qui confugerent illuc iura ipſa vetabant
Indè trahi, mos hic noſtro ſeruatur ab æuo.
Nam templum eſt diuina domus, legesq; profanas
Non patitur, ſed colla iugo fert libera ab omni.
Nos etiam, nos templa Dei ſumus, intima corda
Ipſe habitat, ſtygio niſi ſint inceſta veneno,
Qualia ſunt per luſtra hominum tenebroſa vagantum.
Et nullum eſt aliud templum æquè nobile, nullum
Gratius hoſpitium ſuperis, reminiſcere vatum
Atq; Sibyllarum, quorum Deus ora mouendo
Pectora venturos docuit mortalia caſus.
Exornanda igitur mens relligione, pudore,
Iuſtitia, pietate, fide, nam talia Diuos
Delectare ſolent, & nos in ſydera ducunt.
Templum aliud Deus ipſe ſibi mirabile quondam
Fecit ab exortu rerum, cui nomina cœlum.
Luminaq; appendit ſemper lucentia, ſolem
Et ſua perpetuò variantem cornua lunam.

Magna etiam Venus eſt lampas, quæ porrigit vmbrā:
Iuppiter, & Mauors rubet hic, argenteus ille,
Poſt Venerem lucent, ſummo Saturnus in orbe
Pallet: Athlantiades ſe in paruum colligit ignem.
Hoc eſt veſtibulum templi ſub imis: eunti
Altius offertur ſpatium ſine fine ſub alta
Abſide, & æternis illic ſplendoribus ignes
Tot numero lucent, quot ſunt per littora arenæ.
Multiplices rerum formas ea lumina certis
Diſtincta ordinibus reddunt: apparet imago
Lanigeræ pecudis, Tauri, Iuuenumq; duorum.
Cancer in obliqui ſedet alto limite circi
Verſus Hyperboreos axes, Leo proxima Cancro
Tecta tenet, ſequitur Virgo, ſub Virgine Libra,
Scorpius, & formæ ſenior coniunctus equinæ.
Mox Caper humentem tollens ſua cornua ad Auſtrū.
Ac iuuenis qui ſpargit aquas, piſcesq; nitenti
Tergore, & obrizum ſquammis imitantibus aurum.
Stant læua dextraq; aliæ, quas dicere longum eſt,
Vndiq; difformes, pecudumq;, hominumq; figuræ,
Rerum etiam plantarum anima, ſenſuq; carentum
Vt Quadriga, Ratis, Crater, Lyra Thracia, Plauſtrum,
Araq;, & ardenti radians mucrone ſagitta,
Atq; vtrinq; poli, rectoq; per inuia mundi
Viſcera diſcurſu longus ſe porrigit axis,
Qui volucri motam torquet vertigine molem.
Si magis alta petas, ſemper maiora ferêris
In ſpacia, & miſſos longè ſine limite tractus.

Hic æterna quies, hîc eſt æterna voluptas.
Huc veniunt humanæ animæ quæ templa frequentant
Facta manu in terris, quibus eſt pietasq́, pudorq́,
Vitaq́ compagem carnis pertæſa caducam.
Qui templo defertur honor reuocatur in annos.
Et ſolidæ redeunt ad feſta reciproca laudes.

BAPTISTAE MANTVANI CARMELITAE, THEOLOGI: FASTORVM Liber vndecimus.

NOVEMBER.

IN SOLENNITATE OMNIum Sanctorum.

AFfert prima dies ſolennia magna Nouembris,
Nam ſuperos omnes vno celebramus honore,
Et noua communi perſoluimus orgia ritu.
Si quid in hoc igitur toto peccauimus anno
Hic delemus: Idem veteres fecére Latini
Antè dies Chriſti ſederant ea feſta ſecundi
Menſis, & his nomen feſtis dementia fecit,

 Stul-

Stultorumq; dies illos dixêre Quirites.
Extat adhuc Romæ moles ampliſsima,& author,
Vt perhibent, Agrippa fuit teſtudine grandi
Aethereo ſimilis cœlo,quæ dicitur olim
Vitori ſacrata Ioui,magnæq; Deorum,
Vt meminit Graiorum ætas antiqua,parenti.
Hæc igitur Diuum genitrix ſua pignora molis
Iſtius hæredes faciens, cognomina traxit
Omnibus à Diuis,dixitq; immania tecta
Panthêon,hoc templum Phoca donante recepit
Sacrorum antiſtes Bonifacius,atq; fugatis
Indè ſimul cum matre Deis,ſolenniter omnes
Tranſtulit ad ſuperos,verboq; ſacrauit,& vnda:
Ac Maij celebranda die ſolennia nono
Inſtituit:Sed in has patres traxêre Calendas.
Nam modò collectæ fruges & in horrea miſſæ
Otia parturiunt,iam tranſiuêre labores,
Caſſauêre operæ,tempus geniale propinquat.
Bruma venit,glacialis hyems apparet in altis
Montibus,& canis albent iuga ſumma capillis:
In campos gelido iam deſcenſurus ab axe
Implet Rhiphæis Boreas Aquilonibus vtres.
Apta celebrandis,& idonea tempora feſtis
Hæc priſci vidêre patres:Sed tempora Maij
Etſi fronde virent multa tamen aſpera fiunt
Sæpius abſumptis iam frugibus,atq; laborum
Et ſolis creſcente æſtu ſpatioq; dierum.
Cùm ſacrata ædes Diuis fuit iſta,repentè

Pro-

Proripuit ſeſe veterum tota illa Deorum
Colluuies: Cybele petyt ſua Dindyma, coniunx
Ianiculi fertur ſpecubus latuiſſe ſub altis.
Iuppiter Idæos ſaltus. Venus alta Cythara,
Iuno Samum, ſoboles Maiæ Cyllenia luſtra,
Delius in Delphos abyt, Vulcanus in Aethnam,
Filia Latonæ ſyluis præfecta receßit
Protinus in Delon, Neptunus in æquora fugit.
Pallas in Actæos montes, Rhodopeia Mauors
In iuga, Dircæos Euan volitauit ad agros.
Cœlituum verò populos, ad feſta voluptas
Egit, & ornati roſeis venêre coronis.
Tum veterum Cunei patrum Pæana canentes,
Et cum virginibus matres duxêre choreas.
Et quæ ſupplicijs ac fuſo ſanguine Chriſtùm
Illuſtrem fecêre animæ, quæ corpora longis
Afflixêre malis, nec in otia, delitiasve
Proiecêre dies, palmas geſſêre virentes
Antè Deum, lætaq; choros habuêre frequentes.
Nos igitur patriæ memores cui viuimus, ad quam
Tendimus, hos tantos læti celebremus honores.

IN DIE MORTVO-rum.

Prima dies ſuperos ciues colit, altera manes
Expiat, æternos non qui damnantur ad ignes,
Quos ſpes nulla fouet, quos nulla piacula ſoluunt:
Sed quibus eſt veniale nefas, vel origine ab ipſa,

Vel capitale prius, factum veniale dolendo.
Sunt quos errorum benè pœnitet, atq; doloris
Igne coquunt animi maculas, elephantiaſimq;
Atq; cicatrices, iſti poſt fata feruntur
Ad ſuperos: Sunt qui ſcelerum moriantur opacis
Impliciti tenebris, hi ſunt qui tartara, & altum
Præcipites Acheronta petunt: exiliter, ægrè,
Frigidè, & inſipidè nec toto pectore quoſdam
Pœnitet, hos quanquàm patris clementia in vmbras
Non agat æternas, tamen vt terrena relinquant
Somnia, & antiquos habitus, & inuſta malarum
Semina curarum per regna Catartica mittit,
Et quoſdam permittit agi tenebroſa per antra
A ſtygijs laribus, quoſdam tranſire per ignes
Et per ſtagna facit, latrinalesq; lacunas,
Illudiq; malis lethæi à manibus Orci,
Acrius ac leuius, meritorum examine facto,
Sicut in Alfonſo dictum reminiſcimur olim.
His præſens deuota dies, ſuffragia dantur
His hodie, his crebris lucent altaria flammis,
Et paribus ſtudijs vrbes ac rura parentant,
Februaq; exercent, ſicut Romana ſecundo
Menſe ſuperſtitio Ioue tunc regnante ſolebat.
Quintuplici verò manes ratione iuuantur.
Prima ſalus oblata Deo ſunt azima liba,
Et calices, proſunt animis ieiunia, proſunt
Quæ miſeris donantur opes, Litanea, precesq;.
Eſt aliud, ſi vera recens ſententia patrum,

Mani-

Manibus auxilium: Nam quædam æraria dicunt
Conflari ex meritis Chriſti Diuûmq́; colentum
Aethera: Romanus quæ diſpenſare ſacerdos
Partiriq́; poteſt, animiſq́; impendere functis
Corpore, qui Elyſios poſſunt ſperare penates.
Auxilio tali factum indulgentia nomen,
Indulgere etenim blandè inſeruire vocamus,
His Deus extenuat pœnas, & tempora pœnis
Aßignata modis breuiat: nec credimus iſta
Luce animis tormenta dari, ſed gaudia pulſo
Mœrore, & lachrymis campos reſonare per illos,
Sicut vbi lautis ineunt conuiuia menſis
Nuptiæ, & antiquo celebrata chariſtia more.
Quæ in cryptis fuerant veniunt ad compita viſum
Si quem fortè ſuæ gentis, patriæue per amplum
Conſpiciant Erebum ſuperis à ſedibus illuc
Deſcendiſſe, manus iungunt, dant oſcula, quærunt
Quæ fortuna manet viuos, quid agatur in orbe
Terrarum, lætiq́; trahunt ſolatia fando.
Aſt vbi conuerſo Titan delabitur axe
In ſua tecta pedem referunt patienter, & æqua
Mente ferunt quæcunq́; ſuis ſunt debita fatis.
Tunc etiam multæ vinclis, & carcere functæ
Dimittuntur: habent proprios ea regna toparchas
Atq́; magiſtratus, qui certa ſilentibus vmbris
Iura miniſtrantes animas ſoluuntq́;, ligantq́;,
Et quaſi Minoës quidam dominantur Auerno,
Sicut in Alfonſo dictum reminiſcimur olim.

DE S. LEONHARDO.

INclyta Gallorum pars eſt Aquitania, monti
Proxima Pyrenæ, Ligerim videt, atq; Garumnam
Per ſua piſcoſis deducere paſcua lymphis,
Hic fertur traxiſſe genus Leonhardus ab alta
Stirpe Clodouæi Francorum regis, & omnes
Contempſiſſe ſuæ titulos & ſtemmata gentis,
Et coluiſſe nemus, conſorsq; fuiſſe ferarum
Aſper, & incultus, cùm poſſet epiſcopus eſſe,
Ac nitidas habitare domos, & viuere lautè.
Hic erat accenſus ſtudio pietatis, & ibat,
Eſſet vt auxilio vinctis, & carcere clauſis,
Aßiduè ad regem, quòd ſi quandoq; ſeuero
Rex animo ſe difficilem præbebat, ab ipſis
Cœlitibus poſcebat opem, precibusq; ſolebat
Soluere vincla, fores clauſas aperire, cataſtas
Frangere, & ex altis miſeros educere clauſtris.
Contigit vt ſaltus rex & regina per illos
Venarentur, & vt ſæuos regina dolores
Inciderit ſubiti partus, querimonia ad auras
Iuit, & auditæ per luſtra ſilentia voces.
Tanta pater ſubitò pius ad lamenta cucurrit,
Et prece iam propè ducentem ſuſpiria vitæ
Vltima, cum tenero ſeruauit pignore matrem.
Rex igitur meritis illi pro talibus omne
Id voluit donare nemus, ſed grandius æquo
Ipſe ratus donum, dixit ſibi velle relinqui

Quantum

Quantum nocte ſuo gradiens ambiret aſello.
Ergò ſuo poſtquàm plures collegit in vnum
Propoſiti ſocios, ſyluis erexit in illis
Cœnobium ſtatuens magnæ delubra parenti.
Atq; ibi diuinos ritus exercuit vſq;
Ad capulum, ſummamq; diem: Cùm ſexta Nouembris
Surgeret incedens croceis aurora capillis,
Iuit in Elyſios fœlici funere campos.
Prætereo quantis viuens reſplenduit vſq;
Ad Rhodani ripas, ad Iberi fluminis vndam
Prodigijs, grauibus morbis dum liberat ægros,
Dum latices quos ſicca loci natura negabat
Elicit, atq; nouis vetitas dat fontibus vndas.
Prodigium maius, vita eſt ſine ſordibus acta.

DE S. MARTINO.

PEr poſtica Nepæ fugiens ad limina tendit
Prima ſagittiferi Titan retrogradus aſtri.
Cras cum ſole ſenex aderit, coniunctus ab arcto.
Iam parat Arcturus ſua ſydera, Cygnus ab Auſtro,
Ac ſimul hybernos ſolem comitantur ad ortus.
Autumnum miſſura foras ſubit hoſtia furtim
Triſtis hyems, humeros niuibus conſperſa, caputq;
Nubibus, vt quondam pluuiali vmbrata galero
Alget, & amphitapi circùm velaminis oras
In glaciem, ventis fluidum glomerantibus imbrem,
Stiria fit, dicas hyali translucida fruſta

Dura

Dura manus longos neruis extantibus vngues
Porrigit,& ciliys horrent caua lumina toruis.
Stat corio defenſa rudi,ſuraſq́; pedeſq́;
Fronte truci, mento incano,voce aſpera,& ægra,
Naribus immundis,& ſemper in ora fluente
Pituita,pulmonem agitans præcordia vellit
Tuſsis,it incuruo pendens in pectora tergo,
Atq́; vacillantem ſuſtentat arundine greſſum.
Aemonias igitur ſole ingrediente ſagittas
Surgit hyems, oneroſa inopi,damnoſa ſenecta.
Temporis hæc inter duplicis confinia cùm lux
Altera poſt decimam rediyt,Martinia feſta
Læta abunda colit ſolenni Eccleſia ritu.
Sabarienſis erat ciuis Martinus:At intrà
Italiam Ticini alitus,damnata parentum
Numina contempſit,Chriſtumq; ſecutus ad vndam
Sponté ſalutarem teneris confugit ab annis.
Cùm puer eſſet adhuc tacitam cupiebat eremum
Viuere,tunc etiam nudum miſeratus egentem
Cùm ſæuiret hyems ſolito crudelior, enſe
Quo præcinctus erat chlamidem diuiſit, & illum
Parte tegens aliam ſua traxit ad ilia partem:
Nec dum tinctus erat,ſed adhuc catechumenus illud
Tam magnæ pietatis opus puer inclytus orſus.
Expulerant lucem tenebræ,per ſomnia Chriſtum
Audiyt ad diuos illa ſub veſte loquentem:
Me tunica Martinus adhuc catechumenus iſta
Induit:hinc conſtare poteſt,quòd habetur Olympo

Calcu-

Calculus humanorum operum, quòd debita noſtris
Præmia ſunt operis, & quòd Deus omnia curat.
Miles erat proauos imitans ſtudiumq́ paternum.
At cùm pugna foret iam proxima ſanguinolentam
Destituens artem, renuit ſtipendia, ſed ne
Segniter ac timidè poſſet feciſſe putari,
Auxilio diuûm defenſus, & auſpice Chriſto
Cùm fremeret Mauors, & cùm ſæuiret Enyo,
Hoſtiles ſtetit antè acies, ſine lancea, & enſe.
Tunc in flore fuit diuina ſcientia, Chriſtum
Qui ſapiebat oues Petri paſcebat, & agnos,
Pictauenſe pedum geſtabat Hilarius alta
Inſignis pietate ſenex. Martinus ab illo
Iura miniſtrandi ſacris temploq́ recepit.
Mox patrios longo repetens ſudore penates
Tranſtulit ad Chriſtum matrem, pater arma ſecutus
Infameſq́ deos ſua in impietate remanſit.
Mox rediens vita functas in membra reduxit
Treis animas, vixitq́ diu ſecretus ab omni
Plebe ſub occulta ſanctis cum fratribus æde:
Cùm verò foret orbum illis paſtore diebus
Turonenſe ſolum, Martinus idôneus illi
Officio viſus populo plaudente cathedram
Sublimem ſuſcepit inops auriq́, animiq́
Diues opum quibus arx emitur cœleſtis Olympi:
Innumeris poſtquàm toto reſplenduit orbe
Prodigijs, poſtquàm multas eſt paſſus ab Arri
Gente minas, longa moriens in pace reliquit

Cœlo

Cœlo animam, ſpolium terris, famamq́ perennem.
Hæc eſt læta dies, iſta populuſq́, patreſq́
Luce cados relinunt, & defæcata per omnes
Vina ferunt menſas, ac libera verba loquuntur.
Talis apud veteres olim ſacrata Lyæo
Lux erat à priſcis vocitata Pithœgia Graijs,
Quòd ſignata dies aperiret dolia feſtus.
Sol hodie ſi clarus obit, denuntiat acrem
Atq́ moleſtam hyemem: ſi nubilus, aëra mitem
Prædicat hybernum, dant hæc prognoſtica natis
Paſtores ouium, cùm ſeria fantur ad ignem.

DE PRAESENTATIONE B. Virginis Mariæ.

PLaudite, lux venit vigeſima prima Nouembris.
Trima erat æthereum virgo paritura Tonanti
Dulce refrigerium patri, ſpes vnica matri,
Cùm templo deuota fuit, cum prole parentes
Per ter quinq́ gradus viuo de marmore factos
Aſcendêre domum ſacrato in colle ſedentem.
Nam templo muliebris erat domus addita, ſolis.
Dedita virginibus, quibus adiungebat honeſtas
Publica cura nurus, viduas, vt ſancta docerent
Iura puellares annos, caſtumq́ pudorem
Influerent illarum animis, & Palladis artes

Ingenio

Ingenio muliebri habiles: ſunt Palladis artes
Texere candentes byſſos,& vellera Serum,
Rebus acu varium decus addere,fingere Arachnem,
Palliaq; à multis ducentia nomina filis
Artifici plumare manu,deducere eburna
Fila colu ſacras veſtes factura Leuitis.
Vna tamen nurus inter eas velut altera Sappho
Docta peregrinas voces,Sophiamq; Academi,
Si quæ forſan erant ſtudijs maioribus aptæ,
Vt quandoq; inter virides vſu euenit annos,
Scita puellares animos ad magna vocabat.
Iſta videns Mariam ſocias præcellere in omni
Munere,doctrinis vegetam,docilemq; puellam
Excoluit varijs. Moſæa volumina primùm
Explicuit,mox deduxit per Perſica regna,
Armenios docuit rêges,Medoſq;,Scythaſq;,
Troianoſq; Duces,& quæ geſſere Pelaſgi,
Quæ Libyci,quæ Romani,genus omnibus vnum
Prælatum populis,& gens fortiſſima quondam.
Multaq; præterea ad mores ſpectantia,multa
De rerum natura aditis translata ab Achæis
Tradidit,& menti tantum decus addidit altæ,
Tum quoq; cum ſuperis habuit commercia virgo,
Multaq; de cœlo didicit,de principe mundi
Quæ mox ipſa ſuas comites,ipſamq; docebat
Vndè tot audierat dudum præcepta magiſtram.
His nymphæ ſtudijs exercebantur ad annos
Pubertatis,vbi nubendi acceſſerat ætas,

Sicut

Sicut ad emporium merces, ad tecta parentum
Ducebantur, vbi fierent connubia more
Legitimo, genus vndè nouum, noua ſurgeret ætas,
Quæ ſuppleret auos, vt ſic in prole manerent,
Qui nequeunt ipſi ſemper ſupereſſe parentes.
Hanc Deus, & natura dedit mortalibus artem,
Vt quam fata negant vitam retinere, ſuis dent,
Et viuente aliqua viuant in imagine ſaltem.
Hæc eſt illa dies igitur, qua Diua ſub iſtas
Eſt ingreſſa domos, ipſam celebrate puellæ
Nubere quæ vultis: quòd ſi neq; nubere vultis,
Non minùs eſt celebranda dies. Seruauit vtramq;
Cœlibis & nuptæ vitam, pulcherrima virgo.

DE S. CAECILIA.

CAeciliam memini quondam ceciniſſe, ſed ortus
Suppreßiſſe diem, quam nunc opus addere faſtis.
Hanc decimi menſis decimo vetus antè Calēdas
Mos celebrat. Romæ matres delubra frequētant
Trans Tyberina, manu faculas & vota ferentes.
Talibus æternos animis debemus honores,
Qui non Circenſes ludos nec Olympia, ſed quod
Eſt grauius, vicêre ſui certamina ſenſus,
Et Larium fraudes, occultaq; bella deorum,
Ac reges, regumq; duces, & verbera, & ignes.
Corpus erat tenerum, ſed mens adamantina, membra
Mollia, ſed conſtans, & inexpugnabile pectus.

Alma-

Almachium virgo ferrum, flammaſq; minantem
Irridebat, vti cautes Marpeſia ventos,
Vt maris irati feruorem immobile littus.
Cyclade ſub Coa, Tyrio ſub murice, & auro
Hircinis veſtita ſagis, quæ texere contra
Tela ſolent Cilices, iuuenilia membra domabat,
Nupta virum, fratremq; viri conuertit, & ambos
Miſit ad Vrbanum, docuit ſeruare pudorem
Dedere ſe Chriſto, cultumq; negare Deorum.
Feruentes deriſit aquas, ludebat in illo
Mortifero, & bullas extra iaciente lauacro,
Romanæq; loquens ad circumſtantia gentis
Agmina, damnabat Martem, Phœbumq;, Iouemq;,
Et Saturnigenas alios, quos Roma putabat
Eſſe deos, potuit Chriſtum ſuadere Latinis
Fœmina, & à veteri laruarum auertere cultu.
Non timuit gladios, ſed merſo in guttura ferro
Et per pulmones vſq; ad nuda inguina miſſo
Inuulgabat adhuc Chriſtum, populoſq; ciebat:
Diſce quod illius regeret præcordia numen,
Quantaq; in arcano latitaret pectore virtus.
Deniq; compoſitis rebus, Chriſtiq;, ſuiſq;
Ad ſuperos victa fugit virguncula Roma.

DE S. CLEMENTE.

ALtera Clementi lux tinnula verberat æra,
Spargit humũ redolente thymo, ſuſpẽdit ad aras
Virgineas lauros & purpureos amaranthos.

Nam cùm ceſſat humus flores proferre, coronas
Tranſit in hybernas tepidis amaranthus in vndis
Lotus, & hæc primum reparat medicina colorem.
Hic Romanus erat ſatus ex primoribus vrbis
Ore, clientelis, ac ſanguine clarus, & auro.
Hunc ſibi mandauit Petrus ſuccedere tanti
Inſtituens regni hæredem. Reuerentius autem
Prætulit ipſe ſibi geminos Cletumq́; Linumq́;
Inſignes pietate viros, ætate priores.
Adde quòd hunc morem de ſucceſſore creando
Taliter, expungi penitus, ne forſitan illinc
Sumeret ambitio vires, debere putauit.
Hic quia Fauſtinam magni de ſanguine Neruæ,
Siſiniumq́; virum illuſtrem cum coniuge Chriſto
Subdiderat, Roma procul ablegatus ab vrbe
Helleſpontiacæ petijt confinia terræ,
Peruenitq́; Paron lapides vbi multa ſecabant
Millia Chriſtigenûm Parios, quibus alta theatra,
Templa deûm, regumq́; domos ornare ſolebant.
Vt didicit quàm magna foret penuria genti
Dulcis aquæ miſerans turbam prece mouit Olympum.
Nec mora ſublato vidit pede velleris agnum
Albicomi ſtantem vicini in vertice ſaxi,
Acceßit, ferroq́; locum percußit acuto.
Ecce latex fluit vbertim de marmore fracto,
Atq́; abit quà terra cauo ſubmittitur agro.
Et quia magnus ad hæc miracula littore ab omni
Græcorum concurſus erat, ne templa deorum

Deſolata

Deſolata forent, Traiano à Cæſare miſſus
Aufidianus ad hoc littus tentauit eorum
Immutare animos, Chriſtumq; abolere minando.
Aſt vbi ſe fruſtra niti cognouit, in ipſum
Deſæuire caput ſtatuit, iuguloq; ligata
Anchora in Aegæas Clemens demergitur vndas.
Sed cùm Chriſtigenæ ſtarent ad littora triſtes,
Et ſimul ob tanti patris diſpendia flentes
Corneli, Phœbiq; preces fecêre marinos
Ire procul fluctus, & iter præbere per alta
Aequora, murorum in ſpeciem pendentibus vndis.
Ergò introgreſſi paſſum tria millia, templi
Inſtar opus vidêre nouum de marmore, & album
Sarcophagum cum relliquijs, ſtabatq; ſepulchro
Proxima quæ fuerat funeſti conſcia caſus
Anchora, in abſtruſo maris hæc habitacula fundo
Condidit ipſa ſuo diuina potentia teſti.
Mox vbi diſceſſit populus, via clauſa repentè,
Et vada conſtrauit pelago ſalis vnda relapſo.
Dicitur hunc morem per ſecula longa quotannis
Obſeruaſſe fretum: Nam cùm natale redibat
Martyris, excluſo ducebat ſemita ponto
Turmatim populos vſq; ad ſubaquatica templa,
Sed ſenſim labente fide cum tempore, Diui
Authores iſtorum operum mortalia regna
Deſpexêre malis offenſi moribus, atq;
Neglecti à nobis nos neglexere viciſſim,
Sic periêre fidem decorantia plurima noſtram.

DE S. KATHARINA.

Regia progenies, ſicut memorauimus olim
Carmine prolixo, Katharina per Iſidis arua
Floruit ingenio, forma, facundia in annis
Pubertatis adhuc, maiorq́; euaſit in horas
Non loquar vt nupſit (ſi vera inſomnia) Chriſto,
Vt digitos fuluo nitidos inuenerit auro.
Cùm populo præſente deos damnaret, & aras,
Et ſacra quæ Dores appellabant Hecatomben.
Nuper eò vectus Cæſar Maxentius, illam
Arſit: At obſcœnos cùm nil curaret amores
In Chaos obſcurum miſſa eſt onerata catenis,
Paſſa famem, longiſq́; minarum afflicta procellis.
Rhetoras orantes pro relligione deorum
Vicit, & ex tanto referens certamine palmam
In ſe hominum ſic conuertit menteſq́; oculoſq́;,
Vt ſolet æthereo vapor inflammatus ab igne,
Qui latè longèq́; comis flagrantibus vmbras
Diſcutit, & triſti magnos ferit omine reges.
Præſtantem, clarumq́; Ducem cum milite multo
Porphyrium, reginam ipſam, nuruumq́; cateruam
Nobilium magnam, ſacras perduxit ad vndas.
Armatos gladijs orbes, magnoq́; volantes
Cum ſtridore rotas ventorum turbine, & igni
Fregit, agens fruſta in fluctus conuulſa marinos.
Supplicio demum capitali affecta cruorem
Non habuit, ſed lac niueum pro ſanguine fluxit.

Cælicolæ

Cælicolæ corpus trans æquora rubra per altum
Aëra portantes poſuêre in vertice Sinæ
Et liquor ex Membris mox vt tumulata fuêre
Incepit manare potens extinguere morbi
Omne genus, teſtis memphis, Babylonia teſtis,
Totaq́ thuriferis redolens Panchaia ſyluis,
Tam latè vulgata huius miracula Diuæ.

DE S. ANDREA APO-ſtolo.

ANdrea germane Petri ſanctiſſima Ionæ
Progenies, qui Baptiſtæ documenta, viamq́
Antè ſequebaris, quàm te cum fratre vacantē
Retibus acciret ſoboles diuina, Nouembris
Vltima fert aurora tibi pluuialia feſta.
Tu Galileus eras, tu circà littora cymba
Vectabare trahens varios ex gurgite piſces.
Sed ſine remigio, Chriſtus, ſine retibus vllis
Te docuit piſcari homines, animaſq́ vocare
Ex ſcelerum ſtagnis, ſtygijſq́ paludibus orci,
Mittereq́ ingentem diuûm in viuaria prædam.
Tu Pelopis gentes, & Achaica regna peragrans
Spargebas radios vitæ ad mortalia corda,
Sicut ad humanas acies crinitus Apollo,
Sparta vetus meminit, Lacedæmoniaq́ Mycenæ.
Argos, Amyclæiq́ lares, Alphæaq́ Piſa,
Atq́ aliæ Danaorum vrbes, quas alta Corinthus

Claudit & anguſto duplex mare diuidit Iſthmo.
Cùm paritura nurus magno clamore vocaret
Lucinam, Lucina dedit reſponſa, vetamur
O dilecta nurus vobis ſuccurrere, noſtram
Vir prohibet Galileus opem, concurrite ad eius
Auxilium. ſibi namq́; meum decus arrogat ipſe.
Sic ait, Andreas interpellatus ad illam
Miſit opem. ſic diuinam compulſa fateri
Virtutem Lucina fuit. ſic inuidus orcus
Cogitur inuitus diuorum accedere votis.
Aſt vbi deuenit Pelopenſia mœnia Patras
Vndè patet procul Actolas proſpectus ad vrbes
Aegeas, proconſul erat, qui grandibus actus
Prodigijs, metuebat enim ne ſacra deorum
Corruerent, voluit diuino obſtare furori,
Quineq́; vulgares poterat componere rixas.
Aegeas igitur cùm nec terrore nec armis
Poſſet ab inceptis hominem reuocare leuauit
In lignum ſublime crucis, quo maximus heros
Supplicio delectatus clamabat ab alta
Arbore ad aſtantes populos, Chriſtumq́; docebat
In ligno voluiſſe pati, quòd ſemina mortis
Traxerit à ligno princeps in ſtemmate noſtro.
Talia vociferans biduo ſic pectora plebis
Mouit, vt Aegææ mortem intentaret atroci
Voce fremens, quibus ille minis perterritus ibat
Cum lictore volens motos ſedare tumultus,
Et ſeruare hominem, fractiſq́; abſoluere vinclis.

Id

Id pius Andreas metuens clamabat, abite
Ite procul,neu me tali fraudate corona.
Chriſte faue,ſecurre animæ terrena peroſæ
Omnia,& in ſuperos tua me clementia tollat.
Talibus orantem Deus audijt: Ecce repentè
Aureus erumpens hominem circumſtetit ardor,
Et longis mens functa malis in ſydera fugit.

BAPTISTAE MANTVANI CARMELITAE THEOLOGI: FASTORVM
Liber duodecimus.

DECEMBER.

DE ADVENTV.

Fatidici vates orituri tempora Chriſti
Prædixêre, velut cantu prænunciat ales
Venturam criſtata diem, multoſq; per annos
Expectata fuit diuini gloria partus.
Propterea poſtquàm cælo deſcendit aperto

Lux ea tam fœlix, patres voluêre quotannis
Tempore brumali vota illa antiqua parentum
Pendenteſq; animos, & ſpes oſtendere longas.
Tempus id (Aduentum dicunt) modò quattuor vſq;
Tendit in hebdomadas, modò treis, ſed ſemper oportet
His tribus hebdomadis patrem ſuperaddere quarta,
Ad ſex vſq; dies, quod ſexto implebitur anno,
Septimus hebdomadem cùm iam compleuerit annus
Ad tres hebdomadas, lucemq; reuertitur vnam.
Hæc via perpetuum varians decurrit in orbem.
Meta dies natalis erit, mutabile verò
Principium, quandoq; opus eſt intrare Nouembrem
Atq; dies auferre aliquot, quandoq; December
Sufficit, hæc autem fluit inconſtantia ab ipſo
Natali quem fert modò ſol, modò Cynthia, & aſtra
Cætera, quæ ſeptem nomen fecêre diebus.
Cùm ſolenne Dei Titan natale reportat
Maximus Aduentus, cùm Luna breuiſsimus exit.
Mars & Athlantiades & Iuppiter & Venus addunt
Vnam quiſq; diem, dat lux Saturnia ſextam,
Cuius apud Solymam manet obſeruantia gentem.
Tempus id adnotat Aduentum, quo funera Chriſtus
Ad ſua, & ingratam venit paſſurus ad vrbem,
Cùm pueri frondes oleæ, palmaſq; ferentes
Altiſonis alacres cecinerunt vocibus hymnos.
Tempus idem ventura refert in fine dierum
Secula, cùm poſito requieſcent ſydera curſu.
Lucem illam metuendam, illud lachrymabile tempus
Plurima

Plurima præuenient dira, atq; horrentia ſigna,
Proſtratura metu mortalia pectora magno.
Nam mare, nam tellus perturbabuntur, & aër,
Totaq; ſtelliferi lugebit machina mundi.
Tunc Boreas Auſtro, Zephyrus contrarius Euro
Bella gerent, pontumq; graui clamore frementem
In magnos adigent fluctus attollere montes,
Vorticibus quoq; ſpumoſis ſorbere carinas,
Aut ad marmoreas ſcopulorum allidere cautes.
Mortales etiam bellis flagrantibus orcus
In varias aget ærumnas, requiemq; negabunt
Terrigenis manes, ſæuæ ac ſine numine gentes
Templa profanabunt, diuûm reuerentia, & omnis
Relligio fluet, vt fractis ſolet vtribus aër.
Nec minus imbriferæ nubes, & ſaxea grando,
Fulmina, & ardores, & ſigna horrenda cometæ
Hæc ſummos ferient animos, terrenaq; regna.
Aſtra videbuntur cœlo labentia ſenſim
Perdere ſplendorem, ſicut ſcintilla volatu
In cineres it tota breui. Sol maxima mundi
Gloria flacceſcet, gelidoq; inglorius ore
Stabit, & obſcuro tectus mœrebit amictu.
Luna autem iubar à Phœbi ſplendore receptum
Occidet, & prima ſine maieſtate latebras
Quæret inops lucis, totusq; erit ater Olympus.
Hæc vbi contigerint magnum amplexabitur orbem
Flamma volans, terræ moles quæ innititur vndis,
Vndaq; quam gremio circumflua ſuſtinet aura

Conflagrabit,& hæc tam magna incendia ſurgent
Trans iuga,montanosq́ apices vbi fulmina fiunt.
Hæc vbi facta,leues Deus in defuncta vocabit
Membra animas reſonante procul clangore tubarum.
Nec mora,cœlituum Chriſtus ſtipante caterua
Adueniens magna cum maieſtate ſedebit
Aërio in ſolio,ſtabitq́ ante illius ora
Omne hominum genus attonitum,& parere paratum.
Terrigenum verò vitas ſcrutabitur omnes
Acriter,atq́ nouis formabit legibus orbem.
De triplici aduentu ſatis hæc adiungere faſtis.

DE S. BARBARA.

BArbara in excelſa,quia formoſiſſima,turri
Clauſa tenebatur,ſed cùm contenta duabus
Non eſſet ſpeculis,accito tertia fabro
Additur:id genitor cernens deprendit in illa
Neſcio quid diſcors à relligione deorum.
Adde quòd in ſaxis crucis apparebat imago
Vndiq́,quam digitis virgo capiente figuram
Marmore ſignabat,cùm pernicioſus acuto
Inuaſiſſet eam telo pater,illa volucri
Se pede proripiens montem diuiſit,& altas
Se tulit in ſyluas,latuitq́ ſilentibus vmbris.
At pater inuectus furijs per ſumma cucurrit
Saxa,per anfractus montis,tandemq́ repertos
Paſtores ſcitatur vbi fugitiua lateret.

Nec mora, mentitur ſe non vidiſſe puellam
Primus adulterium ſperans. Vidiſſe ſecundus
Se confeſſus vti pater illam perderet, iuit,
Oſtenditq; locum latebræ: crudelior ipſo
Patre, ambo longè indigni vitalibus auris.
Quod docet euentus, nam mox diuina ſecuta eſt
Vltio paſtores conuerſi in ſaxa, gregesq;
Criminis admiſsi durant in ſecula teſtes.
At pater apprendens fuſos in terga capillos
Ad Nicomedæam traxit velocius vrbem,
Nam Bithynus erat, ſtatuitq; antè ora ſuperbi
Iudicis, accuſans de relligione puellam.
Barbarus indigno ſuſpendit ab arbore nudam
Supplicio iudex (heu res obſcœna) pependit
In caput ad lignum pedibus ſublime ligatis.
Hìc ferrum, hìc flammas, hìc verbera paſſa, ſubindè
In cœcas demiſſa domos onerata catenis,
Extenuata fame, tandem conceſſa parenti
Ducitur in montes, ad quos confugerat antè,
Et poſt mille minas, & poſt opprobria mille,
Verberaq; ad ſummum manibus iugulata paternis,
Cùm foret orta dies Nonis vicina decembris
His defuncta malis ſuperas euaſit ad arces.

DE S. NICOLAO.

POſt Nonas cùm prima dies aſcendit ab ortu
Thura cremant Cilices, redolent altaria myrrhā,
Terra crocū quod Tmolis alit, viret vndiq; laurus

Pendula, littoreas figunt ad limina myrthos.
Nicoleos Pataraus adeſt, qui oracula Phœbi
Suſtulit, & Lycias fecit deſiſtere ſortes.
Credimus hunc nondum voces formare potentem,
Quàm primùm ſpirare datum eſt, habuiſſe dierum
Notitiam, ſciuiſſe Deum, diuinaq́ iura.
Ieiunabat enim (teſtis Pamphilia, teſtes
Phœnices, Lycij, Cilices, & Achaia tellus)
Mercurij, Venerisq́ diem. Nam lactea matris
Nutrimenta ſemel tantùm potare ſolebat.
Cum puero creuit pietas, reuerentia, & omnis,
Vt paucis vtar, diuina, humanaq́ virtus.
Quidam ciuis erat Pataræ malè ſanus, opumq́
Prodigus, hunc iuuenis rebus iam funditùs hauſtis
Velle inopes ſtupro natas exponere ſanctus
Audierat, quod ne fieret, tali obſtitit arte.
Manè ſub auroræ radios ter in illius ædes
Conflatum nitidos aurum proiecit in orbes.
Hac ope paupertas hominis curata, pudorem
Virgineum, miſeræq́ domus ſeruauit honorem.
Vrbs Cilicum præclara Myron paſtore carebat,
Propterea de vicinis regionibus illuc
Pontifices ſe contulerant, precibusq́ petebant
Aſsiduis quid vellet agi ſententia diuûm.
Dumq́ ita conſultant vox hæc audita per vmbras
Intempeſta ſuos dum nox conuolueret ignes.
Nocte fores templi, qui primus adiuerit eſto.
Nec mora, dum templi limen cuſtodia ſeruat,

In foribus Nicolaus adeſt,collegia patrum
Suſcepêre hominem tanquam ſi lapſus Olympo
Eſſet & à ſuperis,atq; impoſuêre coronam.
Quot verò memorabilibus reſplenduit actis
Prodigijsq́;potens non eſt mea pandere Clio.
Pauca tamen narrare libet.Cùm turbine nautæ
Deprenſi Cilices,magno clamore vocarent
Nicolai viuentis opem,deſcendere quidam
Cœlituum viſus ſancti ſub imagine patris,
Qui freta depulſo fecit placidiſſima vento.
Treis pueros quos impatiens Proconſulis ira
Iuſſerat occidi properans ſubtraxit ab ictu
Enſis,& abſoluit iuſtos à crimine falſo.
Cùm tiliam Triuiæ ſacram proſtraſſet,in aura
Eſt audita graui fugiens dea flere vlulatu.
Cùm ieiunia fames illas ſæuiret in oras,
Venit ad appulſas vicina ad littora puppes,
Et Cereris magnam,Pharias quæ annabat ad vrbes,
Mercatus partem,nautis,mihi credite,dixit
Creſcet veſtra Ceres,eadem menſura redibit
Quæ fuit in Sicula Cererem quæ protulit ora.
Sic ſenior,ſic dicta fides ſine fraude ſecuta eſt.
Cætera prætereo longum factura volumen.
Pertranſire tamen nequeo,quòd funere ducto
Cœpit ab illius membris decurrere riuus
Imbris odorati,qui longa in ſecula fluxu
Perpetuo labens morbos auferre ſolebat.

DE CONCEPTIONE VIRginis Mariæ.

GRata ſalutiparæ lux eſt octaua parenti
Hæc, etenim fuit illa dies, qua iuncta marito
Anna diu ſterilis tandem concepit, & iſta
Pullulat ab radice grauis diſcordia rixæ:
Sunt etenim qui conceptus contagia in iſtos
Lapſa velint, magnamq́ putent traxiſſe parentem
Fomitis antiqui vitium, cui fecit origo
Nomina: ſunt alij quibus hæc abſurda videntur.
Sicq́ duæ veniunt iſta in certamina ſectæ,
Nonnunquam magno implentes ſubſellia riſu.
Aequanimes autem volumus ſi vera fateri,
Vanus vterq́ labor, pietas temeraria, præceps
Relligio, leuitas velata ſcientiæ amictu,
Nec natura poteſt illuc extendere viſum,
Nec Deus hoc docuit, nec re dependet ab iſta
Noſtra ſalus. Quæ nos igitur dementia torquet,
Vt ſtudeamus in his conſumere litibus annos?
Siue ſit hoc vitium labes, qua ſordida fiunt
Semina, ſeu ſicut perhibent, abſentia tantùm
Iuſtitiæ, quam peccando fregêre parentes,
Et ſine qua qui naſcuntur de ſemine patrum,
Exilio ſubſunt, poſtquàm Deus omnia, ſolo
Emaculare poteſt, & reddere ſplendida, nutu.
Quid ſeu munda fuit ſemper, ſeu ſorduit olim?
Hæc ea mortales non ſunt quæ numina poſcunt

Obſe-

Obſequia à nobis, ſtudio dominatur in iſto
Ambitio, & tumidis pugnans iactantia verbis.
At ſi ſancta fides operas expoſceret iſtas,
Eſſet opus pugnare pium, ſudare ſub armis,
Exilium, mortemq́ pati, ſed ſalua ſepultis
His nugis eſt ipſa fides diſcrimine ab omni.
Adde quòd in validis certant pueriliter armis
Hi pugiles, nec tela ferunt imbellia vulnus,
Ac ſi fœmineo fuerint contorta lacerto.
Qui prolem maculare volunt ad tempora primi
Reſpiciunt hominis, cuius peccata nepotes
Infecêre omnes, lapſamq́ in corpora mentem
Sordibus inuoluunt, ſed mox ne ſeruiat orco,
Sanctificant. At qui nolunt in ſorde volutam
Extinguunt in carne nefas à debito habendi
Iuſtitiam ſoluunt, animam charitate perungunt
Antè nouos quàm vita recens labatur in artus.
Iuſtitiam charitas etenim (ſi credimus iſtis)
Aequiparat, maiusq́ animæ decus addere fertur.
Sicq́ ſuos iuſta affectus in ſomnia fingunt.
O miſeri, nónne hæc deliramenra videtis?
Cur igitur tam ridiculis popularia corda
Obſcurare opus eſt gerris? & ſcindere pacem
Inter mortales, qua nil deſcendit ab aſtris
Vtilius nobis? belloq́ inuoluitis orbem?
Non eſt laudis inops virgo, tot floribus Hybla
Non redolet, cùm ſol auerſi ſydera Tauri
Ingreditur, ſegetes non tot ſpicantur ariſtis

Per Libyam, quot ſancta parens præconia laudum
Verarum ſi quæris habet, figmenta relinque,
Et quod ſcire nequis, ne diuinare labora
In caſſum, dignoq; diem celebremus honore.
Nulla fuit ſuper hoc vnquàm ſententia iuſto
Proximior, quàm quæ magni de matre Tonantis
Conſuluit quoties aliquo de crimine ſermo
Noſter agit, quoties tractat peccata ſilentum.
Ergò nec infectam dicas, nec labe carentem.
Obmuteſce: Deus ſciri hæc arcana negauit.
Cùm redit iſta dies, ſi nil præſtantius iſto
Forſitan occurrit, miſſus narretur Olympo
Nuncius, vt ſterili virtutem infunderet aluo
Defectum naturæ abolens in vtroq; parente,
Vt fieret talis diuino fœmina dono
Qualem progenies cœlo ventura petebat,
Qualem nec cauſæ, quæ ſunt ſub ſydere lunæ
Quæq; ſuper lunam poterant plaſmare ſecundæ.
Nam Deus hanc opus eſſe ſuum decreuit, & ipſam
Maiori quàm nos ſtudio, quàm cætera finxit.
Verba hæc pondus habent, & in hoc ſermone repoſta eſt
Emphaſis, humanæ cui nil facundia linguæ
Par proferre queat: Lectam diuinitùs eſſe
Vt noſtrum, cœleſte genus, portaret in orbem,
Grandius eſt quàm naturæ fugiſſe tyrannum.
(Sic etenim noſtri labem dixêre parentes)
Quòd præeſſe velit ſenſum ratione fugata.
Et licet his olim nugis iuueniliter aures

Præbuerim, tamen vt melius cum tempore factum eſt
Iudicium, lis hæc mihi pernicioſa videri
Cæpit, & ex grauium cuneis abigenda virorum:
Propterea modus iſte magis quadrare videtur:
Nam ſecreta Dei, quæ veſtigare nefandum eſt
Clauſa ſinit, ratio magnæ ſic vndiq; matris
Eſt habita, & legi non fit violentia nec fraus:
Hic iuuat iſtius, quibus obſeruantia feſti
Venerit ex cauſis, breuibus ſubnectere verbis.
A Dacis rediens Abbas Heliſinus ad arua
Anglica, iam maris Oceani ſpacioſa ſecabat
Aequora, cùm Boreas vaſtos attollere fluctus
Cæpit, & obſcuro cælum ſubtexere nimbo.
Iam crebro polus igne micat, cum grandine raucus
Erumpit fragor, & tonitru caua nubila frangit.
Ecce ratis concuſſa ſalit, proramq; ſupinam
Porrigit in nubes, ſubitoq; cadentibus vndis
Prona ruit, rurſumq; leui volat ardua ſaltu,
Auſter adeſt feriensq; ratem contorquet, agitq;
In gyrum, pelagusq; vomit per tranſtra forosq;,
Nec mora flagranti correptum fulmine velum
Acribus igneſcit flammis: incendia rector
Tanta videns clauo præceps de puppe relicto
Labitur, & nautis gelidus timor alligat vlnas.
Dum trepidant omnes, ſubitò ſuper æquora viſa eſt
Forma viri procera humeros veſtita, caputq;
Pontificali habitu, vocesq; erupit in iſtas:
Huc Heliſine veni, tibi enim, tibi nuncia porto.

Prodijt exiliens, quem ſic affatur imago:
Si cupis incolumes ſocios e turbine tanto
Ducere, & in patrios tutus remeare penates,
Egregiam promitte diem celebrare quotannis
Qua Chriſti concepta parens, octaua Decembris
Lux ea, ſi menſes eius numerabis ad ortum.
Annuit his, votumq́; pater ſuſcepit, & aër
Continuò incepit puro clareſcere vento,
Motaq́, compoſito ſiluerunt æquora fluctu.
Fluxit ab hac maris irati formidine feſtum.

DE S. LVCIA.

VEnit ad Auſtralem lampas Titania metam
Et ſubit Aegoceron, verſo temone quadrigam
Flectit ad Arcturũ, pluuioq́, recedit ab Auſtro,
Producitq́; dies, dederat quæ tempora nocti
Subtrahit, & longè nimium iam pœnitet vmbræ.
Manè oritur cum ſole Draco contortus in orbes,
Complectensq́, virum, piſcis quoq́; & aurea quondam
Thraicij vatis lyra, quæ placauit Auernum,
Ac maris vt perhibent oli ,nunc incola cœli
Cæruleus Delphin: tali ſtipante caterua
Phœbus ab infernis ſuperos aſcendit in orbes.
Diua Syracuſias inter ſanctiſsima nymphas
Lucia, quam magno quondam celebrauimus orſu,
Nunc addenda breui noſtris modulamine faſtis.
Paſcaſio Siculæ dum ſub Proconſule gentes

Vitam

Vitam agerent infelicem,quia durus & atrox
Prædabatur opes,ac inſidiatus honori,
Cædibus inſtabat,Chriſtum confeſſa virago
Matris Eleuſinæ calathos deriſit,& aras
Perſephones reginæ Erebi,ſi fabula vera eſt.
Hæc ratio quòd vincla tulit,quòd clauſa profundo
Carcere,quòd perpeſſa graues virguncula pœnas,
At quia virginitas res eſt odioſa tyrannis,
Iuſſa eſt ad commune trahi vitianda lupanar.
Sed noua res,& opus cunctis mirabile ſeclis
Contigit,extemplò facta eſt immota,ſoloq́
Sic hæſere pedes,ac ſi radicibus altè
Defixis in grande nemus conuerſa fuiſſet,
Vt memorant priſci vates de virgine Daphne,
De Dryope,& Myrrha,de germanis Phaëthontis.
Mille viris iuga multa boum coniuncta labore
Sudauêre diu inualido:ſtipata deinde
Conflagrante rogo non eſt exterrita flammis,
Non eſt læſa igni,demum per guttura ferro
In ſacras animæ latebras ſpirauit adacto.
Alba Decembrales aurora reduxerat Idus
Cùm patuit reduci ſuperum domus alta puellæ.
Mercurij poſt iſta dies ſolennia ſecum
Tempora quæ vulgus dicit,ieiunia portat
Tres complexa dies,quæ conſtituêre parentes
Vt tranſiret hyems noſtris innoxia rebus,
Neu raperet vites Boreæ penetrabile frigus,
Noſtra nec auferret glacialis ouilia Bruma.

DE S. LAZARO.

E *Vcharia genitrice, Syro genitore creatus*
Lazarus antiqua vir nobilitate, per omnem
Inclytus Aſſyriam, Chriſti ſectator & hoſpes,
Vt Stephanum ſaui praeceps violentia Sauli
Suſtulit è medio, pelagi ſe credidit vndis,
Et ſine remigio geminas ad regna ſorores
Gallica perduxit, terris peregrinus & alto:
Maßiliae tandem portus quos proxima terris
Inſula defendit, pulſo procul aequoris aſtu,
Subgreditur ſoſpes parua cum plebe ſuorum.
Hac vbi pauit oues Chriſti per paſcua longo
Tempore, conceßit fatis, mortiq́ue ſecundae
Septima poſt decimã cùm lux foret orta Decembris.
Hic eſt qui quondam vita defunctus ad vmbras
Iuit auernales, & ſubterranea regna,
At cùm quarta dies à funere nata fuiſſet,
Vox ingens inſtar tonitru perterruit orcum
Tale ſonans, Dominus rerum regnator Olympi
Lazare te clamat, retrò veſtigia verte.
Attoniti manes tenuêre ſilentia, & aures
Vocis ad euentum intentas, oculosq́ue tenebant,
Aßimiles damis cùm per dumeta latentes
Aduentare vident vrſum, foetamve leaenam.
Ecce animam claro cernunt ſplendore nitentem
E latebris limbi obſcuris prodire, viamq́ue
Admirante orco ſuperas inuadere ad auras:

Per

Per caua terrarum mox ſpiramenta relabens
In vetus hoſpitium rediјt, iam tabida membra
Putruerant, ſpirabat odor teterrimus antro
Marmoreo, ſed viua animæ præſentia fecit
Viſcera, & extemplò fugit ſitus ille per auras.
Taliter ad vocem Chriſti reuocatus ab orco
Vixit, apoſtolicæ retinens conſortia turbæ.

DE S. THOMA APOſtolo.

ANnua feſta Thomæ vigeſima prima Decembris
Fert Aurora, patres Didymũ dixêre, quòd ipſo
Nouerit ex tactu ſanctæ veſtigia plagæ.
Nã duo cõplexa eſt perfecta ſcientia, firma eſt,
Et manifeſta fides, firma eſt, manifeſta vocari
Cùm ſit cæca nequit, ſed quæ de ſenſibus exit
Partibus ex geminis conſtat, nam firma vocanda eſt,
Cùm dubio careat, clara eſt, manifeſta, patensq́;
Nam ſibi ſola ſat eſt, omniſq́; ſuperfluit author.
Hac ratione Thomam Didymum dixêre parentes.
Sed tamen aduertas, quòd & altera nominis eius
Sit ratio forſan melior, Thoma namq; vocatur
Voce Paleſtina (geminum) quod Roma, quod Hellas
Appellat didymum, didymum dixêre Pelaſgi,
Non quòd ei fuerit geminata ſcientia, verùm
Quid nomen Thoma ſignificet, monſtrare volentes.
Prima quidem ratio plus ingenioſa, ſed iſta

Verior eſt, ſi vis ambas, amplectitor ambas.
Medigenas poſtquam gentes & Parthica regna
Hyrcano vicina ſolo peragrauit, & illis
Fecit nota locis magni myſteria Chriſti,
Nuncius Indorum regis rubri æquora ponti
Menſus in Aſſyriam venit, fabrumq́; per vrbes
Quærebat, qui tecta ſuo ſublimia regi
Schemate Romano fabricaret, & amphitheatrum.
At faber aſtrorum natus de coniuge fabri
Aſtitit, & fabrum ſeſe confeſſus, habeto
Hunc ait, oſtenditq́; Thomam tum fortè per vrbis
Cæſariæ fora reptantem, quid plura? ſubintrant
Aequora Rhiphæo ſpirante ad carbaſa vento.
Nam ruber humentes ſinus eſt porrectus ad Auſtros,
Quo gelidus curſu Boreas fert vela citato.
Aduenêre locos vbi connubialia princeps
Feſta celebrabat diſcis redolentia plenis,
Viſcera firmabant, & erant communia vulgo,
Accubuêre epulis. Caſu Cythariſtria virgo
Hebraico modulans laudem ſermone Tonanti
Hic aderat, dulces vt ſenſit Apoſtolus hymnos
Iuit in exceſſum mentis, ſubitoq́; remanſit
Attonito ſimilis conuerſo in ſydera vultu.
Ecce miniſtrorum quidam dum forſitan illum
Deridere dapes putat, & contemnere feſta.
Sancta hominis ſtricto percuſſit tempora pugno.
Tale nefas Deus eſt vltus, nam ſolus aquatum
Dum petulans percuſſor abit, ieiuna leonum

Venit

Venit in ora, tenent etenim rura illa leones
Sicut noſtra lupus fera Martia, Dorcas & vrſus.
Nec mora longa fuit, ſerui canis ore cruento
Attulit ad menſas, poſuitq́ ſub ipſius ora
Principis inuento diuulſam à corpore dextram.
Hoc animaduertens princeps deprendit in ipſo
Eſſe viro diuini aliquid, Chriſtoq́ recepto
Protinus ad ſacrum venit cum coniuge fontem.
Totaq́ paulatim fines diffuſa per illos
Barbara gens confeſſa fidem, Chriſtumq́ ſecuta eſt.
His ita in Aethiopum ſterili regione peractis
Oceani ſulcantur aquæ. Zephyroq́ ſecundo
Perſida tranſgreſſi patrys potiuntur arenis,
Quæ fuerant magno ſtatuenda palatia ſumptu.
Rege ſalutato quàm primùm Lucifer ortus
A Quæſtore Thomæ conflata pecunia dudum
Ergò operis tanti ſubitò numerata, ſubindè
Rex abiens totum bellis exercuit annum.
Interea ſine re viduas, ſine dote puellas
Mendicosq́ omneis cogens, diſpeſcuit aurum
Omne Thomas, Regiq́ domum conſtruxit Olympo.
Rex vbi cognouit fraudem, ſi dicere fraudem
Fas opus eſt ſanctum, ſubitò coniecit in atri
Carceris antra virum, ſed mox reuocatus ab orco
Vi ſuperum regis frater regalia narrat
Tecta manu conſtructa Thomæ, quæ vidit in aſtris
Pœnituit facti regem, Chriſtumq́ profeſſus
Aere virum ſoluit, qui mox conuerſus ad ortum

 Solis,

Solis,& ad terras quibus eſt Peninſula nomen
Aurea, dum lemures abigit, dum languida ſanat
Corpora, dum verbis Venerem proſcindit acerbis,
Ducta pudicitiæ ſtudio Regina maritum
Odit, & amplexus latuit pertæſa iugales.
Hoc ægra rex mente ferens, nudata coëgit
Ferre ſuper candens hominum veſtigia ferrum,
Sed gelidis grauis ardor aquis extinguitur orto
Fonte, per herboſos ſaliens qui murmurat agros.
Ductus & ad Solis templum prodire coëgit
Aere larem, ſuaq́ in terram ſimulachra repentè
Sternere, & ingenti templum proſtrare tumultu.
Diuûm ignominiam, confractaq́ templa dolentes
Arma ſacerdotes animis flagrantibus, arma,
Arma, vocant, nudisq́ Thomam mucronibus vrgent,
Atq́ ita ſubuerſo migrauit in æthera ſole.

DE NATIVITATE DOMINI.

FOrtunata dies vigeſima quinta Decembris
Tot titulis ſplendens tantis ornata trophæis
Tota ſub Auguſto gemini quem limina Iani
Ter clauſiſſe ferunt, tellus pacata ſilebat,
Sæuaq́ depoſitis Bellona quieuerat armis,
Cùm bona tam felix pepererunt ſydera tempus.
Roma triumphatum ſcribi mandauerat orbem,
Solennemq́ dari ſibi regna per omnia cenſum.

Et

Et cùm quiſq; ſolum peteret natale, ſuamq;
Tenderet in patriam, ſenior cum coniuge Ioſeph
In Bethlehemæos ducens aſinumq; bouemq;
Venit agros, quòd ab oppidulo deſcenderat illo.
Hoſpitibus verò cùm plena frequentibus eſſent
Vndiq; tecta, larem paruo ſibi legit in antro.
O memoranda dies, & aperto ſplendida cœlo.
Nox erat, & Capro iunctus tellure ſub alta
Sol gradiens noſtri radiabat ſydera cœli.
Cancer in excelſo ſtellati cardine mundi
Stabat, in occaſu qui fert in vertice Delta
Dux ſignorum Aries. Libræ duo brachia in ortu.
Cùm ſoboles diuina nouem iam menſibus actis
Prodijt, & Chriſtus terris apparuit infans.
Mox iubar immenſum ſine lumine ſolis & ignis
In tenebris ortum toto reſplenduit antro.
O lux quæ noſtri decus es, & gloria ſecli.
Tum ſubitò ex ſeſe, quam non acceperat ortam
Progeniem cernens tanti miracula partus
Mente volutabat genitrix, acieſq; ſilentem
In puerum fixas admirabunda tenebat,
Et genua inſiſtens palmis ad pectora iunctis
Numen adorabat latitans ſub imagine noſtra.
O veneranda dies cunctis prælata diebus.
Ecce chori ſuperûm magnis Pæana ſonantes
Cantibus aßiſtunt timidis paſtoribus, ô res
Nunquam viſa prius, diui paſtoria corda
Sollicitant, pueriq; docent cunabula nati

Paſtores igitur caulis abiêre relictis
Et vidêre Deum propter iumenta cubantem
O miranda dies naſcenti conſcia Chriſto.
Hac quoq; nocte Magi clarum vidêre cometam
Impendere iugis, cœloq; ardere ſereno.
Hic eſt ille puer, de quo vulgata per orbem
Carmina fatidicæ quondam cecinere Sibyllæ.
Tantaq; concordi vates præſagia cantu.
Iſte ſuo aduentu renouat puer omnia, leges,
Sacra, ſacerdotes, ſecum noua ſecula portat.
Nec contentus erit Iudæi limite regni.
Sed faciet gentem regnis ex omnibus vnam,
Imponetq; ſuo tractum de nomine nomen
Gentibus, & regnis vſq; ad confinia terræ
Vltima, & obſeſſis circumfuſo æquore terris.
O præclara dies omni memorabilis æuo.
Ite lares procul inferni, diſcedite templis,
Gloria veſtra ruit, veterem deponite faſtum.
Delphice claude fores templi fallacis Apollo
Cortinam tripodaſq; ferens ceruice ſub orcum
Labere, & ad ſtygias tua fer reſponſa lacunas.
I Venus in tenebras, & tu Saturnia Iuno
Cum Ioue, maieſtas vobis cùm nulla ſuperſit
Amplius in terris, Erebi deſcendite ad vmbras.
Rex verus ſua regna ſubit, procul ite tyranni,
Ponite perſonas, & quos rapuiſtis honores.
Hic puer, hic infans eſt, qui Titania fecit
Sydera, qui ſolem docuit conſurgere ab ortu.

Tendere

Tendere ad occaſum, quò tempora quattuor anni
Ordine partiri, terriſq́ infundere poſſet
Semina tot rerum, tanta eſt in corpore virtus
Exiguo, teneris tam mira potentia membris.
O dilecta dies albo numeranda lapillo.
Aetherei patris manet alta mente repoſtum
Et latet in membris verbum mortalibus, ô res
Quæ caret exemplo, pietas diuina ferendæ
Hanc opis eſt meditata viam, deſcendit ab alta
Maieſtate, volens humili ſuccurrere mundo.
O iucunda dies alacri digniſſima plauſu.
Iſte puer ſiccis ibit ſuper æquora plantis,
Ventorum pelagiq́ potens, dominabitur orco.
Ex ſtygijs reuocabit aquis in corpora vitas
Cúm volet, ægrotis eius diuina voluntas
Infundet quoties erit implorata ſalutem.
Et quandoq́ prius, nobis amor illius ingens
Non expectatis precibus ſuccurrere nouit.
O lux fauſta nouos inter celeberrima faſtos,
Quà Deus incepit fracto ſuccurrere mundo,
Aſpicite vt nobis hodie ſe credidit, alto
Aethere deſcendens noſtras ſe miſit in vlnas.
Pauperis hoſpitij ſordes non horruit author
Noſter & humanis oculis apparuit ipſe
Rerum opifex, quòd ſi cauſam quæ mouerit illum
Quæritis, hoc pietas opus admirabile fecit.
O nox quæ ſuperas lucem ſplendore diurnam.
O nox delitias, nox quæ fers omnia tecum

Gaudia,

Gaudia, nox omni maior meliorq́; triumpho.
O nox angelico cantu quæ ſola fuiſti
Digna frui, nox fauſta die feſtiuior omni.
Qua Deus in terras nectar pluit, ambroſiamq́;,
Mannaq́; Coryciosq́; crocos, & Hymettia mella.
Salue ſancte puer ſecli venientis origo,
Progenies magni ſemper manſura Tonantis,
Sis bonus ætati noſtræ, miſerere tuorum,
Et tua ſit ſemper miſeris clementia portus.
Hic vulgata leues aperire licentia ludos
Conſueuit, dubiæq́; aurum committere ſorti.
Alueolum date, taxillos afferte, cuboſq́;
Poſt epulas clamant, longas conſumere noctes
His ſtudijs puerile opus eſt, & auara voluptas.
Ludere vis? ne quid nimium, curare memento.

DE S. STEPHANO PROthomartyre.

ALtera lux primi celebrat ſolennia teſtis,
Primores fidei ſeptem legêre miniſtros
Inſignes probitate viros, antè omnia caſtos,
Qui regerent muliebre genus, viduasq́;, nuruſq́;.
Iſtorum è numero Stephanus fuit: ipſe docendi,
Ipſe gubernandi curam officiumq́; gerebat
Strenuè, & hunc odijs inſectabatur acerbis
Plebs Iudæa, neci iuuenem dare certa pudicum.
Prodigijs etenim magnis erat inclytus inter

Chriſti-

Chriſtigenas, miriſq; modis taxare ſolebat
Perfidiam Iudæorum, figmenta, doloſq;.
Dum fremit hæc rabies, laqueos dum tendere certat
Ecce lupus de gente rapax Iſacide Saulus
Seſe infert, vt in hunc primas exerceat iras.
Ingreditur turbam, verbiſq; potentibus ignem
Seminat, accenditq; animos, & ſuſcitat arma.
Pro patria, pro gente monet, pro lege, Deoq;
Non pugnare nefas, genus extirpare nefandum
Eſſe opus exclamat, falſi mala ſemina Chriſti
In teneris abolenda herbis, ne ſurgat in altum,
Immortale ſeges animis paritura venenum.
Talibus alloquijs præceps excitat iuuentus
Saxa rapit, volitant in morem grandinis orbes
Marmorei, multiq; fugant de mœnibus vnum,
Nec mora, nec requies, pulchrum ſæuire putabant,
Quòq; magis noceant, augent clamore furorem.
Ipſe vbi ſe fractum ſentit, madidumq; cruore
Vicinumq; neci genua incuruauit, & aſtra
Suſpiciens vidit Chriſtum cæloſq; patentes.
Atq; ait: ò cælorum opifex, ignoſce meorum
Carnificum furijs, Sauli miſerere iuuentæ,
Nam neq; ſe peccare vident, meq; accipe teſtem
Chriſte tuum, gentemq; tuam ſeruare memento.
Sic ait, & ſanctam tenues efflauit in auras
Suſpiciens animam, iacuitq; in ſanguine corpus.

DE

DE S. IOANNE APOSTOſtolo & Euangeliſta.

LAeta dies Iani ſexto celebranda Calendas
Surgit: Ioannes centeno proximus anno
Auroram ſolito citius perducit ad ortum,
Conſobrinus eum Chriſtus (ſic fama) volentem
Nubere cùm lympham dulci mutauit Hiaccho
Traxit ab incæpto, Veneriſq; coërcuit æſtum,
Commendauit ei matrem ſuſpiria ducens
Vltima, & hanc eius tulit vſq; ad funera curam.
Hoc ſtudio liber Lycias peruenit ad oras
Multa vbi perpeſſus ſæui rectoris ob iram.
Miſſus enim Romam portæ fuit antè Latinæ
Limina, ſupplicio quo non crudelius vllum
Nequiter affectus, feruens intrauit oliuum
Nudus, & in triſti ſenſit nil triſte lauacro.
Vnctus in athletæ morem ſublimibus auſis
Exijt ad luctam inuitans homineſq;, deoſq;,
Securus vitæ atq; necis, rurſumq; reuerſus
In Lyciam Pathmi exilio multatur, inopſq;
Cogitur in nudis vitam traducere ſaxis.
Dicitur huc veniſſe magum certare volentem
Cum ſene, & auxilio larium tentaſſe marinos
Ire ſuper fluctus, & abyſſum intraſſe profundam.
Quà delphines eunt, habitant vbi grandia cæte.
At Deus extemplò lemures horreſcere fecit,
In medioq; ſuas vires amittere ponto,

Tum

Tum magus infœlix ſtygijs deſertus ab vmbris
Eſt oppreſſus aquis animamq́ reliquit in alga.
Cæſaris extincti poſt triſtia funera tandem
Regrediens Epheſum viduam reuocauit ab orco.
A Cratone viro fractos ſapiente lapillos
Vt varias hominum curas & inania vota
Argueret ſigno crucis integrauit, & ipſum
Edocuit Cratona fidem, gemmiſq́ redactis
In cumulos nummùm ingentes donauit egenos.
Fortè duos iuuenes Chriſti documenta profeſſos
Pœnituiſſe videns ſua quòd patrimonia turbis
Pauperibus ſubita nimium pietate dediſſent,
Continuò fruticum faſces in publica miſſos
Compita, in argentum vertit, iuueneſq́ vocatos
Antè oculos plebis ſermone redarguit iſto:
Poſtquàm diuitias bene diſtribuiſſe doletis
Et facta eſt vobis pietas odioſa, querelas
Ponite, reſtituit Chriſtus quæ acceperat iſta
Ferte domum, Chriſtus veſtro non indiget auro.
Ipſe eſt qui ſyluis frondes, qui gramina campis,
Qui frumenta ſolo, qui poma, nuceſq́ quotannis
Arboribus tribuit, qui cuncta animantia paſcit,
Hæc virgulta, iſtos faſces quos cernitis, ipſe,
Non ego, in argentum vertit, nec ceſſat in horas
Gignere opes varias, terram transformat in aurum,
Rorem in margaritas, gignit per littora gemmas,
Chryſolitos, & carbones, nitidoſq́ pyropos,
Pars hæc veſtra, nihil cœli ſperate deinceps.

Iſta

Iſta ſenex. Iuuenum ſubitò mutata quierunt
Pectora, & in lachrimas verſi mala lucra, & auaras
Execrantur opes, auriq; ardore leuantur,
Viminaq; in formam ſubitò rediêre priorem.
Cum foret in populo paucis pòſt nata diebus
Seditio, Triuiæ ad templum, quò dona ferebant
Vndiq; mortales terris ex omnibus, vnà
Cum plebe, & patribus veniens à culmine ſummo
Illud opus, quod tota Aſia immortale putabat,
Et quod erat numeratum inter miracula ſeptem
Cum tonitru in terram fecit procumbere magno,
Et quò flagrantem premeret Proconſulis iram
Mortiferis hauſit cyathis aconita duobus.
Atq; duas tali potu de corpore pulſas
In ſua membra animas tulit ex Acheronte profundo,
Proſpiciens tandem ſibi ſummum incumbere tempus
Viuus humum ſubijt, corpuſq; in manna redactum
Sunt qui tranſlatum credant orientis ad hortos,
In ſuperos quidam, cæloq; ardente potiri.
Huic vates Aquilæ formam tribuêre, quòd alto
Deſcribat ſermone Deum, quòd lumine viuo
Ac vegeto ſenſu vidit myſteria Chriſti.

DE INNOCENTIBVS.

ALtera mœrorem, lachrymas, miſerandaq; ſecum
Fert lamenta dies: Nam res audita Magorum
Herodes poſt verba anno crudele ſequenti

Eſt

Eſt aggreſſus opus, cui par non viderat vnquàm
Sol qui cuncta videt tellure, nec omnibus vndis.
Nam Bethlehemæos perfundi ſanguine campos
Iuſsit, & infantes quot erant in finibus illis
Enſe trucidari, cupiens extinguere Chriſtum.
Quem dixère Magi dominum, regemq; futurum.
Sed celer aërio labens per nubila curſu
Nuncius, hæc ſcelera, & caſus prædixerat iſtos
Antè ſeni, puerumq; illis curarat ab oris
Hermopolim, quæ tunc erat vrbs Ægyptia, ferri.
O infame nefas, quod deteſtanda libido
Regnandi, quod mens faſtu vitiata ſuperbo
Protulit, infantes nudos à pectore matrum
Diuulſos ſtricto miles mucrone ſecabat.
Nec ſceleris tanti cauſam furor ille ſciebat.
Nam puduit regem cauſas aperire nefandæ
Cædis, in excelſas nubes in ſydera clamor
Exiit, & ſpumans fluxit cruor vſq; ſub Orcum.
Vicinæ planxère vrbes, audita per agros
Noctes atque dies flentum ſuſpiria matrum,
Hac quoque (ſic fama eſt) in tempeſtate peremptus
Regius eſt infans, qui lactabatur in illis
Fortè locis, tantum dabat ira furentibus ignem.
Propterea lætos luce hac Eccleſia cantus
Præterit, & triſti luget tot funera voce.
Cùm tamen in Solis ſacram ſolennia lucem
Hæc veniunt, quia læta eius natura diei eſt,
Cantica ſupprimimus triſtem teſtantia caſum,

Et per templa chori repetunt Aleluya canentes.

DE S. THOMA.

ALtera lux tua diue Thoma clariſsima gentis,
Fama Calydoniæ, ſæuiq; infamia regis.
Regia tu ſolitus tractare negotia magno
Cum ſplendore venis ad pontificalia tandem
Culmina, & excludens mores habitusq; profanos
Vertice ſacrato bifidum diadema tuliſti.
Sed regale odium dum relligioſa tueris
Iura ferens, mare tranſiſti, Senonesq; petiſti
Miſſus in exilium pro libertate tuorum.
Sed tibi Romano, qui tunc ea regna colebat,
Auinione ſedens Rhodani ſpumantis ad vndam
Pontifice, auxilium contra bella iſta ferente,
In patrios repedaſti agros pòſt tempore paruo.
Hinc magis exarſit liuor regalis, & ira,
Nec tua te probitas illa inculpata, micansq;
Vndiq; ceu Titan ſummo cum incanduit axe,
Te potuit ſeruare ferox immane cruentum
Virus in indomiti flagrabat corde tyranni.
Nanque ſatellitibus ſacra intra limina miſsis
Excuſsit tibi ſacrum illud, ſanctumq; cerebrum,
Quod fuit æthereo flatus labentis ab orbe
Hoſpitium totiens, animæque inſigne ſacellum.
Ad tua cæleſtes Diui veniſſe feruntur
Funera, & exequias cantu celebraſſe ſuaui.

DE

DE S. SYLVESTRO.

Pontifici ſummo lux vltima menſis, & anni
Dedita Syluestro: præclara negotia, vitæ
Integritas, non ambitio, quæ tempore noſtro
Imperat, ad tantos illum perduxit honores.
Ciuis erat Romanus opes, penus, horrea, menſas,
Ac loculos in egenorum miſerabile vulgus
Fundebat pietas imis immerſa medullis.
Multa ſub atroci vitæ diſcrimina paſſus
Tarquino præfecto vrbis ſeceſsit, & altum
Se in Soracte tu[illegible], ſub quo delabitur amnis
Albula, & in tacito fugit mala tempora ſaltu.
At poſtquâm ſoboles Helenæ ſanctiſsima Cæſar
Conſtantinus apud Diuos, hominesq́ue fauorem
Nactus in excelſo vidit crucis aëre formam,
Et Petri, & Pauli veros aſsiſtere vultus,
In terrena Deus fecit deſcendere pacem
Regna, cruentatos prohibens regnare tyrannos.
Tum rediјt tandem Romam Soracte relicto,
Atque ſub Auguſto magnos ſortitus honores
Credidit è Stygijs vmbris ſe in ſydera tolli.
Tunc ſynodus Nicæna fuit celebrata ſub ipſo
Cæſare, & impietas Arri damnata volentis
Partiri naturam vnam Natiq́, Patrisq́.
Cæſar hic in noſtram geſtans pia pectora gentem
Maxima templa Deo, Diuisq́ eduxit in auras
Immenſas donauit opes, vaſa aurea, fundos,

Vndè ſacerdotes magnis prouentibus aucti.
Romam ipſam (quid multa moror) donauit, ad agros
Threicios abiens aliam ſibi condere Romam
Inſtituit, qua ſe anguſtis duo faucibus ampla
Æquora coniungunt contra Chalcedonis arua,
Magna quidem memorant alij miracula ab ipſo
Edita Syluestro: ſed nullus idoneus auctor
Nec teſtis productus adhuc, ideoq́ relinquam
Talia, quòd poſſunt quædam figmenta videri:
Noſtra etenim nugas, deliramentaq́ damnat
Relligio, nec dat linguis mendacibus aures.
Tunc quoque Rhiphæo qui ſunt ſub cardine Iberes
Ad Chriſti venêre fidem: captiua putatur
Conuertiſſe feras gentes, & barbara regna
Fœmina, quæ fines bello peruenit ad illos.
Per varios igitur caſus, per plurima vitæ
Tædia Syluester placidam ſine ſanguine tandem
Mortem obiit, Diuûmq́ domos peruenit ad altas.

EPILOGVS.

GLoria veſtra meo, quia vulgatiſſima, cantu
Non eget, ò ſuperi, veſtræ plena omnia laudis,
Hæc cecini ſolis mortalibus, vt ſua ſurſum
Ad vos corda leuent, & vos clementer eorum
Præſidium ſitis contra Phlegethontida gentem.
Et curetis apud magnum pro pace Tonantem
Aſſiduas proferre preces. Nam regna fatiſcunt

Omnia bellorum longo vexata tumultu.
Impetretis item cùm corpora noſtra repoſcent
Fata, domos nobis in ſummi vertice mundi.

BAPTISTAE MANTVANI VITAE SVAE EPITOME ad Poſteritatem.

O Bona Poſteritas, quam poſt mea fata relinquo,
Quæ fuerit vitæ perlege ſumma meæ:
Iſtius accepi lucis primordia, Quintus
In ſolio Petri cùm Nicolaus erat.
Nunc in puppe ſedet, rector qui nonus ab illo eſt
Iulius, & pacem doctus, & arma ſenex.
A teneris colui Muſas, mihi ſemper ad artes
Ingenuas calcar cura paterna fuit.
Propterea manes eius reuerenter adoro,
Et precis aſſiduæ ſedulitate iuuo.
Relligio placuit iuueni, placuêre cuculli,
Vitaq́ clauſtrali ſemiſepulta domo.
Cum patribus vixi, quibus à genitrice Tonantis
Nomen, & Heliæ ſub ditione fui.
Me virtutis amor multas perduxit ad vrbes,
Et ſophiæ varios fecit habere duces.
Plurima perlegi, didici, docuiq́, nec vllum
Dum licuit ſtudij tempus inane fuit.
Multiuagam Chriſto feci ſeruire poëſim,

Et ſuperis vires, ingeniumque dedi.
Et mihi cura fuit noſtros extollere ritus,
Ac ſemper veteres extenuare Deos.
Plurima conſcripſi, quæ ſi ventura probabunt
Secula, durabit nomen in orbe meum.
Nolo tamen meriti precium pro talibus iſtud,
Maius amant animæ, nobiliusque bonum.
Hæc eat, æternæ modò ſit mihi gloria vitæ,
Humanæ titulo nil mihi laudis opus.
Sæpè magiſtratus, & publica munera geſſi,
Vitaq; perpetuo fracta labore fuit.
Sed quoties adij perplexa negotia, ſemper
Eximia iuuit me pietate Deus.
Per mare, per fluuios iui, per ſaxa, per Alpes,
Mortiferam peſtem, bella, famemq; tuli.
Sed ſuperi caſus mecum venêre per omnes,
Et mihi ſe fidos exhibuêre duces.
Sic precor vt vitam quæ me rexere per omnem,
Proſpera ſint fini Numina ſancta meo.
Ad ſenium veni, ſtadium vitale cucurri,
Et fero iam dudum pro pugione rudem.
Liber ab hoc tandem mortali corpore vadam
Ad ſuperos, vel quò me Deus ire volet.
Ipſe mihi pater eſt, quocunque vocauerit, ibo:
Et mala non ægrâ ſingula mente feram.
Me tamen illius precor vt clementia blandè
Suſcipiat, ſceleri nec ſit acerba meo.
O populi pacem qui me coluiſtis habete,

Et pro me accenſis ſacrificate focis.
Tu quoque Carmeli montis longæua propago
Spiritui fac ſis officioſa meo.
Crebra ſacerdotes pro me libamina Chriſto
Reddite, & ad veniam ſollicitate Deum.

SECVNDI TOMI OPERVM
BAPTISTAE MANTVANI
FINIS.